Digitized by Google

14
TECA NAZIONALE
RALE - FIRENZE

Google

1

Digitized by Google


CODEX
RERUM
IN PEDEMONTANO SENATU
ALIISQUE SUPREMIS PATRIÆ CURIIS
JUDICATARUM

A SACERDOTE J. U. DOCTORE

THOMA MAURITIO RICHERI

PRIVATIS LUCUBRATIONIBUS IN GRATIAM EORUM QUI FORENSIBUS STUDIIS VACANT COLLECTUS.

TOMUS I.



AUGUSTÆ TAURINORUM
EX TYPOGRAPHIA REGIA

MDCCLXXXIII.

Digitized by Google

B. 17. 3. 14

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Quamquam Juriſprudentia theoretica neceſſaria eſt iis, qui cauſſis in foro agendis operam dant: practica tamen potiſſimum inſtructus eſſe debet cauſſarum patronus: illa quidem leges explanat, earum vim, & ſententiam demonſtrat, caſus generales exponit, quibus lex ad ſimiles caſus protenditur, vel intra verborum fines coercenda est; hæc regulas generales ad ſingulares factorum ſpecies, rerum, perſonarum, locorum, & temporum, prout res inciderit, adjunctis penſatis, transfert. Quare, poſtquam theoreticæ Juriſprudentiæ opus pervulgavimus, ad uſum utique fori, quantum licuit, accommodatum, conveniens utilitati eorum, qui clientium jura tuentur, viſum fuit, Supremorum Magiſtratuum definitiones, quæ apud nos prodierunt, contractas quidem, ſeu earum ſummam in lucem edere. Quia vero genuina earum ſententia non ita facile intellectu percipi aliquando poteſt, tum ob argumenti difficultatem, tum propter involuta rerum adjuncta, nec tenuitatis ingenii mei conſcius plene me aſſecutum aſſerere auſim, authenticum, ex quo definitionum ſumma excerpta eſt, adiri debet.

Quod ad rerum ſeriem pertinet, eandem ac in Juriſprudentiæ univerſæ opere tenendam putavi; utpote magis concinnam, & aptam, ut omnia, & ſingula, quæ ad propoſitam rem pertinent, ſimul atque ordinatim tradantur. Ut autem ea, quæ perſpicuitatis, vel ornatus cauſſa, & in argumenti probationem adjecta ſunt, a Magiſtratus placitis diſtinguantur, ſigno ✠ notanda hæc duximus. Vale benigne lector: ſi quid boni in hoc opere eſſe videatur, Dei optimi maximi beneficium eſt: *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* (1).

(1) Epiſt. S. Jacobi cap. 1. verſ. 17.

Digitized by Google

Auctoris monitum.

Cum hujuſmodi collectio privata tantum, non publica auctoritate peracta ſit, ſola proinde auctoris fide nititur; nec vim habere poteſt, niſi quatenus congruit exemplari, ex quo ſententiarum ſumma decerpta eſt: quare exemplar ipſum, cum res inciderit, omnino conſulendum eſt.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

Juxta rerum ſeriem.

LIBER PRIMUS

TITULUS I.
De legibus, conſtitutionibus Principum, & ſenatuſconſultis pag. 9
TITULUS II.
De ſtatutis. 19
TITULUS III.
De conſuetudine. 36
TITULUS IV.
De jure perſonarum, atque de dignitate, & nobilitate. 37
TITULUS V.
De filiationis probandæ modis. 42
TITULUS VI.
De alendis liberis, ac parentibus. 47
TITULUS VII.
De ſponſalibus, matrimonii effectibus, & divortio. 57
TITULUS VIII.
De inceſtis, & ſecundis nuptiis, & de earum pœnis. 59
TITULUS IX.
De legitimatione. 75
TITULUS X.
De adoptionibus. 79
TITULUS XI.
De patria poteſtate. 79
TITULUS XII.
De tutelis. 81
TITULUS XIII.
De confirmando tutore. 90
TITULUS XIV.
Qui petant tutores, vel curatores. 91
TITULUS XV.
De curatoribus ad bona, & ad lites minorum, & pupillorum. 93
TITULUS XVI.
De curatoribus furioſo, prodigo, & aliis extra minores dandis. 96
TITULUS XVII.
De curat. bon. debit., & abſent. 100
TITULUS XVIII.
De ſatiſdat. tutorum, & curator. 106
TITULUS XIX.
De inventario tutor., & curator. 108
TITULUS XX.
Ubi, & apud quem pupillus educari debeat. 112
TITULUS XXI.
De alimentis pupillo præſtandis. 114
TITULUS XXII.
De auctoritate tutor., & curat. 116
TITULUS XXIII.
De prædiis, & aliis rebus minorum ſine decreto non alien. 120
TITULUS XXIV.
Quando decreto opus non eſt, vel ceteris ſolemnitatibus, ut valeat alienatio rerum immobil. ad pupill., vel minores pertinentium. 137
TITULUS XXV.
Si major factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit. 138
TITULUS XXVI.
De alienatione mobilium, & implicatione pecuniæ pupillaris. 146
TITULUS XXVII.
De auctoritate, ſeu conſenſu tutor., vel curator. 149

Digitized by Google

TITULUS XXVIII.
De excuſationib. tutor., & curat. 150
TITULUS XXIX.
De ſuſpectis tutoribus. 160
TITULUS XXX.
De redditione rationum. 163
TITULUS XXXI.
De reſtitutione reliquorum, & damno a tutoribus, vel curatoribus dato reficiendo. 178
TITULUS XXXII.
De hypotheca pupill., & minor. 181
TITULUS XXXIII.
De contraria tut., & curæ act. 185
TITULUS XXXIV.
De fidejuſſoribus, nominatorib., & hered. tutor., vel curator. 189
TITULUS XXXV.
De in integr. reſtitut. minor. 190
TITULUS XXXVI.
Si adverſus venditionem, & tranſactionem reſtitutio petatur. 196
TITULUS XXXVII.
Si adverſ. fidejuſſ., dot., jusjurand., vel locat. reſtitutio petatur. 198
TITULUS XXXVIII.
De reſtitut. minor. adverſ. hereditat. aditam, vel repudiat., eamve cum beneficio inventarii adeundam. 201
TITULUS XXXIX.
De reſtitut. minor. in judiciis, ſeu adverſ. confeſſ., & rem judic. 204
TITULUS XL.
De reſtitut. minor. adverſ. uſucap. 207
TITULUS XLI.
De temporib. in integr. reſtitut. 207
TITULUS XLII.
De reſtitutionis effectibus. 210
TITULUS XLIII.
In quibus cauſſis reſtitutio in integrum neceſſaria non eſt, vel minoribus denegatur. 210

LIBER SECUNDUS

TITULUS I.
De rerum diviſione. 212
TITULUS II.
De jure univerſitatum, adminiſtratorum electione, & auctoritate in contractibus. 227
TITULUS III.
De vendendis rebus civitatis. 247
TITULUS IV.
De auctoritate adminiſtratorum univerſitatis in judicio. 264
TITULUS V.
De actionibus univerſitatum contra adminiſtratores. 267
TITULUS VI.
De in integr. reſtitut. univerſit. 269
TITULUS VII.
De acquirendo rerum dominio per occupationem: ubi de venatione, piſcatione, & inventione. 271
TITULUS VIII.
De acquirendo rerum dominio per acceſſionem: ubi de fructibus. 279
TITULUS IX.
De acquir., vel amitt. poſſeſſ. 294
TITULUS X.
De ſervitutibus, & modis, quibus conſtituuntur. 310
TITULUS XI.
De ſervitutib. prædior. urbanor. 315
TITULUS XII.
APPENDIX.
De pariete communi. 320

TITULUS XIII.
De ſervitutib. prædior. ruſticor. 327
TITULUS XIV.
Communia prædiorum tam urbanorum, quam ruſticorum. 343
TITULUS XV.
Quemadmodum ſervitut. amitt. 345
TITULUS XVI.
De uſufructu: quibus modis conſtituatur, & acquiratur. 345
TITULUS XVII.
De jurib., & oner. uſufructuarii. 359
TITULUS XVIII.
Quib. mod. uſusfr. amitt., vel fin. 363
TITUULUS XIX.
De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur. 364
TITULUS XX.
De uſucapion., & præſcription. 365
TITULUS XXI.
De donationibus. 378
TITULUS XXII.
De revocandis donationibus. 402
TITULUS XXIII.
De inofficioſis donationibus. 409
TITULUS XXIV.
De donationibus cauſſa mortis. 410
TITULUS XXV.
De donationibus, quæ ſub modo, ſub condit., vel ex certo tempore fiunt. 411
TITULUS XXVI.
De jure dotium. Quid, & quot. ſit dos: qui dot. dare tenent. 415

INDEX TITULORUM

Ordine alphabetico digeſtus.

De Acquirenda, vel amittenda poſſeſſione. 294
de Acquirendo rer. domin. per acceſſionem; ubi de fructibus. 279
de Acquirendo rerum dominio per occuparionem; ubi de venarione, piſcarione, & inventione. 271
de Actionibus univerſitatum contra adminiſtratores. 267
de Adoptionibus. 79
de Alendis liberis, ac parentibus. 47
de Alienatione mobilium, & implicarione pecuniæ pupillaris. 146
de Alimentis pupillo præſtandis. 114
de Auctoritate adminiſtratorum univerſitatis in judicio. 264
de Auctoritare, ſeu conſenſu tutorum, vel curatorum. 149
de Auctorirate tutor., & curat. 116
Communia prædiorum tam urbanorum, quam ruſticorum. 343
de Confirmando tutore. 90
de Conſuetudine. 36
de Contraria tut., & cur. act. 185
de Curat. bon. debir., & abſent. 100
de Curatoribus ad bona, & ad lites minorum, vel pupillorum. 93
de Curatoribus furioſo, prodigo, & aliis extra minores dandis. 93
de Donationibus. 378
de Donationibus cauſſa mortis. 410
de Donationibus, quæ ſub modo, vel ſub conditione, vel ex certo tempore fiunt. 411

de Excuſationibus tutorum, & curatorum. 150
de Fidejuſſoribus, nominator., & heredib. tut., vel curat. 189
de Filiationis probandæ modis. 42
de Hypotheca pupill., & minor. 181
de Inceſtis, & ſecundis nuptiis, & de earum pœnis. 59
de In integr. reſtitut. minor. 190
de In integr. reſtitut. univerſis. 269
de Inofficioſis donationibus. 409
de Inventario tutor., vel curat. 108
de Jure dotium: quid, & quotup. ſit dos, qui dot. dare teneant. 415
de Jure perſonarum, atque de dignitate, & nobilitate. 37
de Jure univerſitatum, adminiſtratorum electione, & auctoritate in contractibus. 227
de Jurib., & oner. uſufructuarii. 359
de Legibus, & conſtitutionibus Principum, & ſenatuſconſultis. 9
de Legitimatione. 75
de Pariete communi. 320
de Patria poteſtate. 79
de Prædiis, & aliis rebus minorum ſine decreto non alien. 120
Quando decreto opus non eſt, vel ceteris ſolemnitatibus, ut valeat alienatio rerum immobil. ad pupillos, vel minor. pertinent. 137
Quemadmod. ſervitut. amittant. 345
in Quibus cauſſis reſtitutio in integrum neceſſaria non eſt, vel minoribus denegatur. 210
Quibus modis uſusfructus amittitur, vel finitur. 363
Qui pet. tutor., vel curator. 91
de Redditione rationum. 163
de Rerum diviſione. 212
de Reſtitut. minor. adverſ. heredit. aditam, vel repudiat., eamve cum benefic. inventarii adeund. 201
de Reſtit. minor. adverſ. uſucap. 207
de Reſtitut. minor. in judicio, ſeu adverſ. confeſſ., & rem judic. 204
de Reſtitutione reliquorum, & damno a tutoribus, vel curatoribus dato reficiendo. 178
de Reſtitutionis effectibus. 210
de Revocandis donationibus. 402
de Satiſdat. tutor., & curat. 106
de Servitutibus, & modis, quibus conſtituuntur. 310
de Servitutib. prædior. ruſticor. 327
de Servitutibus prædior. urban. 315
Si adverſus fidejuſſ., dot., jusjurand., vel locat. reſtit. petat. 198
Si adverſus venditionem, & tranſactionem reſtitutio petatur. 196
Si major factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit. 138
de Sponſalibus, matrimonii effectibus, & divortio. 57
de Statutis. 19
de Suſpectis tutoribus. 160
de Temporibus in integrum reſtitutionis. 207
de Tutelis. 81
Ubi, & apud quem pupillus educari debeat. 112
de Vendendis rebus civitatis. 247
de Uſucapionib., & præſcript. 365
de Uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur. 364
de Uſufructu: quibus modis conſtituatur, & acquiratur. 345

Digitized by Google

CODICIS LIBER PRIMUS

TITULUS I.

De legibus, & conſtitutionibus Principum, & ſenatusconſultis.

DEFINITIO I.

Leges in ſtatu monarchico ferre poteſt ſolus Princeps nec non abrogare.

Leges ferre ſolius Principis eſt in ſtatu monarchico (1); nec non abrogare, cum unaquæque res eodem modo diſſolvi debeat, quo fuit colligata (2): quædam tamen leges ſunt, quarum nulla vis eſt, quia uſu receptæ non fuerunt (✠3); non ſane, quia ſubditi, invito Principe, poſſint a legis imperio ſe ſubducere; ſed quia Princeps, optimus ſubditorum pater, conſentire merito creditur, ut lex, quæ in ipſo limine non obſervatur, viribus careat, quaſi minus forte conveniens ſubditorum indoli, præſentibuſque rerum adjunctis: ſicut & interdum patitur, ut lex, quæ aliquandiu firmitatem habuit, deſuetudine, vel contrario uſu abrogetur.

(1) § *Sed & quod Principi 6 inſtit. hoc tit. de jur. natur. &c.* (1. 2), *l. 1 princip.*, *& § 1 ff de conſtitut. Princip.* (1. 4).

(2) *L. Nihil tam naturale 35 ff de reg. jur.*

(✠3) *V. Deciſ. 9 ſeptembris 1677. ref. D. Gabuti in cauſa Communitat. Ropoli contra Moniales S. Margaritæ civitatis Vercellarum. § Quo vero ad altum cenſum, ubi de cenſuum reductione ex edic. 26 februarii 1627.*

DEFINITIO II.

Interinatio omnino neceſſaria eſt, cum agitur de conceſſionibus Principis bonorum demanialium.

Nec populi conſenſus, nec interinatio pertinet ad legis eſſentiam, quæ a ſolius ſupremi imperantis arbitrio pendet (1); viribus tamen caret Principis decretum, ſi deficiat ſupremi Magiſtratus interinatio, quando de iis ſacris juſſionibus ſermo eſt, quibus Princeps aliquid donat, vel concedit, quod juribus, & bonis patrimonialibus ipſius, ſeu demanialibus contineatur; cum enim ſæpe fiat, ut hæc a Principe ementitis rationibus, & importunis precibus extorqueantur, merito conſtitutum eſt (2), ut omnes donationes, vel conceſſiones, quas a Principe fieri contingat, intra tres menſes a die conceſſionis ſupremæ Rationalium Curiæ exhibeantur, ut Magiſtratus de juſtitia reſcripti, & veritate cognoſcat, ita ut hujus interinationis, & approbationis defectu, quæ prius præſtanda non eſt, quam de veritate reſcripti appareat, viribus deſtituatur (✠3), quamvis in conceſſione appoſitæ ſint clauſulæ ampliſſimæ, laudatæ ſanctioni derogantes, vel ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis, motu proprio, & aliæ ejuſdem generis: pœna inſuper ſtatuta 100. aureorum præter beneficii inutilitatem in eos, qui quavis ratione illo uti

Digitized by Google

uti præſumpſerint, approbatione hac minime obtenta (4).

(1) *L. 1 princip., & § 1 ff de conſtit. Princip.* (1. 4).

(2) *Edict. D. Emmanuelis Philiberti 1 maji 1578 apud Borel. pag. mihi 462, V. Reg. conſtitut. lib. 6 tit. 1 cap. 1. § 3, & potiſſimum eod. lib. 6. tit. 2. § 11. & ſeq.*

(✠3) *Dec. 11. febr. 1736. ref. D. Perno in cauſa feudorum Faxini, & Mellis n. 20 § Ultra defectum. Ita et jam ſenſerat R. Camera 17 decembris 1724 pro civit. Montiscalerii contra Collegium PP. Societatis Jesu. § Il difetto però circa fin. ref. D. Collat. Balduino.*

(4) *Citat. edic. 1 maii 1578 in fin.*

DEFINITIO III.

Quid ſit regiſtratio, & quis ejus effectus?

Ab interinatione differunt verificatio, juſtificatio, & ſimplex regiſtratio. Verificatio nihil aliud eſt, quam cognitio, ſive inquiſitio, utrum preces veritate nitantur: juſtificatio eo tendit, ut cognoſcatur, an Principis reſcripto alterius jus lædatur: regiſtratio demum tunc locum haber, cum ſupremus Magiſtratus judicat, interinationem, ſeu approbationem non præſtari, tamen Princeps reſcriptum interinari omnino jubet, adeoque Magiſtratus ſimplex eſt executor (1): regiſtrationis autem hujus is eſt effectus, ut tandiu reſcripta vim habeant, quoadusque per concedentem tolerentur, vel per ſucceſſores non revocentur (✠2), etenim judices ſecundum leges, non ſecundum ſacras juſſiones ſententiam ferre debent (3).

(1) *Diſtinctionem hanc interinationem inter, & regiſtrationem a Senatu approbatam refert Sola dicta Gloſ. 2 de interinatione n. 23.*

(✠2) *D. Deciſ. 11 februarii 1736 ref. D. Perno in cauſa feudorum Fraxini, & Mellis num. 20, ubi agebatur de reuniendis demanio feudis perperam alienatis defectu cauſſa, & ſolemnitatum, ex præſcripto Reg. edic. 7 jan. 1720.*

(3) *Novel. 14 cap. 1, l. ult. cod. ſi contra jus, vel utilit. public.* (1. 22).

DEFINITIO IV.

Interinatio conformis præſumitur Regiis literis.

Quamvis regula ſit, in re præſertim feudali, aut demaniali, Regias literas ab interinatione vim capere (✠1), in dubio tamen non eſt præſumenda contradictio inter Regias literas, & interinationem (✠2); ſemper enim exiſtimandum eſt, Principem ea velle, quæ honeſta, & convenientia ſunt, ſupremos vero Magiſtratus juſtis Principis ſanctionibus adamuſſim obtemperare.

(✠1) *Ita habetur in Deciſ. 1 decembris 1716 ref. D. Richelmi in cauſa feudi Ronchi, & Zumaliæ artic. 1 § Et cum Regia Camera num. 13, ubi de reſtricta effrenata feudi conceſſione: atque alias ita jam deciſum traditur 8 novembr. 1657 ref. D. Galleani in cauſa Gay contra Raſinum. Ratio eſt, quia Regia Cameræ inter cetera præcipue commiſſa eſt Regii patrimonii conſervatio; V. Novel. 14 c. 1., l. ult. cod. ſi contra jus, vel utilitat. public.* (1. 22). *V. ſupra deciſ. 11. V. R. conſtit. lib. 6 tit. 1 cap. 1 §. 1 & ſeq.*

(✠2) *Deciſ. 19 auguſti 1746 ref. D. Celebrino in cauſa Reviſionis Bianco contra Canubium num. 66 in allegat.*

DEFINITIO V.

Præcipienti legi, vel prohibenti, quæ publicum bonum reſpiciat, renunciari non poteſt.

Permittentibus, & ſuadentibus legibus renunciari poſſe, apud omnes conſtat. Quod vero ad præcipientes, vel prohibentes ſpectat, diſtinguere oportet, an lex ad publicam utilitatem lata ſit, vel ſaltem admixtum habeat publici boni favorem: an privatorum tantum gratia fuerit

fuerit conſtituta. In prima ſpecie legi renunciari nequit (1); jus enim publicum privatorum pactis immutari non poteſt (✠2). Si vero de legibus privatorum dumtaxat gratia latis quæſtio ſit; cum nemo prohibeatur juri pro ſe lato renunciare (3), valent, quæ contra legem geſta ſunt, dummodo conſentiant illi, de quorum re agitur (4).

(1) *L. Juris gentium conventiones 7. § Si paciſcar 14 ff de pactis* (2. 14).

(✠2) *L. Jus publicum 38 ff de pact., l. Neratius quærit 20 ff de relig. & ſumpt. fun.* (11. 7)., *l. Quod bonis 15. § 1 ff ad l. falcid.* (35. 2), *Deciſ. 25 januarii 1736 ref. D. Dani in cauſa Aſteſani contra Brunettos. § Neque hæc: ubi traditum, ſolemnitati de inſinuandis donationibus, ne mutuo quidem conſenſu, renunciari poſſe, utpote juris publici, & ob publicum commodum inductæ, Fab. cod. de inſinuandis donat. lib. 8 tit. 46 def. 9.*

(3) *L. Si quis in conſcribendo 29 cod. de pactis* (2. 3).

(4) *L. ult. cod. ad ſenat. conſult. Macedon.* (4. 28). *Similia exempla ſuppeditant l. Etſi contra 6 cod. de nuptiis, l. unic. § Provincias vero 2 cod. de contract. jud.* (1. 53).

DEFINITIO VI.

An lex fundata in præſumtione periculi in omni caſu vires ſuas exerat?

Quamquam publice intereſt, ut ſerventur leges, etiam quæ latæ ſunt ob præſumtionem periculi, puta quæ mulieribus prohibent fidejuſſionem ob nimiam earum facilitatem (1), minoribus bonorum immobilium alienationem propter conſilii imbecillitatem (2); ita ut traditum ſit, nec ante legitimam ætatem bonorum adminiſtrationem minoribus, licet rem ſuam bene gerentibus, committi debere (3). Conſtans tamen regula eſt apud ſupremos Magiſtratus, non vitiari minoris contractum ob defectum ſolemnitatum, ſi contractus minori utilis fuerit (✠4), ne ſanctio in ipſorum utilitatem lata in damnum eorundem retorqueatur (5).

(1) *L. 1, & paſſim ff ad S. C. Vellejan.* (16. 1).

(2) *L. 1 princip., & § 1 ff de minoribus* (4. 4).

(3) *D. l. 1 § ult. ff de minorib.*

(✠4) *Deciſ. 20 decembris 1689 ref. D. Malherba in cauſa utrinque Pocchetini. § Idcirco, quum de utilitate.*

(5) *L. Quod favore 6 cod. hoc tit.* (1. 14), *l. Nulla juris 25 ff hoc tit.* (1. 3).

DEFINITIO VII.

Æquitatem contra jus ſcriptum ſequi judices pro arbitrio non poſſunt.

Judicibus licet utique æquitatem ſequi, cum deficit ſcriptum jus (1), ſed ſeveritas legis diligenter cuſtodienda eſt contra æquitatem, quoties & illa a poteſtatem habente conſtituta eſt (✠2); æquitas enim non ſcripta non venit attendenda, ſed rigor juris; ratio eſt, quia non dicitur æquitas illa, quæ contra jus ſcriptum ortum trahit ex motu, & affectione animi particulari, immo per judices vitanda, & ſecundum eam nullatenus judicare poſſunt (✠3). Hinc Modeſtinus ſcripſit, nullam eſſe ſententiam contra juris rigorem latam, ita ut nec neceſſaria ſit appellatio, nec in rem judicatam ullo tempore ſit tranſitura (4).

(1) *L. Dedit nobis 3. § Si vero 18 cod. de veter. jur. enucleand.* (1. 17), *l. In ſumma 2. §. Item Varus 5 ff de aqua, & aqu. pluv. arcend.* (39. 3).

(✠2) *L. Proſpexit 12. § 1 ff qui, & a quib. manumiſſ.* (40 9). *Æquitatem ſequimur, cum jure deficimur, jus autem ſcriptum ſequimur contra æquitatem. Verba ſunt ſenatusconſulti 1 ſeptembris 1752 ref. D. Buzano in cauſ. viduæ Franconi Bruni contra viduam Franconi de Surdis in fine.*

(✠3) *Utor verbis Senatusconſult. 2 junii 1724 ref. D. Comit. Provana in cauſa Marchion. Natta Guiſcardi contra procuratorem Bovium. § Cum poſtea.*

(4) *L.*

Digitized by Google

(4) *L. Si expreſſim 19 ff de appellat.* (49 1).

DEFINITIO VIII.

Leges naturali æquitati conſentaneæ per interpretationem facile extenduntur.

Leges, quæ honeſtati maxime conſentaneæ ſunt, quales habentur, quæ filiorum præ extraneis inſtitutionem adſtruunt, interpretationem extenſivam facile admittunt (1); ordo enim charitatis in dubio ſemper prævalere debet (✠2): ſicuti & illæ, quæ alteri proſunt, & nemini nocent (3).

(1) *Aliam eſſe cauſſam inſtitutionis, quæ benigne acciperetur, L. Cum quidam 19 ff de liber., & poſthum.* (28. 2).

(✠2) *L. Qui filiabus 17 ff de legat.* 1, (30. 1), *Deciſ.* 4 *julii* 1735 *ref. D. Laurenti in cauſa Leonardi contra concurſ. creditorum.* § *Ultraquamquod num.* 33.

(3) *Jure ergo tradit Paulus, utilem actionem dandam ei, qui in alterius agro reſtituere vult aggerem, qui ſibi prodeſt, alteri vero non noceat, ita ſuadente æquitate, l. In ſumma 2.* § *Item Varus 5 ff de aqu., & aqu. pluv. arcend.* (39 3).

DEFINITIO IX.

Prohibitus alienare non poteſt confirmare alienationem.

Cum legislator velle præſumatur, ut ſanctiones ſuæ plenum ſortiantur effectum; nec tamen omnes articuli legibus comprehendi poſſint (1), conſequens eſt, leges prohibentes extendi ad ea omnia, quæ ex prohibitione ipſa conſequuntur. Hinc minor, vel quiſquis minoris jure cenſetur, alienare prohibitus factam alienationem confirmare non poteſt (✠2).

(1) *L. Neque leges* 10, *& ſeq. ff hoc tit.* (1. 3).

(✠2) *Argum. l.* 1, *&* 2 *cod. ſi major fact. &c.* (2 46), *Deciſ.* 30 *auguſti* 1736 *ref. D. Caſſotti in cauſa Loci pii ſanctæ Coronæ, & Marchion. Phœbi de Adda contra Civitat. Mortarii.* § *Denique inefcax erat.*

DEFINITIO X.

Leges pœnales extendi poſſunt ex rationis identitate.

Leges pœnales ut plurimum ampliationem utique refugiunt, nec ultra anguſtos verborum legis fines extenduntur (1); cognatio enim, quam natura inter omnes homines conſtituit (2), nos monet, ut clementiam, atque benignitatem ſeveritati præferamus; atque hæc in dubio præſumitur legislatoris voluntas (3). Si tamen in altero caſu adſit ratio eadem, quæ eſt in ſpecie, de qua lex pœnam ſtatuit, jure extenditur pœnalis lex (✠4); nimirum ex legis ſententia, quamvis deſint ejus verba (5).

(1) *L. penult. ff de pœnis* (48. 19), *l. Factum cuique* 155. § *In pœnalibus 2 ff de Reg. jur.*

(2) *L. Ut vim 3 ff de juſt., & jur.* (1. 1).

(3) *L. Benignius 18 ff hoc tit.* (1. 3).

(✠4) *Deciſ.* 27 *martii* 1730 *ref. D. Marelli in cauſa Communit. Noni contra Vaſſallum ejuſdem loci.* § *Quapropter, ubi prohibitio coquendi panem extra furnos Vaſſalli extenditur ad prohibitionem introducendi exteri panis.*

(5) *Verbum ex legibus ſic accipiendum, tum ex legum ſententia, quam ex verbis, l. Nominis 6.* § *1 ff de verb. ſignif.*

DEFINITIO XI.

Leges municipales juri communi contrariæ ſtrictam plerumque recipiunt interpretationem.

De edictorum, aliarumque legum municipalium interpretatione ſpecialis vulgo recepta eſt regula, ſtrictam illa recipere interpretationem, ſi modo juri communi contraria ſint (✠1): ita ut ne ex identitate quidem rationis, vel etiam majori-

Digitized by Google

majoritate extendenda ſentiat Faber, cum caſus ille, in quo eadem, vel etiam major viget ratio, deciſus eſt a jure communi (2); unde ſequitur, quidquid novo Principis edicto non videtur expreſſum, vel inductum, id veterum legum, conſtitutionumque regulis relictum intelligi debere (✠3). Ratio in eo eſt, quod jus commune veluti propria cujuſque Principis lex conſideratur, lex autem poſterior priorem abrogare non exiſtimatur, niſi aliud manifeſte appareat. Hæc tamen iis tantum ſpeciebus accommodanda ſunt, quibus, aliud Principem voluiſſe, non appareat, vel ex verbis ipſius edicti, vel ejus ratione; cum enim Romanum jus ex libera dumtaxat Principis voluntate vim legis obtineat, ut apud omnes conſtat, nihil impedit, quominus pro arbitrio poſſit illi derogare, prout juſte aliquando velle poteſt; nec enim omnia, quæ Romanorum moribus convenientia erant, diverſarum nationum indoli, diverſiſque rerum adjunctis neceſſario, aut perpetuo congruunt.

(✠1) *Deciſ.* 10 *martii* 1732 *ref. D. Demorra in cauſ. Freylinæ Rombelli contra Comit. Rombelli.* § *Verumtamen Senatus, ubi de Regia lege filiam excludente a legitima neutiquam extendenda ad caſum non expreſſum, Deciſ.* 11 *martii* 1733 *ref. eod. in cauſa Pronæ contra Pronum, in qua traditur ſtatutum excludens filias a ſucceſſione non eſſe extendendum, ut excludat a dote, niſi in caſum nuptiarum, ſeu ut dos tantum ſolvi debeat occaſione nuptiarum.*

(2) *Fab. cod. de legib. lib.* 1 *tit.* 5 *def.* 1.

(✠3) *L. Præcipimus* 32. § *ult. cod. de appellat.* (7. 62), *Deciſ.* 2 *decembris* 1733 *ref. D. Blavet in cauſa utrinque Verdun poſt num.* 16.

DEFINITIO XII.

Reſcriptum obreptum, vel ſubreptum nullius eſt roboris.

Reſcripta Principis ſive gratiæ ſint, ſive juſtitiæ nullius roboris ſunt, ſi ſubreptionis, vel obreptionis vitio laborent (1), ideſt ſi reticita fuerit veritas, quæ Principem a reſcribendo deterrere potuiſſet; vel narrata falſitas, ex qua Princeps ad reſcribendum motus fuit (✠2); quamvis conſentanea legibus ſint: niſi forte impetrans per ſimplicitatem, vel ignorantiam falſum expreſſiſſet, vel ſuppreſſiſſet verum (3). Imo & graviter puniendus decernitur iniquus mentiens, ſi nimia ejus detegatur improbitas (4): pœna etiam legis Corneliæ de falſis ſubjiciendus (5).

(1) *L. Si quis obrepſerit* 29 *ff ad leg. Cornel. de falſis* (48. 10).

(✠2) *Deciſ.* 17 *febr.* 1730 *ref. D. Sclarandi in cauſa fratrum Marchion., & Comit. Scarampi de Cairo, & aliorum contra Marchion. Scarampum Mioliæ.* § *Secundo corruit, & ſeq. num.* 51, *ubi contractus de feudo, Principe licet conſentiente, nullus habitus fuit, quia Principi plures res facti contra veritatem expoſitæ fuerant, aliæ vero prætermiſſæ, Deciſ.* 16 *novembris* 1648 *ref. D. Filippa in cauſa Ferreri, Maſſerati, & Ferraris.* § *Non ex eo, ubi reſcriptum impetratum ad prorogandum tempus redimendi adverſus venditorem, cum triennium jam elapſum fuiſſet a ſtatuto redimendi tempore; atque fundi poſſeſſionem in ſe translatam tertius aſſereret, quæ tamen expreſſa non fuerunt, tamquam ſubreptitium nullius roboris habitum fuit, Deciſ.* 14 *novembris* 1641 *ref. D. Beccaria in cauſa Feciæ contra Albergam in princip., ex qua obtentum reſcriptum ad differendam ſolutionem, reticito pacto reſolutivo in venditione adjecto, ſubreptitium pariter intelligitur, Dec.* 23 *junii* 1696 *ref. D. Avenato in cauſa Patrimonialis Generalis, DD. de Baleſtrino, & de Chialand.* § *In precibus enim, & ſeq. num.* 126, *ubi de obtenta feudi conceſſione a Principe, ad quem dubitari poterat, an devolutum fuiſſet, ſed reticito jure agnatorum, ad quos ſpectabat, tum ex inveſtitura, tum primogenii jure, Dec.* 13 *julii* 1739 *ref. D. Nomis in cauſa Menſæ*

Digitized by Google

Menſæ Epiſcopalis Vercellarum contra Marchionem Falletti a Barolo. § *Magnum ſiquidem num.* 28 *in fin. Porro cum agitur de re executioni mandanda petens tenetur demonſtrare reſcripti æquitatem, quia actoris partibus fungitur: neganti vero incumbit probatio iniquitatis, cum res executioni jam mandata eſt, quia contra ipſum ſtat præſumtio. Ricardi* (*ſent. judic. deleg.*) 16 *februarii* 1739 *in cauſa Bianquis contra de Molineriis.* § *Apertiſſimum tamen num.* 74.

(3) *Cap. ſuper literis* 20 *extra de reſcriptis* (1. 3).

(4) *L. penult. cod. ſi contra jus, vel utilit. publ.* (1. 22).

(5) *D. L. Si quis obrepſerit* 29 *ff ad leg. Cornel. de falſ. Apud nos, præter refuſionem damnorum, decem ſcutorum pœna mulctatur, quicumque per obreptionem, vel ſubreptionem reſcriptum a Principe, vel ſupremo Cancellario obtinuerit Reg. conſtit. lib.* 2 *tit.* 2 *cap.* 2. § 5.

DEFINITIO XIII.

Si quis plura obtineat reſcripta ad conficiendum inventarium, non facta priorum mentione, ſubrepſiſſe cenſetur.

Titius poſt obtenta bina reſcripta ad conficiendum inventarium, dummodo impedimenti allegati cauſſas coram judice competente demonſtraret, nihil tamen præſtitit. Poſtmodum a creditoribus conventus, tamquam qui ſimplex heres ſit, aliud obtinet reſcriptum ad perficiendum inventarium; nec tamen poſterioribus precibus meminit priorum reſcriptorum, quæ jam obtinuerat (1), hujuſce veritatis reticentia in cauſſa eſt, cur reſcriptum ſubreptitium judicetur (✠1); nec enim veroſimile eſt, Principem, ea cognita, fuiſſe ita reſcripturum, quia legitime impeditis Princeps ſuccurrere quidem præſumitur, non vero incurioſis, & qui Principis beneficio in aliorum perniciem abuti volunt. Atque idem ferendum eſt judicium in propoſita ſpecie de qualitate, & diuturnitate litis, & aliis meritis cauſſæ, quæ poterant Principem removere, vel difficiliorem reddere ad concedendam reſtitutionem; hæc enim omnia clare, non ſub involucro verborum, exprimenda ſunt, ne ſubreptionis vitio laboret reſcriptum (✠3).

(1) *Regio jure obreptitium, & nullum dicitur reſcriptum poſterius obtentum, nulla facta prioris jam obtenti mentione, atque illud obtinens ad refuſionem omnium damnorum adigitur, Reg. conſtit. lib.* 3 *tit.* 2. § 12.

(✠2) *V. Deciſ.* 15 *ſeptembris* 1659 *ref. D. Bellino in cauſ. Bruſenti, & Panealii.* § *Verum Senatus, & ſequ.*

(✠3) *D. deciſ.* § *Tenebatur etiam.*

DEFINITIO XIV.

An valeat reſcriptum Principis, ut cauſſa reconventionalis ſimul cum conventionali definiatur, ſi impetrans expreſſerit hanc ad jus poſſe aſſignari, cum jam eſſet aſſignata?

Titius a Sejo conventus ex cauſſa mutui viciſſim cauſſam reconventionalem adverſus Sejum inſtituit. Cauſſa reconventionali ad jus aſſignata, precibus Principi oblatis Titius obtinet, ut cauſſa reconventionalis ſimul definiatur; aſſerens tamen cauſſam conventionalem, non ad jus jam fuiſſe aſſignatam, ſed in eo tantum ſtatu eſſe, ut poſſit aſſignari: addens, reconventionalem cauſſam in eo quoque ſtatu eſſe, ut ad jus poſſit aſſignari: obreptitium hujuſmodi reſcriptum, adeoque nullius roboris eſt (✠1); narrata enim falſitas in cauſſa fuit, cur Princeps ita reſcripſerit: aliter, cognita veritate, reſcripturus (2), ne tamdiu judicium protraheretur (3).

(✠1) *V. Deciſ.* 28 *novembris* 1735 *ref. D. Grondana in cauſ. cauſidici Bonafide contra Comitem Audifredi.* § *Quo vero ad ſubreptionem.*

(2) *L. Si quis obrepſerit* 29 *ff ad leg. Cornel. de falſis* (48. 10), *l. penult. cod. ſi contra jus, vel utilitat. public.* (1. 22).

(3) *L. Properandum* 13 *cod. de judic.* (3. 1).

DEFI-

DEFINITIO XV.

Obreptum, vel ſubreptum cenſetur reſcriptum, cum res ſub involucro verborum callide, confuſe, & ambigue Principi expreſſa fuit.

Subreptum, vel obreptum, adeoque nullum eſt reſcriptum, cum, licet nulla ſit narrata falſitas, vel reticita veritas, res tamen ſub involucro verborum Principi expreſſa eſt, vel callida locutione, aut confuſa, & ambigua narratione, ut merito præſumi poſſit, Principem, qui, negotiorum multitudine impeditus, in veritatem eorum, quæ narrata ſunt, anxie exquirere non poteſt, ſi veritatem aperte cognoviſſet, non ita fuiſſe reſcripturum (✠1). Idem ferendum eſt judicium de eo, qui non utitur remediis opportunis, vel qui, ſolita via neglecta, recurrit ad diverticula (✠2).

(✠1) *Voet. in pandect. hoc tit. (de leg. 3, Deciſ. 15 ſeptembris 1659 ref. D. Bellino. in cauſa Bruſenti, & Panealii. § Tenebatur etiam.*

(✠2) *L. Si procuratorem 8. Quod &c. §8 ff mandati (17. 1), l. penult. cod. de naviculariis (11. 1), Deciſ. 11 febbr. 1736 ref. D. Perno in cauſa Procuratoris Generalis contra Comit. Falcombellum. § Secundo, & pro dicto num. 8.*

DEFINITIO XVI.

Reſcriptis, licet generalibus verbis concepta ſint, non intelliguntur indulta, quæ Princeps veroſimiliter non fuiſſet in ſpecie conceſſurus.

Reſcriptis, tameſi generalibus concepta ſint verbis, nunquam cenſentur tributa, vel conceſſa, quæ Princeps veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus (1): ſicut nec quæ prius ſpecialiter prohibita erant (✠2); in his enim ſpeciali opus eſt conceſſione, ne Principis beneficium ultra veroſimilem ejus mentem extendatur.

(1) *L. Qui peculii 46 ff de peculio (15. 1), l. Obligatione 6 ff de pign. (20. 1), Fab. cod. de ſervit. lib. 3 tit. 24 def. 7. Hinc colligit idem Faber, conceſſa a Principe alicui nobili univerſa juriſdictione, ſupremam exceptam cenſeri. Fab. cod. de juriſd. omn. jud. lib. 3 tit. 11 def. 17. Genus quidem ſpecies ſub ſe continet, ut docent philoſophi, ſed in rebus, quas natura ipſa conſtituit, quæque neceſſariam inter ſe connexionem habent. Verum in illis, quæ ab hominum voluntate pendent, mens loquentis potiſſimum inſpicienda; ita ut genus ſpecies quidem complectatur, cum veroſimile eſt, hanc fuiſſe Principis concedentis mentem; in ceteris vero generalis, & indefinita verborum ſignificatio ex proferentis conſilio explicanda eſt, & intra anguſtiores limites coercenda.*

(✠2) *Argum. l. Si mihi eodem 20 ff de ſervit. præd. ruſtic. (8. 3), Fab. d. def. 7 cod. de ſervit., Oſaſc. deciſ. 100 n. 11, Deciſ. 14 martii 1735 ref. D. Bianchis in cauſa Creſciæ contra civit. Caſalis, ubi, cum Creſcia tabernam in platea haberet, in qua ex antiqua Ducis Mantuæ conceſſione diverſas res venales exponere poterat, Senatus cenſuit, ad olera non extendi conceſſionem, quæ in dicta civitate ſpeciali dacito ſubſunt, niſi Creſcia cum conductore daciti prius conveniret.*

DEFINITIO XVII.

Reſcripta Principis ita ſunt explicanda, ne juris regulas, vel publicam utilitatem lædant, aut jus alteri quæſitum.

Principis reſcripta ita ſemper interpretanda ſunt, ne publicam utilitatem, vel generales juris regulas oppugnent (1), nec jus alterius lædant (2); licet enim poſſit Princeps ex juſta, & legitima cauſſa, puta in pœnam delicti, vel in favorem reipublicæ, ſaltem in modico, jus alterius lædere (✠3), potiſſimum ſi ex jure civili quæſitum ſit (4): id tamen, cum exceptio potius regulæ ſit, nunquam temere eſt præſumendum, ne in eo quidem

Digitized by Google

dem caſu, quo adſint clauſulæ motu proprio, vel æquivalentes (✠5).

(1) *L. ult. cod. ſi contra jus vel utilit. public.* (1. 22).

(2) *L. Prætor ait* 2. §. *Si quis a Principe* 16. *ff. ne quid in loco publ.* (43. 8).

(✠3) *Theſaur. deciſ.* 15, *ubi de poſſeſſorio ante petitorium tractando, Deciſ.* 12. *junii* 1680 *ref. D. Torrini in cauſ. Trombettæ contra Com. Montis Carpelli.* § *Potuiſſet opportune num.* 7, *ubi de literis moratoriis debitori ad ſolvendum conceſſis.*

(4) *Fab. cod. ſi contra jus &c. lib.* 1 *tit.* 11. *def.* 1.

(✠5) *Dec.* 7 *aprilis* 1742 *ref. D. Perno in cauſſa feudi Taioli.* § *Item ex manifeſta num.* 96 *Fab. cod. de diverſ. reſcrip. lib.* 1 *tit.* 12 *déf.* 1, § *ult. Inſtit. de his qui ſunt ſui, vel alien. juris*, *l. Nec avus* 4 *cod. de emancip. lib. l. Reſcripta* 7 *cod. de precib. Imperat. offerend. l. Quoties* 2, *L. Univerſa* 4 *cod. eod. tit* (1. 14).

DEFINITIO XVIII.

Clauſulæ geminatæ enixam Principis voluntatem demonſtrant.

Clauſulæ geminatæ oſtendunt certam Principis voluntatem, & ſcientiam (✠1), quo fit, ut difficilius præſumatur obreptum, vel ſubreptum reſcriptum, quale nec in dubio præſumi debet, ut doli ſuſpicio vitetur (2).

(✠1) *Deciſ.* 30 *maii ref. D. Vaſco in cauſſa D. De Malines contra D. Proc. General.* § *Aut. de voluntate num.* 22.

(2) *L. Merito* 51 *ff pro ſocio* (17. 2).

DEFINITIO XIX.

Reſcriptum circumſcribens ſententias non irritat eas, quæ in rem judicatam tranſierunt; poteſt tamen in his Princeps reſtituere.

Reſcriptum Principis, quo latæ a quibuſcumque judicibus ſententiæ circumſcribantur, ad eas pertinere non intelligitur, quæ in rem judicatam, cujus præcipuam decet eſſe vim, tranſierunt (1): necprodeſt clauſula reſcripto adjecta, non obſtante tali ſententia (✠2); quamvis enim nemo inficietur, quin ex ſuprema auctoritate poſſit Princeps reſtituere adverſus hujuſmodi ſententias (✠3), nunquam tamen id facere cenſendus eſt; niſi aperte conſtet, cum reipublicæ summopere interſit, ne in irritum cadant (4).

(1) *L. ult. cod. ſenten. reſcind. non poſ.* (7. 50).

(✠2) *Deciſ.* 3 *junii* 1643 *ref. D. Piſcina in cauſſa Richelmi contra jugales De Pretis in fine.*

(✠3) *D. Deciſ. in fine.*

(4) *D. l. ult. cod. ſent. &c.*, *l.* 1, & 2 *cod. ut lit. pendent.* (1. 21).

DEFINITIO XX.

An epiſtolæ reſcriptis contrariæ recipi debeant.

Magiſtratus quidem Regias epiſtolas regulariter non admittit contra reſcripta legitime expedita: ſi tamen res favorabilis ſit juri, & æquitati conformis, facilius recipi poſſunt: potiſſimum ſi de poſterioris reſcripto derogatoriæ epiſtolæ veritate non niſi temere dubitetur (✠1): puta ſi inſignis Principis miniſter hanc eſſe Principis mentem ſibi ore tenus confirmatam referat.

(✠1) *Deciſ.* 14 *aprilis* 1673 *ref. D. Torrini in cauſſa Comit. a Ponte contra Comit. a Lucerna.* § *Nec tandem refragabatur: ubi poſteriori Principis placito mandabatur, ut poſſeſſorium a petitorio judicio ſejungeretur: potiſſimum, quia Senatus Præſes profeſſus fuerat, hanc eſſe mentem Principis ſibi ore tenus confirmatam.*

DEFINITIO XXI.

Forenſes, ſicut fruuntur juribus realibus loci, ita & oneribus rei impoſitis ſubjiciuntur.

Quamquam forenſes ratione perſonæ

a

Digitized by Google

a legislatoris imperio ſolutos eſſe conſtat, ratione tamen rerum, quæ in ejus ditione ſunt, dubitari non poteſt, quin ei ſubjiciantur (1). Ergo, ſicuti forenſes fruuntur juribus realibus, puta paſcuorum loci ubi, bona ſita ſunt (✠2), ita æquum eſt, ut ad ea onera, & leges teneantur, quæ res ipſas præcipue reſpiciunt (✠3). Lex, quidem in dubio pro ſolis ſubditis lata cenſetur, ſed ex cauſſa, & ratione legis ferendæ omne dubitationis argumentum tollitur.

(1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 1 tit. 5 def. 2.*

(✠2) *Sentent. ſenat. menſ. febr. 1738. ref. D. Laurenti in cauſſa communit. Buſſolini contra communit. Matthiæ.*

(✠3) *Deciſ. 30 maii 1642. ref. D. Beccaria in cauſſa civit. Cherii contra opponentes. § Quibus adducti rationibus, ubi traditum, forenſes teneri ad contributionem pro pecunia data officialibus, qui minabantur deprædationem civitatis, ea ratione, quia in his inſpicitur cauſſa bonorum, quæ & forenſes tangit.*

DEFINITIO XXII.

Privilegium perſonale cedi non poteſt, utique reale.

Realia a perſonalibus privilegiis in eo differunt, quod, perſonalia cum perſona extinguuntur, realia vero ad heredes, & quoſcumque rei poſſeſſores tranſeunt (1), quamdiu permanet res cui inhærent (2): privilegium autem collegio, vel universitati conceſſum perpetuum eſt (3); quia, licet ſingularia deficiant membra, per aliorum ſubrogationem perpetuo vivere eadem communitas exiſtimatur (4). Atque hinc privilegia perſonalia cedi non poſſunt, ne ita privilegiarii perſonam egrediantur contra voluntatem concedentis: transferri vero ceſſione valent privilegia realia cum ipſa re, quam perpetuo comitantur (✠5).

(1) *L. Privilegia 196. ff. de Reg. jur., l. Quia tale 14. ff. ſolut. matrim. (24. 3), l. Ex pluribus 42. ff. de adminiſtrat., & peric. tut. (26. 7).*

(2) *L. Nihil dolo 129. §. 1. ff. de Reg. jur.*

(3) *L. Forma cenſuali 4. §. Quamquam 3. ff. de cenſib. (50. 15).*

(4) *L. Sicut municipum 6. §. ult. ff. quod cujuſq. univerſit. num. (3. 4).*

(✠5) *L. In omnibus 68. ff. de Reg. jur., Deciſ. 25. maii 1665. ref. D. Garretti in cauſſa Advocat. Leandri Ferreri contra jugal. de Galleanis fere in princip.*

DEFINITIO XXIII.

An privilegia interpretatione ampliari poſſint?

Privilegia præter jus late interpretamur nec non ea, quæ alterius jus non lædunt, ſed concedentis tantum (1); quia ſumma præſumitur Supremi Imperantis clementia atque liberalitas: quod ad remuneratoria, & onerosa, vulgo traditur, accommodandum: modo in his quiſque probet ex parte ſua contractum impleviſſe: puta pecuniam in repenſationem debitam ſolvendo (✠2).

(1) *L. Beneficium ff. hoc tit. de legib. (1. 3). L. ſi quando 2. cod. de bon. vacantib. (10. 10).*

(✠2) *Deciſ. 4. ſeptembr. 1682. ref. D. Torrini in cauſſa civit. Cunei contra notarios opponentes cuſtodiæ, & hoſpitationis, ubi deciſum, privilegium notariis conceſſum exemptionis ab hoſpitatione militum, aliiſque oneribus perſonalibus media ſolutione finantiæ non aliter prodeſſe, præterquam ſi ſinguli ſolutionem factam probent.*

DEFINITIO XXIV.

An privilegia pro arbitrio concedentis revocentur?

In ea quæſtione, an privilegia concedentis arbitrio revocari poſſint diſtinguenda

guenda ſunt privilegia, quæ Princeps ex mero beneplacito indulſit, ab illis, quæ prævio contractu, vel meritorum intuitu tribuit. Prima pro arbitrio irrita facere poteſt (✠1); maxime ſi indefinite ſine ulla temporis adjectione conceſſa fuerint, vel conceſſionis tempore revocandi facultatem ſibi reſervaverit; hæc enim mero precarii jure retinentur, quod libere revocatur (2): poſteriora autem non item, nec niſi ob publicam utilitatem, vel in delicti pœnam, abrogari valent; modo poſtremo hoc caſu tota fere univerſitas nocens ſit, ſi de revocatione privilegii toti collegio tributo agatur; nec enim ob alterius crimen alter puniri debet, vel ulterius metus progredi, quam crimen proceſſerit (3). Quod vero ad onerosa pertinet, merito ſentit Oſaſcus (4), ea poſſe, a Principe ex plenitudine poteſtatis facilius revocari, ſi gratia longe præponderet.

(✠1) *Deciſ. 2. aprilis 1642. ref. D. Blancardi in cauſ. Germonii contra univerſitat. Aromatariorum. §. Prima ratio, ubi veteres aromatarii novum admittere perperam detrectabant tamquam ſupra numerum primitus privilegio præfinitum.*

(2) *L. 1. ff. de precario* (43. 26).

(3) *Peccata ſuos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. l. Sancimus 22. cod. de pœnis* (9. 47). *l. Crimen 26. ff. eod. tit.* (48. 19).

(4) *Oſaſc. deciſ. 139. num. 10.*

DEFINITIO XXV.

An privilegia per non uſum amittantur?

Privilegia affirmativa, quæ in nullius gravamen cedunt, per non uſum non amittuntur (✠1); nam in facultativis ex communi ſententia non currit præſcriptio. Idem affirmandum de privilegiis negativis nemini noxiis. Sed ſi affirmativa alterius damno ſint, non uſu per conſuetum temporis ſpatium, ad præſcribendum requiſitum, vulgo placet extingui, dummodo ex alterius parte accedat prohibitio, & ex parte privilegiarii acquieſcentia: ut & negativa ejuſdem conditionis per uſum contrarium; cum enim præſcriptione amitti quæcumque jura, indiſtincte cautum ſit (2), nulla ratio eſt, cur ab hac ſanctione privilegia eximantur (3). Sed ut privilegia per non uſum amittantur, plures requiruntur conditiones, quas alibi explicavimus (4).

(✠1) *Argum. l. Viam publicam 2. ff. de via publ.* (43. 11), *Deciſ. 5. ſeptembr. 1678. ref. D. Garetti in cauſſa Alferii contra Comit. Polentii, ubi de Cluſia in flumine ex privilegio facienda.*

(2) *L. Sicut in rem 3, l. ult. cod. de præſcript. XXX, vel XL annor.* (7. 39).

(3) *Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor lib. 7. tit. 13. def. 10.*

(4) *V. Juriſprud. tom. 1. §. 219., & ſeq. pag. 108.*

DEFINITIO XXVI.

Senatui objici non poteſt error juris, ſed tantum facti.

Cum Senatus vice Principis judicet, cujus perſonam repræſentat (1): adeoque non aliter putetur pro ſapientia ſua judicaturus, quam Princeps ipſe (2): error juris Supremo ordini objici non poteſt, ſed tantum facti, qui prudentiſſimos quoſque fallit (✠3). Hinc etiam fit, ut potius ex æquitate; quam ex mera juris ſubtilitate judicet (4), ita ut ſuppleat, quod deeſt ex actis (✠5), & proferre poſſit ſententiam etiam non conformem libello, videlicet cum, propoſita una actione, probata fuerunt extrema alterius (✠6).

(1) *Abeccleſ. obſer. 43. num. 12.*

(2) *Fab. cod. de ſentent. præſ. prat. lib. 7. tit. 14. def. 1.*

(✠3) *Fab. d. defin. 1., l. In omni parte 2. ff. de juris, & facti ignorantia,* (22. 6). *Reg. conſtit. lib. 3. tit. 27. §. 4., Deciſ. 17. maii 1731. ref. D. Caſſotti in cauſ. Fiandæ Carellæ contra fratres de Maſſena*

in

Digitized by Google

in princip., Deciſ. 11. ſeptembris 1745. ref. D. Viani in cauſſa Reg. procurat. contra Comit. Provana. §. Fiſco haud quieſcente num. 16.

(4) *Fab. cod. de ſentent. præfect. præt. lib. 7. tit. 14. def. 7.*

(✠5) *Fab. d. defin. 7., Deciſ. 20. januarii 1734. ref. D. Caſſotti in cauſſa concurſ. Marchion. Gattinaræ. §. Mutuam autem.*

(✠6) *Abecceleſ. part. 1. obſervat. 22. num. 17, Deciſ. 23. martii 1679, ref. D. Torrini in cauſſa Muſſanæ Cornaliæ contra Carlevaris. §. Superaddito, quod, Deciſ. 21. junii 1679. ref. D. Gabuti in cauſſa Caſſini contra univerſit. Prierii. §. Quia tamen lis agebatur.*

DEFINITIO XXVII.

Supremorum Magiſtratuum ſententiæ vim legis habent tantum in parte deciſiva, & motivis decidendi, non in ceteris.

Deciſiones Supremorum Magiſtratuum, quibus apud nos legis vis data eſt (1) publicam magiſtratus auctoritatem habent tantum in parte deciſiva, & motivis decidendi, non vero in cæteris, quæ capta occaſione præter judicandi neceſſitatem, atque ornatus potius gratia, in explicando Senatusconſulto deciſionis collector interlocutus eſt (✠2); illud enim Senatus non agnoſcit ipſius placitum, ſed collectoris ſuperadditum ex proprio ſenſu, adeoque privata quidem auctoritate æſtimatur, non publica fulcitur, quemadmodem in deciſionibus Oſaſci, & Theſauri apparet. Quamquam revocari in dubium non poteſt, quin magni facienda ſit tantorum virorum, privata licet auctoritas, & ſapientia.

(1) *Reg. conſtit. lib. 3. tit. 22. §. 15.*

(✠2) *Deciſ. 12. decembris 1738. in cauſſa Marchionis Giſlerii, & de Selvaticis contra Comit. de Giſleriis ref. D. Caſſotti. §. Nec etiam ſatis num. 37.*

TITULUS SECUNDUS

De Statutis.

DEFINITIO I.

Univerſitates poſſunt ſtatuta condere, quibus bonorum ſuorum adminiſtrationi, & publicæ utilitati conſulant.

In ea quæſtione, utrum univerſitates, quæ Principi ſubſunt, poſſint ſtatuta, condere, placet diſtinctio inter ſtatuta, quibus bonorum ſuorum adminiſtrationi, vel publicæ utilitati proſpiciunt; atque ea, quibus civium actibus jus dicatur. Prioris generis ſtatuta ferre poteſt quælibet communitas (1): puta inducere jus protomiſeos, ſeu retractus (✠2): cavere, ne jumenta, vel oves paſcantur in bonis territorii, non obſtante quaſi poſſeſſione fundata in facultate olim ab eadem univerſitate conceſſa, quam, ſicuti libere conceſſit, ita pro arbitrio revocat (✠3): ne capræ, vel oves in territorio retineantur (✠4): dummodo nihil ſtatuat, quod publicis legibus contrarium ſit (5); in his etenim potius uti videtur facultate cuique competente, ut rebus ſuis proſpiciat, quam legem ferre. Atque jus hoc competere videtur non tantum communitati perfectæ, quæ alteri univerſitati non ſubeſt, ſed ſoli Principi; verum & imperfectæ, quæ alterius pars eſt, atque ab ea dependet; ſubjectio enim hæc impedire non poteſt, quin de bonis propriis libere diſponat, & propriæ indemnitati conſulat: dummodo nihil ſtatuat, quod ſuperioris univerſitatis legibus repugnet (6).

(1) *L. ult. ff. de colleg., & corporib.* (47. 22).

(✠2) *Deciſ. 26. april. 1679. ref. D. Richelmi in cauſſa univerſitat. S. Michaelis contra particulares oppidi Elvæ marchionat. Salutiarum. §. Domini tamen.*

(✠3) *Deciſ. 13. ſeptembris 1742. ref. D. Enrici in cauſſa univerſitat. Lombardo-*

Digitized by Google

rii contra Nonnullos homines ejuſdem loci.

(✠4) *Deciſ. 27. april. 1675. ref. D. Gabuti in cauſſa communitat. Tranæ, & Comit. Orſini. §. Ex prædictis, Deciſ. 27. februarii 1657. ref. D. Beccaria in cauſſa communitat. Clavaſci contra particulares.*

(5) *D. l. ult. ff. de colleg., & corporib.*

(6) *Argum. d. l. ult. ff. de colleg., & corporib.*

DEFINITIO II.

Statuta, quibus civium actibus jus dicitur, univerſitas condere non poteſt, niſi obtenta a Principe facultate, quæ a ſupremis magiſtratibus interinata ſit.

Quod vero pertinet ad ea univerſitatum ſtatuta, quibus civium actibus, & negotiis jus dicitur, communis ſententia eſt, non aliter univerſitatibus hanc competere facultatem, præterquam ſi eam a Principe obtinuerit, eaque a Supremis Magiſtratibus fuerit interinata(✠1); cum enim penes Principem Majeſtas ſit, adeoque legis ferendæ auctoritas, quæ illius conſectarium eſt, ſubditis licere, non debet, eo incoſulto, nec auctorante, leges ferre (2).

(1) *Deciſ. 11. martii 1733. ref. D. Meynier in cauſſa Pronæ contra Pronum. §. Verum ne ambitioſe, Deciſ. 10. decembris 1697. ref. D. Fecia in cauſſa utrinque de Ripa in fine, Deciſ. 26. aprilis 1635. ref. D. Piſcina in cauſſa de Zuchetis contra Corte. §. Supereſt quarta, & ultima quæſtio num. 8, & ſeq., ubi idcirco nullius roboris habita fuit reformatio ſtatuti Taurinenſis facta a decurionibus ex qua filiæ ad ſucceſſionem domorum in civitate Taurini exiſtentium agnatis excluſis admiſſæ fuerant, Deciſ. 22. junii 1735. ref. D. Demorra in cauſſa ſtat. Comit. Co.ti contra Angleſium. §. Quærebatur poſt num. 43., ubi & nulla habita fuit eadem ſtatuti Taurinenſis reformatio.*

(2) *L. 1. ff. de conſtitut. Princip. (1. 4).*

DEFINITIO III.

An ſufficiat facultas a Principe generatim conceſſa, an ſpecialis requiratur?

Sed dubitari poteſt, utrum facultas hæc, ſeu approbatio ſpecifica eſſe debeat, an vero ſufficiat generica, qua univerſitati indulgeat Princeps, ut ſtatuta condere poſſit: generalis ſufficere poteſt maxime in antiquis, & longo uſu firmatis (✠1), niſi forte adverſentur ejuſdem Principis conſtitutionibus, quibus derogare velle non præſumitur (2). Aliud dicendum, ſi Principis lex, vel recepti mores contrarium ſuadeant. Nec dubium, quin longe tutius, imo & convenientius ſit, ſpecialem approbationem, & facultatem a Principe obtinere; potiſſimum ſi de novis ſtatutis condendis quæſtio ſit: atque ita paſſim obſervatur.

(✠1) *D. Deciſ. ref. D Meyner. §. Quin ol eſſe. Jus enim Regium ſimpliciter approbationem requirit, V. Reg. conſtit. lib. 3. tit. 22. §. 15. Hinc Senatus valida cenſuit ſtatuta Cunei, & Regia approbatione ſatis munita ex tenore inſtrumenti deditionis ejuſdem civitatis 10. aprilis 1382, in quo inter cetera pacta illud continetur, quod omnia capitula Cunei facta, & facienda per commune Cunei ſint, & intelligantur approbata, confirmata, & ratificata: ita quod dicta comunitas poſſit, & valeat dicta capitula aptare, & denuo conficere, & ordinare, Deciſ. 13. ſeptembris 1731. ref. D. Cavalli in cauſſa Comit. Mochia contra fr. de Brunis.*

(2) *Argum. d. l. ult. ff. de colleg. & corporib. (47. 2).*

DEFINITIO IV.

Statutum legitime conditum tamdiu durat, donec abrogetur.

Statutum ſemel a Principe probatum perpetuo vim ſuam exerit, donec alia lege,

Digitized by Google

lege, contrario uſu, vel deſuetudine abrogetur: quin neceſſe ſit, ut ab unoquoque Principe ſpecialiter probetur, vel confirmetur (✠1); tum quia beneficia Principis, quæ latiſſimam recipiunt interpretationem, perpetua etiam in dubio reputantur (2); tum quia mutatio voluntatis in Principe, quæ nunquam præſumitur, difficilius admitti debet in iis rebus, in quibus plerumque noxia eſſet publicæ incolumitati.

(✠1) *Sententia Senat. 22 martii 1771 Ref. D. Selarandi in cauſſa utrinque Falla. Jus regium ad vim ſtatutorum unice requirit, ut a Principe quandocumque fuerint probata, Reg. conſtit. d. lib. 3. tit. 22. §. 15.*

(2) *L. Penult. ff. de conſtit. prin.* (1. 4).

DEFINITIO V.

Legitima univerſitatis congregatio requiritur ad ſtatuta condenda.

Univerſitas legitime congregata non cenſetur ſive ad ſtatuta condenda, ſive ad alios quoſcumque actus, niſi conſiliarii in loco publico, et conſueto congregati fuerint (✠1).

(✠1) *Deciſ. 5 junii 1665 Ref. D. Sandiliano in cauſſa vaſſallorum feudi Monalis cont. univerſitat. ejuſd. loci L. obſervare 2. cod. de decurionib.* (10 31), *L. ult. cod. de legationibus* (10. 63), *Theſaur. deciſ. 157. num 3, v. Reg. diploma 6 junii 1775 de adminiſtr. rerum ad univerſitates pertinentium tit. 1. §. 7. et seqq.*

DEFINITIO VI.

An ſtatuta alterius loci allegare ſufficiat?

Cum ſtatuta res facti ſint, quæ non præſumuntur, ſed probari debent (1), merito traditum, ſtatuta potiſſimum alterius loci exhibenda eſſe; nec ullam haben dam eſſe rationem exempli ſumpti, non vocata parte (✠2).

(1) *L. Ab ea parte 5 princ., & §. 1., L. Quoties operæ 18. ff. de probat.* (22. 3).

(✠2) *Deciſ. 11. martii 1643. Ref. D. Carocio in cauſſa utrinque Polla §. ſtatuti vero exclusivi. Quæ de exemplis inſtrumentorum apud nos vigeant, vide juriſprud. tom. 11. pag. 250. §. 898. & ſeqq.*

DEFINITIO VII.

Quibus caſibus ſtatuti obſervantia probanda ſit?

Cum ſtatuta, tametſi legitime condita ſæpe abrogentur contrario uſu, vel deſuetudine, cujus eadem ac legis vis eſt (1); contingere aliquando poteſt, ut eorum obſervantia probari debeat, ſi contra eam graves urgeant præſumtiones (2). Quia tamen lex de ſe perpetua eſt, & mutatio, utpote res facti, non præſumitur (3), ſtatutum legitime latum, & publicatum, maxime ſi civium moribus receptum fuerit, præſumitur in obſervantia; atque ideo aſſerens non tenetur ejus obſervantiam probare, ſed negans inobſervantiam (✠4); cum enim tunc præſumtio ſit contra negantem, eidem probatio incumbit (5). Imo, cum una, et eadem res non debeat diverſo jure cenſeri, ex unius partis obſervantia præſumitur obſervantia alterius, niſi aliud edoceatur (✠6).

(1) *L. De quibus cauſſis 32. §. 1. ff. de legib.* (1. 3).

(2) *L. Ab ea parte 5. princip. & §. 1. ff. de probat.* (22. 3).

(3) *D. L. 5. §. 1., & l. Quoties operæ 18. ff. eod. tit.*

(✠4) *Deciſ. 17. junii 1692. Ref. D. Bergeria in cauſſa Comit. Capris contra Comit. Angionum, & Fornerium §. Ea receptiſſima eſt, & ſeq. prop. fin. V. deciſ. 25. junii 1674. ref. D. Avogadro in cauſ. utrinqu. Richieri §. An primo quidem, & ſeqq.*

(5) *L. In exceptionibus 19. ff. de probat.*

(✠6) *Deciſ. 13. ſeptembris 1731 Ref. D.*

D. Cavalli in cauſſa Mocchia contra fratres de Brunis in fin., ubi ſenatus cenſuit, ſtatuta Cunei, ex quibus domorum retractus conſanguineis conceditur, reputanda eſſe in viridi obſervantia etiam ratione cognatorum, licet exempla in actis allata retractus domorum, quæ effectum ſortita ſunt, reſpicerent tantum attinentes ex parte patris.

DEFINITIO VIII.

Quibus modis probetur ſtatuti obſervantia?

Varii modi ſunt, quibus ſtatuti obſervantia probari poteſt, videlicet inſtrumentis, judicum pronunciationibus, vel teſtibus, qui ſint ætate majores, unanimes deponant de ejus executione, referendo ſigillatim caſus, & res judicatas: vel teſtentur, vidiſſe, ita obſervatum ab antiquioribus, licet actus, & ſententiæ non proferantur; nec enim neceſſe eſt, ut obſervantia probetur contradicto judicio (✠1); quamquam potior hæc ratio probandi eſt (2).

(✠1) *Deciſ. 31. martii 1735. ref. D. Grondana in cauſſa Bonini contra Vaninum §. Tertio quia de Regia approbatione num. 2., V. Deciſ. 9. decembris 1697. ref. D. Fecia in cauſſa utrinque de Ripa §. Verumtamen non parvam, in qua teſtibus fides adhibenda non aliter traditur, quam ſi inſtructi veroſimiliter ſint; atque caſus, de quibus deponunt, concludant ad univocam obſervantiam.*

(2) *L. Cum de conſuetudine 34. ff. hoc tit.* (1. 3).

DEFINITIO IX.

Quid ſi liber ſtatutorum in archivio communitatis reperiatur; non tamen inſcriptum, nec ſubſcriptum?

Valet ſtatutum, licet ſcriptum non ſit, aut in ſtatutorum libro notarii authenticum, Principis, vel univerſitatis inſcriptio non inſpiciatur, modo conſtet de veritate libri, & ſtatuti obſervantia: maxime, ſi liber ille in publico univerſitatis archivio cuſtodiri ſoleat (✠1); ſi enim libri acceptorum, vel expenſorum in archiviis monaſterii fidem faciunt in antiquis etiam contra tertios (2), potiori ratione fides eſt adhibenda libris ſtatutorum in archivio communitatis ſervari ſolitis, quibus non de jure tertii, ſed de publico univerſitatis jure agitur.

(✠1) *D. deciſ. 31. martii 1735. ref. D. Grondana. §. Nec obſtat in princ. deciſ.*

(2) *Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. def. 58., & 61.*

DEFINITIO X.

Statuto ex juſta cauſſa poteſt minui legitima.

Cum ſtatuta, utpote quæ vel ab ipſo Principe ſuprema poteſtate prædito feruntur, vel ejus nomine ab univerſitatibus, eandem vim habeant, ac leges (1), inde inferunt pragmatici, poſſe ſtatuto minui legitimam intra jus commune; dummodo juſta ratione nitatur: puta ut agnatio, & familia conſervetur; & filii aliunde habeant, unde vivant (✠2): poſſe etiam in tutum adimi teſtandi facultatem, ſi favor filiorum ita ſuadeat (3): contra definitum fuit, non valere ſtatutum Taurini in ea parte, qua civibus prohibet, ne pro forenſibus fidejubeant; quia commerciorum utilitati adverſatur (4).

(1) *L. De quibus cauſſis 32. princip., & §. 1. ff. de legib.* (1. 3).

(✠2) *Deciſ. 8. febr. 1669. ref. D. de Mazzettis in cauſſa Sebaſtiani Gonella contra Sorores. §. Ex quibus colligitur, Fab. cod. de legib., & conſtitut. Princip. lib. 1. tit. 5. defin. 6.*

(3) *Theſaur. Deciſ. 169, & quaſt. forenſ. lib. 1. quaſt. 91, ubi de ſtatuto Foſſani diſponente, quod mulier habens filium, vel filios non poſſit facere, nec modo aliquo ordinare cum teſtamento, vel codicillis, quin ejus filii ei ſuccedant in totum.*

(4) *Theſaur. Deciſ. 166. num. 8.* ✠.

DEFI-

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Statuta loci , in quo bona sita ſunt , attendi debent , cum de bonis agitur .

Quamquam ſtatuentes in perſonam civium jurisdictione pollent , quos ideo sanctionibus suis obligare possunt ; quia tamen ex receptiſſima juris regula extra territorium jus dicentis auctoritas impune contemnitur (1) , receptum apud omnes eſt , in bonis cujuſque loci ſtatuta , ubi ſita ſunt , attendenda eſſe (✠2) .

(1) *L. ult. ff de jurisdiction.* (2. 1)

(✠2) *Decis. Senat. Caſal. 25 aug. 1716 in cauſſa Picca Paſtrona , & Picca Gonzaga num. 43 in fine , Decis. 10 martii 1732 ref. D. De Morra in cauſſa Roſæ Rombelli Freilinæ contra Comit. Rombelli fratrem § Senatus enim num. 6 , Dec. 12 junii 1702 , ref. D. Braida in cauſſa Vaſſalli Peyre contra fratres Aicardos § Ad primum reſponſum fuit , Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2 quæſt. 5 num. 7.*

DEFINITIO XII.

Succeſſio duplici jure deferri poteſt pro diverſitate locorum , in quibus bona ſitæ sunt .

Quemadmodum non obſtat juris naturalis , aut civilis ratio , ne in quot loca quis iter faciat , toties statum mutet , atque uno , eodemque tempore hic ſui juris , alibi alieni ſit : in uno loco major habeatur , in alio minor ; atque majus eſſet abſurdum , ſi alterius territorii judici neceſſitas imponeretur , approbandi alterius decretum , cui ipſe non subeſt , & de incolæ conditione ex alterius placito jus dicere , maxime ratione rerum , quæ ibi ſitæ ſunt , ubi ipſe juriſdictionem exercet (1) , ita nihil impedit , quominus diverso jure pro locorum varietate eadem perſona cenſeatur , ſicuti non refragatur juris ratio , quin ſucceſſio duplici jure deferatur , ita ut tot fingantur ſucceſſiones , quot ſunt territoria , in quibus ſita ſunt bona defuncti ; & defunctus ipſe multiplex homo exiſtimetur ; puta ut in uno territorio feminæ ad succeſſionem vocentur , ab agnatis vero excludantur pro bonis in alio territorio ſitis (✠2) .

(1) *L. ult. ff. de juriſdiction.* (2. 1)

(✠2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2 quæſt. 5 num. 4 in fin.* ✠ , *Decis. 12 decembris 1738 ref. D. Caſſotti inter Marchionem Ghislerium , fratres de Selvaticis , & Marchion. Syrum de Curte § Non eſt novum num. 9 , Decis. 12 junii 1702 ref. D. Braida in cauſſa Vaſſalli Peire contra fratres Aicardos § Non obſtat , quod.*

DEFINITIO XIII.

An forenſes ligentur ſtatutis locorum , in quibus bona poſſident ?

Forenſes , seu qui bona in uno loco habent , & alibi domicilium , neutiquam ligari ſtatutis in perſonam conceptis , apud omnes conſtat (✠1) ; quia ſtatuentes nulla in eos juriſdictione potiuntur (2) : realibus autem , ſeu in rem conceptis eos ligari , certiſſimum eſt , pro bonis in territorio ſtatuentium ſitis ; quippe in hæc ſtatuentibus juriſdictio denegari non poteſt (3) .

(✠1) *Decis. 27 auguſti 1649 ref. D. Piſcina in cauſſa Carelli contra Manzolinum , in qua agebatur de ſtatuto Cherii , quod facultatem concedit debitori ſolvendi de bonis immobilibus melioribus ad æſtimationem : creditor autem civis Taurinenſis erat , debitor Cherienſis : atque deciſum , ſtatuto non ligari creditorem forensem , ſeu non cogi , ut immobilia pro pecunia accipiat .*

(2) *L. ult. ff de juriſdiction.* (2. 1)

(3) *V. ſupra tit. præced. de legibus dec. XXI.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XIV.

Quid ſi ſtatutum prohibeat, ne mater teſtetur in diſpendium filiorum?

Leges municipales, quæ mulierem prohibent, ne mater teſtetur in diſpendium filiorum, quibus omnia bona ſua relinquere præcipitur, eam adhuc ligant, quamvis, mortuo primo conjuge, alibi nubat, ſi modo in loco prioris matrimonii bona reliquerit (✠1); quia, licet ratione domicilii ſtatuentibus ſubjecta eſſe deſinat, pergit eorum legibus ſubjici ratione bonorum, quæ ibi reliquit.

(✠1) *Deciſ. 9 ſeptembris 1734 ref. D. Giuſana in cauſſa Philippi Mariæ Leuroni a Vinadio contra fratres de Corderiis a Pamparato, ubi ſtatutum Foſſani ita diſponit favore filiorum. V. Theſaur. dec. 269, & lib. 1 quæſt. 91. Quod ſi mulier legitimis ex cauſſis a viro diverterit, & moriatur in loco originis, de dote, cujus reſtitutionem occaſione divortii obtinuit, libere diſponit, quin ligetur ſtatuto; quia nulla eſt ratio, qua ſtatuto ſubdita dicatur. V. Deciſ. 25 junii 1638 ref. D. Blancardo in cauſſa Valpergiæ contra Bavam § Sed admiſſa ſtatuti validitate, ubi & de ſtatuto Foſſani agebatur. V. & Deciſ. 12 junii 1731 Ref. D. Laurenti in cauſſa utrinque Zucco § Ea propter cum ſenatus: ubi, cum propoſita fuiſſet ſpecies de muliere nupta civi Montiſregalis, cujus ſtatuto mater a ſucceſſione filii repellitur, qui tamen alibi degebat, cenſuit ſenatus, matrem non excludi a ſucceſſione filii extra locum ſtatuti nati; quia utraque ſubjectio originis, & bonorum requiritur in filio, ut locus fiat ſtatuto matrem excludente a ſucceſſione, cum odioſa ſit hujuſmodi excluſio.*

DEFINITIO XV.

Forenſes gaudent beneficio ſtatuti, quoad bona in loco ſtatuti poſita.

Forenſes quoad bona in loco ſtatuti poſita, gaudere illius beneficio vulgo receptum eſt, maxime ſi in rem conceptum ſit; in hac etenim ſpecie non perſonas, ſed res, ſtatuentium imperio ſubjectas, reſpicit. Si ergo caveat, ut, extantibus maſculis, feminæ a ſucceſſione excludantur, maſculus non ſubditus excludit feminam in loco ſtatuti commorantem (✠1). Immo nec refert in ſucceſſionibus, an ſtatutum conceptum ſit in rem, an in perſonam; quia poſſeſſio bonorum in hac materia principaliter conſideratur a ſtatuentibus, licet forte verborum cortex alio referri videatur (✠2). Hæc autem obtinent, ſive agnati cives ſint, & femina excluſa forenſis, ſive omnes ſuccedentes ſint cives, & ſolus defunctus forenſis: ſive tum agnatos, tum feminam, tum defunctum forenſes ponamus (3). Potiori ratione, ſi defunctus quidem, & femina forenſes proponantur, agnati vero ſint cives (4); quia non perſonarum qualitas attenditur, ſed bonorum. Aliud vulgo receptum in bonis mobilibus; cum enim hæc, utpotequæ de loco in locum facile moventur, & vix proſunt, niſi penes dominum ſint, eſſe finguntur in loco domicilii, cujus ideo leges ſequuntur (5). An idem de nominibus debitorum dici debeat, alibi expendimus (6).

(✠1) *Deciſ. 30 januar. 1638. ref. D. Balegno in cauſſa Fabii contra Comit. Ramellum § Contrarium tamen num. 11 ad 14, Theſaur. deciſ. 106 in fine ✠, & quæſt. forenſ. lib. 2 quæſt. 4 num. 2, 3, & 4 ✠.*

(✠2) *Deciſ. 12 decembris 1738 ref. D. Caſſotti in cauſſa Marchionis Ghiſlerii, & fratrum de Selvaticis contra Marchionem Syrum de Curte § Jam pridem num. 10, Theſaur. quæſt. forenſium lib. 2 quæſt.*

Digitized by Google

quæſt.. 4. num. 7, 8, & 14. ✠, *V. Deciſ. 18. januar. 1661. ref. D. Verelli in cauſſa Baron. Peroni contra March. Caſellarum, quæ confirmata fuit in judicio reviſionis 23. febr. 1662. ref. D. Galleani, in quibus agebatur de ſtatuto Vallis Auguſtæ, & definitum fuit, forenſem ratione feudi fieri veluti originarium, adeoque gaudere beneficio ſtatuti, quia civitas deferens alicui munus videtur eum facere civem.*

(3) *Theſaur. d. quæſt. 4. num. 18, 19, 20, & 22.*

(4) *Theſaur. ibid. num. 21* ✠.

(5) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 5, num. 15.*

(6) *V. Juriſprud. Tom. 1. §. 316., & ſeq. pag. 131.*

DEFINITIO XVI.

Forenſis non utitur ſtatuto proprii territorii, quod contrarium ſit ſtatuto loci bonorum.

Forenſis uti non poteſt ſtatuto loci proprii, quod contrarium ſit ſtatuto territorii, ubi bona ſita ſunt; cum in hæc bona prioris ſtatuti auctores nulla gaudeant juriſdictione (1). Si ergo fingamus in Gallia ſtatutum, quod ad ſucceſſionem ſolos admittat agnatos, cognatis excluſis: atque bona defuncti partim ibi, partim alibi reperiantur, ubi cognati admittantur; qui apud hos ſunt cognati, eam bonorum partem adquirent, quæ ibi ſunt conſtituta, atque ita ex duplici jure hereditas tranſmittetur (✠2).

(1) *L. ult. ff. de juriſdiction.* (2. 1.)

(✠2) *Deciſ. 12. junii 1702. ref. D. Braida in cauſſa Vaſſalli Peyre contra fratres Aicardos, §. Ad primum reſponſum fuit, & ſeq., Deciſ. Senat. Caſal. 25. aug. 1716. in cauſſa Picca Paſtrona, & Picca Gonzaga n. 143.*

DEFINITIO XVII.

Maritus dotis partem lucratur ex ſtatuto diſponente, ut lucrum hoc habeat, muliere ſine liberis decedente, quamvis mulier ex priore matrimonio liberos ſuperſtites habeat.

Si ſtatutum diſponat, ut maritus, præmortua muliere ſine liberis *communibus*, dimidiam dotis partem lucretur, maritus lucrum hoc habet, licet mulier ex alio matrimonio prius contracto liberos ſuperſtites relinquat (✠1): incluſio unius eſt excluſio alterius: quamquam neceſſe non eſt, ut in ſtatuto mentio fiat filiorum *communium*; ſed, niſi aliud expreſſe caveatur, maritus, etiam exſtantibus liberis primi matrimonii, dimidiam dotis partem lucratur, ſi filii cives ſint, non ſi forenſes, (2); quia ſtatuentes in dubio cogitaſſe præſumuntur de liberis communibus, qui tamen ſuæ juriſdictioni ſubſint (3).

(✠1) *Deciſ. 10. martii 1642. ref. D. Fauſono Caburri lucri dotalis inter Annam Mariam, & Eleonoram filias Lauræ Beriæ contra ſecundum hujus maritum, ſeu heredes.*

(2) *Theſaur. deciſ. 184., & quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 6.*

(3) *L. ult. ff. de juriſdiction.* (2. 1.)

DEFINITIO XVIII.

Statuta ita ſemper interpretanda ſunt, ut, quanto minus fieri poteſt, a jure communi recedant. Quæ hinc eruantur conſectaria?

Cum ſtatuta ita interpretanda ſint, ut, quanto minus fieri poteſt, recedatur a jure communi, quod & proprium eſt cujuſque loci, in quo ex Principis voluntate viget, jus eſt (✠1); hinc ſequitur 1. Statutum, ex quo facultas ſit debitori ſolvendi de bonis immobilibus ad juſtam æſtimationem, locum tantummodo habere in actione reali, non in

Digitized by Google

perſonali (✠2). 2. Non aliter quis poteſt uti ſtatuto juris communis correctorio, præterquam ſi verificentur omnia in ſtatuto contenta (✠3). 3. Statutum excludens dotatam non complectitur eam, quæ ſe ipſam dotavit. Si excludat nuptam non aliter vires exerit, quam ſi dotata ſimul fuerit (✠4); cum matrimonia ſine dote vix contrahantur (5).

(✠1) *Argum. L. Præcipimus 32 § ult. cod. de appellat.* (7. 62), *Deciſ. 27 martii 1776 ref. D. Cavalli in cauſſa Equit. Marchetti contra ſoror. Torazza, § Difficilius hæc num. 16, ubi refertur ita deciſ. ſentent Senat. 27 auguſti 1759 ref. D. Scala in cauſſa viduæ Spigno, & fratr. Gallizia, & ſentent. Senat. 12 martii 1765. ref. eod. D. Cavalli in cauſſa D. D. fratr. Valperga, Marchion. Tanæ, & alior., jung. titul. ſuperior. defin. II.*

(✠2) *Deciſ. 9 maii 1643 ref. D. Beccaria in cauſſa utrinque Lomaggia.*

(✠3) *Deciſ. anni 1668 ref. D. Ocelli in cauſſa Belli contra Oliverium; ubi agitur de ſtatuto retractum concedente.*

(✠4) *Deciſ. 26 januarii 1677 refer. D. Gabuti in cauſſa Advocat. Pompeii, & fratrum de Capitulis contra Flechiam.*

(5) *L. ult. § 1 in fin. ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8), *L. 1. ff. ſolut. matrim.* (24. 3)

DEFINITIO XIX.

Statuta ex rationis identitate de caſu ad caſum extendi poſſunt etiam contra jus commune.

Hæc tamen non impediunt, quominus ſtatuta ex rationis identitate extendantur de caſu ad caſum (1); menti ſtatuentium potius, quam verbis ſtandum eſt (2): atque ratio æque ſtatutum regit, ac legem (3). Hinc jure traditum, ſtatutum Taurinenſe, quod filias dotatas, & maritatas excludit a ſucceſſione inteſtata parentum, ſi extent filii, aut nepotes filiorum, extendi ad eum caſum, quo pater teſtamentum condiderit; niſi teſtando filias juri ſuitatis reſtituerit; quia cauſſa finalis hujus ſtatuti eſt favor agnationis, qui adeſt in caſu conditi teſtamenti, æque ac inteſtati (✠4). Plane nemo dubitat, quin pater excluſas ab inteſtato filias poſſit teſtamento ad ſucceſſionem vocare, ſeu reſtituere juri ſuitatis (✠5): diſpoſitio hominis in cauſſa eſt, cur ceſſet diſpoſitio legis, quæ non prohibet, quominus diſponat.

(1) *Theſaur. deciſ. 63 num. 4, Oſaſc. deciſ.* 170 *num.* 11.

(2) *L. Labeo ait 7. § Servius 2 in med. ff. de ſupellectil. legat.* (33 10).

(3) *L. Illud quæſitum 32 ff. ad leg. aquil.* (9. 2), *L. Cum pater 77 § Dulciſſimis 20 ff. de legat. 2.* 31. 1.

(✠4) *Deciſ. 21 junii 1721 refer. D. Paſtoris Mura in cauſſa utrinque Freſia §. Prima facie. fer. in princip. deciſ.*

(✠5) *Deciſ. 25 aug. 1648 ref. D. Barberis in cauſſa Nigri contra fratr. de Gherardis § Et ſtatuto non obſtante.*

DEFINITIO XX.

An ſtatutum permittens retractum in venditione extendatur ad permutationem? An a bonis immobilibus ad jura extendatur.

Emtio, venditio, & permutatio inter ſe differunt, non tantum, quod illa contractus nominatus ſit, hæc autem innominatus: ſed maxime, quia pretium in emtione omnino deſideratur, quod in pecunia numerata conſiſtat (1), permutatio autem fit rei cum re (2). Cum autem ſtatuta, ut modo diximus (Defin. XVIII), ſtricte potius interpretanda ſint, quoties a jure communi recedunt, ſtatutum concedens retractum in venditione non extenditur ad permutationem, niſi tanta pecuniæ quantitas data fuerit, ut nonniſi dicis cauſſa permutationis nomine contractus donari poſſit (✠3). Si pactum retro permutandi præceſſerit, tradit Faber, ſtatuti

ſtatuti ſanctionem, ex qua actio redimendi, ſingulari jure, adverſus quemlibet ſucceſſorem etiam ſingularem competit, etiam ad caſum permutationis pacto conventæ extendi (4); ſed jus omnino ſingulare hoc eſt, moribus inductum; nec ideo generatim probandum. Statutum permittens retractum in bonis immobilibus non comprehendit jura ad res immobiles, tum quia jura proprie nec mobiles, nec immobiles res ſunt; tum quia in juribus non eadem viget utilitatis ratio, ac in bonis immobilibus (✠5).

(1) §. *Item pretium* 2. *inſtit. de emtion. & vendition.* (3. 24.), *L.* 1. §. *ult. ff. de contrahend. emtion.* (18. 1.)

(2) *L. ult. ff. de rer. permutat.* (19. 4.)

(✠3) *Deciſ.* 23. *februar.* 1765. *refer. D. Gavutio in cauſ. Comit. Lupi a Moirano contra fratr. de Accuſan.s* §. *In hoc rerum ſtatu*, *& ſeqq.*

(4) *Fab. cod. de obligat.*, *& actionib. lib.* 4. *tit.* 7. *defin.* 3.

(✠5) *Deciſ.* 1. *martii* 1656. *ref. D. Carroccio in cauſſa fratrum de Merulis contra Crapinam* §. 2. *Reſpondetur*, *quod.*

DEFINITIO XXI.

Quid de ſtatuto retractum concedente o dio forenſis, vel in domibus?

Statutum prohibens, ne extraneus, qui non fuerit a conſilio loci acceptatus pro habitatore, poſſit irrevocabiliter acquirere, ſeu ut liceat municipibus bona immobilia ab ipſo retrahere reſtituto eodem pretio, non intelligitur de extraneo, qui per habitationem decem annorum contraxerit domicilium in loco (✠1). Statutum concedens jus retractus in domibus non extenditur ad ædificia ruſtica, quippequæ ſpeciale nomen habent (✠2).

(✠1) *Deciſ.* 19. *februarii* 1663. *ref. D. Villiono in cauſſa Vaſchettæ contra Ferrundum per tot.*

(✠2) *Deciſ.* 21. *novembris* 1645. *ref. D. Butticario in cauſſa Bigæ contra de Caſtratoribus*, §. *Nec jacit.*

DEFINITIO XXII.

Stricte interpretamur ſtatuta, quæ liberos a ſucceſſione excludunt.

Strictam potiſſimum interpretationem recipiunt ſtatuta non tantum juri civili contraria, ſed etiam patum æquitati naturali conſentanea, veluti quæ liberos a parentum ſucceſſione excludunt (✠1).

(✠1) *L. Cum quidam* 19. *ff. de liber.*, *& poſthum.* (28. 2.), *Theſaur. Deciſ.* 37. *num.* 1., *Deciſ.* 21. *januarii* 1686. *refer. D. Dentis in cauſſa Comitiſſæ Philiponæ contra Comit. Amoretti ejus fratrem* §. *In capite vero ſeparationis num.* 86., *ubi de ſtatuto Taurini filias excludente a ſucceſſione domorum*, *ſi parens inteſtatus moriatur*, *neutiquam extendendo ad caſum*, *quo teſtamentum conditum ſit.*

DEFINITIO XXIII.

Quid ſi teſtamentum ruptum fuerit? Quid ordinamenti nomine intelligatur?

Statutum, quod a ſucceſſione repellit eo caſu, quo defunctus decedat inteſtatus, & nullo facto ordinamento rerum ſuarum, locum non habet, ſi teſtamentum ruptum fuerit, puta per agnationem poſthumi, quia caſus ex poſt ſuperveniens, atque teſtamentum irritum faciens, non impedit, quominus vere dicatur ordinamentum a defuncto factum fuiſſe (✠1); potiſſimum in materia odioſa; ſeu excluſione filiarum a ſucceſſione (2), quibus ipſa naturalis ratio bona parentum addicit (3). Quamquam vero ordinamenti nomen complectitur quamcumque diſpoſitionem, quæ fiat codicillo, donatione cauſſa mortis, aut epiſtola, talis tamen habenda non eſt ſchedula parocho conſignata, in qua legata pia continentur, potius in exonus conſcien-

 tiæ

tiæ relicta, licet alicui etiam quid modicum relictum ſit (✠4).

(✠1) *Deciſ. 26. april. 1635. refer. D. Piſcina in cauſ. de Zuchaiis contra Corte §. Quoad tertiam, & principalem quæſtionem num. 7., Deciſ. 26. Novembr. 1652. refer. D. Beccaria in cauſſa utrinque Manelli, Deciſ. 22. februarii 1655. refer. D. Carroccio in eadem cauſſa, §. Hiſce nonnulli ex dominis. num. 12., & ſeq., Deciſ. 18. maii 1744. ref. D. Celebrino in cauſ. Comit. Careſanæ a Cariſio contra proneptem in princip. deciſion., in quibus agebatur de ſtatuto Taurini feminas excludente a ſucceſſione domorum ſub ea conditione: hæc ſunt dicti ſtatuti verba a Theſauro deciſ. 263. relata*: Item ſtatutum eſt in ſucceſſionibus civium, & habitatorum Taurini, & Gruliaſchi, quod jura romana, & imperialia de cetero vindicent ſibi locum tam in maſculis, quam in feminis, eo ſalvo. . . ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit, nullo facto ordinamento rerum ſuarum; quod, ubi fuerit, vel remanſerit aliquis agnatus defunctæ perſonæ, præferatur cunctis aliis perſonis in ſucceſſionibus domorum cum pertinentiis defunctæ perſonæ.

(2) *L. Cum quidam* 19. *ff. de liber., & poſthum.* (28. 2.)

(3) *L. Cum ratio naturalis* 7. *ff. de bon. damnator.* (48. 20.)

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Celebrino num. 6., & ſeqq. §. Quamquam non ſemel.*

DEFINITIO XXIV.

An dominium ab agnato ſucceſſionis jus ſibi afferente probari debeat?

Non aliter quidem domus ad agnatum pervenit, quam ſi eadem in dominio defuncti fuerit (1): ſed dominium præſumitur penes defunctum fuiſſe ex ſola poſſeſſione, donec aliud demonſtretur a negante (2): dominium utique plene probandum eſt ab afferente, cum dominii quæſtio principaliter agitur (3), ita ut neque ex præterita multorum annorum poſſeſſione præſumatur: ſed ſola defuncti poſſeſſio ſufficere poteſt, cum de dominio incidenter quæritur, non contra dominum, qui rem vindicet, ſed contra alium, qui eandem petat jure ſucceſſionis legitimæ, vel teſtamentariæ (✠4). Exceptio tamen admittenda eſſet, ſi conſtaret poſſeſſionem defuncti ab alio, quam dominii, jure, puta pignoris initium habuiſſe, cujus cauſſa mutata non creditur, niſi novus titulus ſupervenerit (✠5).

(1) *Theſaur. d. deciſ.* 263.

(2) *Res plerumque ejus eſt, qui eandem poſſidet.*

(3) *Fab. cod. de probat. lib.* 4. *tit.* 14. *definit.* 3.

(✠4) *D. Deciſ.* 18. *maii* 1644. *refer. D. Celebrino in cauſſa utrinque Careſana, §. Altera ſubſequebatur quæſtio num.* 17. *& ſeqq.*

(✠5) *Sent. Senat.* 28. *martii* 1738. *ref. D. De Zoppi in cauſſa Advocati Allemandi contra fratres Picconos a Valle, & Thereſiam Septimam a Bayo; quæ tamen emendata fuit in judicio reviſionis* 5. *junii* 1742. *refer. D. Mazzetti, quia agnatus in hoc recognitionis judicio dominii titulum attulerat, d. deciſ. refer. D. Celebrino in cauſſa Careſanæ, §. Nec vim faciebat num.* 18., *& ſeq.*

DEFINITIO XXV.

Dominii origo non inſpicitur in ſtatuto feminas agnatorum favore a ſucceſſione domorum excludente, nec defuncti perſona.

Neque in hoc ſucceſſionis domorum Taurinenſi ſtatuto inſpicitur dominii origo; veluti quod ab aſcendente feminæ, quæ de ſucceſſione cum agnato contendit, ad illius patrem pervenerit (✠1), ſemel ac domus ad defunctum pervenit, illius patrimonium fit (2); atque idem jus obtinet, licet agatur de hereditate feminæ, ſeu domus reperiatur in here-

hereditate feminæ (✠3). Statutum aperte loquitur, *ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit* (4): in claris autem conjecturis locus non fit (5). Atque hinc nec intereſt, quod defuncta femina per nuptias in aliam familiam translata ſit (✠6); nec enim nuptiæ vinculum agnationis tollunt (7).

(✠1) *D. Deciſ.* 18. *maii* 1744. *refer. D. Celebrino in cauſſa utrinque Careſana, §. Quia validioris eſſe poſſet momenti num.* 26., *& ſeqq., Deciſ.* 27. *martii* 1776. *refer. D. Cavalli in cauſſa Equit. Marchetti contra ſoror. Torazza, §. Id deciſum jam num.* 32., *&* 33.

(2) *L. Si plures* 10. *§. Filio* 2. *ff. de vulgar., & pupillar. ſubſtitut.* (28. 6.)

(✠3) *D. Deciſ.* 26. *april.* 1635. *ref. D. Piſcina in cauſſa de Zuchatis contra Corte §. Nec obſtat. num.* 15., *& ſeqq.*

(4) *Theſaur. d. Deciſ.* 263, *cujus ſtatuti verba retulimus ſupra Deciſ.* XXIII. *allegat.* 1.

(5) *L. Ille, aut ille* 25. *§.* 1. *ff. de legat.* 3. (32. 1.)

(✠6) *D. Deciſ.* 26. *martii* 1766. *ref. D. Cavalli in cauſſa Equit. Marchetti contra ſoror. Torazza, §. Quamvis enim mulier, & ſeq. num.* 23., *&* 24., *ubi alias jam deciſum traditur, nimirum ſent. Senat.* 5. *martii* 1751. *ref. D. Rotario in cauſſa Bioletto, & Traggia, domum repertum in hereditate ſororis nuptæ ad fratrem ſpectare, filia excluſa.*

(7) *Argum. §. Ceterum* 3. *inſtit. de legitim. agnator. ſucceſſion.* (3. 2.)

DEFINITIO XXVI.

Quid ſi in pupillari ætate deceſſerit is, de cujus ſucceſſione agitur.

Nec aliud dicendum eſt, ſi ille, de cujus ſucceſſione agitur, in pupillari ætate deceſſerit: licet enim inteſtatus proprie dici nequeat (1), minus tamen dici poteſt teſtatus aut feciſſe ordinamentum rerum ſuarum (✠2).

(1) *L.* 1. *ff. de ſuis, & legitimis heredibus* (38. 16.)

(✠2) *D. Deciſ.* 20. *april.* 1635. *ref. D. Piſcina in cauſſa De Zuchatis contra Corte §. Nec etiam refragatur num.* 17.

DEFINITIO XXVII.

Quid ſi pater impuberi filio pupillariter ſubſtituerit?

Major difficultas eſt, an fiat locus ſtatuto feminarum excluſivo a domorum Taurini exiſtentium ſucceſſione favore agnatorum, ſi pater pupillo, de cujus hereditate agitur, pupillariter ſubſtituerit. Diſtinguendum in hac quæſtione videtur, an filius pubes factus deceſſerit, an adhuc impubes. In primo caſu placuit locum fieri ſtatuto (✠1); quia cum pupillaris ſubſtitutio per pubertatem evaneſcat (2), non poteſt videri deceſſiſſe cum teſtamento. Quod ſi pupillus, cui a patre datus eſt pupillaris ſubſtitutus, impubes decedat, ſtatuto locus non fiet; tum quia teſtamentum pupilli cenſetur, quod fecit pro ipſo pater (3); tum quia, aliter poſito jure, inutile fieret teſtamentum patris pupillariter ſubſtituentis; quod alienum videtur a ſtatuentium mente, tunc tantum agnato faventium, cum defunctus plane inteſtatus deceſſit (4).

(✠1) *D. Deciſ.* 22. *junii* 1735. *ref. D. Demorra in cauſa fratrum Cotti contra Angleſium §. Quærebatur ulterius poſt num.* 43.

(2) *§. Maſculo igitur* 8. *inſtit. de pupillari ſubſtitut.* (2. 16.), *L. In pupillari* 13. *ff. eod. tit.* (28. 6.)

(3) *L. Moribus* 2. *ff. de vulgar., & pupillar. ſubſtitution.*

(4) *Theſaur. d. deciſ.* 263. *in princip.*

DEFI-

DEFINITIO XXVIII.

Quid ſi pupillus fideicommiſſo gravatus deceſſerit, nec dum deducta legitima, & trebellianica?

Quod ſi fingamus, pupillum a patre fideicommiſſo gravatum, cui proinde jus eſt detrahendæ legitimæ, & trebellianicæ, nondum his detractis deceſſiſſe, jus hoc in pupilli heredem transfertur (✠1); atque, ſi heres ex domibus in civitate exiſtentibus duas has quartas detrahat, agnatus in ea domorum parte, quæ pro legitima, & trebellianica detrahetur, vi ſtatuti ſuccedere non poteſt, cum pupillo vi harum detractionum nullum dominium competat domorum, ſed tantum jus ex iis quartam duplicem detrahendi: ſtatutum autem Taurinenſe ad domos, quarum defunctus dominus fuiſſet, non ad quæ jus haberet, reſpexit (2): atque, cum ſtatutum hoc a jure communi exorbitet, immo naturali æquitati parum in ſpeciem conſentiat, quippequod bona a filiabus defuncti aufert, ut agnato etiam longe remotiori concedat (3), ad jura trahendum non eſt (✠4); quippequæ tertiam bonorum ſpeciem conſtituunt, ſi proprie loquamur, prout loqui opus eſt in materia odioſa (5).

(✠1) *L. Quamquam* 10. *cod. ad leg. falcid.* (6. 50.), *Deciſ.* 21. *maii* 1650. *ref. D. Barberis in cauſſa Malletti contra Bourtier num.* 43.

(2) *Theſaur. d. deciſ.* 263. *in princip.*

(3) *L. Cum quidam* 19. *ff. de liber.*, *& poſthum.* (28. 2.)

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Demorra* (*Defin. præced.*) §. *Verumtamen dubitatur*, *poſt num.* 51.

(5) *L. Non aliter* 69. *ff. de legat.* 3. (32. 1.)

DEFINITIO XXIX.

Filiabus a ſucceſſione domorum excluſis dos congrua in ſubſidium ſuper domibus dari debet.

Cum ſtatuta ita ſemper explicanda ſint, ut, quanto minus fieri poteſt, a jure civili, & naturali æquitate recedant (1), filiabus a ſucceſſione domorum auguſtæ Taurinorum excluſis dos congrua ſuper iiſdem domibus datur in ſubſidium, ſi alia bona deficiant (✠2); cum dos naturali quodam jure non ſecus ac legitima, cujus loco ſuccedit dos, debeatur (3).

(1) *L. Præcipimus* 32. §. *ult. cod. de appellationibus* (7. 62.)

(✠) *Deciſ.* 18. *octobris* 1620. *ref. D. Clerici in cauſſa utrinque Pauli*, *Deciſ.* 19. *januarii* 1642. *ref. D. Butticario in cauſſa Moſtonæ contra fratres de Mozzettis*, *ubi traditur ita deciſum in cauſſa Dentis contra Caſtellamont. refer. D. Appiano.*

(3) *L. Cum ratio naturalis* 7. *ff. de bon. damnator* (48. 20.)

DEFINITIO XXX.

Statuta de ſucceſſione inteſtata locum habent, tametſi teſtamentum conditum fuerit, niſi teſtator ab ejus diſpoſitione receſſerit.

Statutum, quod feminas excludit a ſucceſſione inteſtata, locum ſibi vindicat, quando conditum fuit teſtamentum, ſi modo pater illius diſpoſitioni ſe conformaverit (✠1); abſurdum eſſet, per patris diſpoſitionem ſtatuto conformem vim ſtatuti elidi. Aliter affirmandum, ſi teſtamento feminam excluſam ad ſucceſſionem vocaret; quippe lex jus quidem inteſtatæ ſucceſſionis adimit; ſed non prohibet, quominus teſtamento ſucceſſio relinquatur (✠2): data autem ſucceſſione teſtamentaria, legitimæ, ſeu inteſtatæ locus fieri non poteſt (3).

(✠1)

Digitized by Google

(✠1) *Decif. 21. junii 1721 refer. D. Paſtoris Mura in cauſſa utrinque Freſia § Licet juxta fere prope finem.*

(✠2) *Decif. 25 auguſt. 1648 refer. D. Barberis in cauſſa Nigri contra fratr. de Gherardis § ſtatuto non obſtante.*

(3) *L. Quamdiu 39 ff. de acquirend. hereditat.* (29. 2.).

DEFINITIO XXXI.

Statutum excludens filias, & ſorores favore fratrum, & nepotum patruo non prodeſt.

Statutum excludens filias, & ſorores a ſucceſſione favore fratrum, & nepotum, licet favore agnationis, non prodeſt patruo (✠1) ubi ſtatuti verba ſunt limitata, ex identitate rationis extendi non debent, cum vires habeant in caſu expreſſo (2).

(✠1) *Decif. 3 martii 1730 refer. D. Cavalli in cauſſa matris, & filiæ de Brunettis contra Brunettum, § Primo, qui licet ſtatutum, & ſequ.*

(2) *Argum. L. In agris 16 ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1).

DEFINITIO XXXII.

Statutum excludens feminas favore fratrum atque ab his deſcendentium non nocet matri.

Statutum excluſivum feminarum favore fratrum, & nepotum defuncti non obſtat matri, quæ non ſit ſpecialiter a ſtatuto excluſa (✠1); licet enim feminarum numero mater contineatur, relationem tamen non habet ad agnatos incluſos, quam ſtatutum conſiderat; ideoque cum ultra perſonas nominatas ſtatuti diſpoſitio trahi non debeat (2), in odium matris non eſt interpretandum. Quin immo; matre a ſtatuto non nominata in medio exiſtente, quæ proximior ſit agnato, ſoror ipſa admittitur; agnato excluſo (✠3); nam caſus omiſſus a ſtatuto, videlicet quo concurrant mater, & ſoror defuncti, ob mixturam alterius perſonæ non nominatæ remaneat ſub diſpoſitione juris communis (4).

(✠1) *D. Decif. 13 martii 1730 ref. D. Cavalli in cauſſa de Brunettis in fine, L. Commodiſſime 10 ff. de liber., & poſthum.* (28. 2).

(2) *L. Præcipimus 32 § ult. cod. de appellat.* (7. 62), *junge definit. XVIII.*

(✠3) *D. Decif. ref. D. Cavalli in fin.*

(4) *D. L. 10 ff. de liber., & poſthum.*

DEFINITIO XXXIII.

Nec patruus parentum, nec patruus magnus patrui nomine continetur.

Ex eadem regula, quæ ſæpe diximus ſtatutorum verba, quæ perſonas ad ſucceſſionem vocant, iis excluſis, quas naturalis charitas vocare videtur, ſtricto & proprio eſſe accipienda (1), fluit, patruum parentum nomine non venire (✠2); nec patruum magnum ſub patrui appellatione contineri in ſtatuto feminarum excluſivo (✠3).

(1) *L. Cum quidam 19. ff. de liber., & poſthum.* (28. 2), *junct. L. Non aliter 69. ff. de legat. 3.* (32. 1).

(✠2) *Decif. 18. aug. 1659. refer. D. Dalmazzone in cauſſa Viltatii & aliorum concurrentium ad hereditatem Margaritæ Viliaſſæ, § Deſcendendo ergo.*

(✠3) *D. Decif. § Minus probat.*

DEFINITIO XXXIV.

Maſculorum nomine, quorum favore a ſucceſſione excluduntur feminæ, intelliguntur maſculi lineæ effectivæ, niſi ampliſſima ſint ſtatuti verba.

Hinc etiam per maſculos, quorum favore feminæ a ſtatuto excluduntur a ſucceſſione, ii tantum in dubio intelliguntur, qui ſint in pari gradu, atque ejuſdem lineæ effectivæ: ubi agitur de ma-

Digitized by Google

materia odioſa, ex communi pragmaticorum placito, intelligitur tantum contemplata linea effectiva, quæ ſola vere, & proprie linea defuncti dici poteſt (✠1). Sed regula hæc fallit, ſi ſtatuti verba indefinita ſint, atque agnatos cuiuſcumque lineæ comprehendant, prout in ſtatuto Taurini, *agnatus defunctæ perſonæ præferatur cunctis aliis perſonis in ſucceſſionibus domorum*(2); maxime quia hic agitur de modico feminarum præjudicio, cum non a tota ſucceſſione, ſed dumtaxat domorum excludantur (✠3).

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Dalmazzono (Def. præced.)* §. *Tandem conſiderarunt.*

(2) *De quo Theſaur. Deciſ. 263. in princip.*

(✠3) *D. Deciſ. 26. april. 1635. refer. D. Piſcina in cauſſa de Zuchatis contra Corte*, §. *Quoad tertiam*, *D. Deciſ. 18. maji 1744. refer. D. Celebrino in cauſſa utrinque Careſanæ*, §. *Extra controverſiam num. 2.*, *D. Deciſ. 27. martii 1776. refer. D. Cavalli in cauſſa Equit. Marchetti contra ſoror. Torazza*, §. *Non itaque num. 17.*

DEFINITIO XXXV.

Quid de ſtatuto excludente feminam dotatam, vel dotatam, & maritatam, vel ſub quadam conditione in eo, cui defertur ſucceſſio?

Quemadmodum ſtatutum excludens feminam dotatam a ſucceſſione non excludit eam, quæ ſibi dotem conſtituit (Defin. XVIII), ita ſtatutum excludens feminam dotatam a ſucceſſione non habet locum, niſi probetur, mulieri dotem datam fuiſſe (✠1); cum dos data res facti ſit, ad excluſionem requiſita, ab allegante probata eſt (2). Quod ſi ſtatutum excludat feminam dotatam, & maritatam, duo hæc copulative requiruntur, ita ut unum ſine altero non ſufficiat (✠3); cum immo ſufficiat excludi feminam nuptam (d. defin. XVIII), quia matrimonia ſine dote vix contrahuntur (4): conditiones autem conjunctim appoſitæ omnes impleri debent (5). Atque prius probanda eſt qualitas requiſita a ſtatuto, quod certam deſideret qualitatem in eo, cui ſucceſſionem defert, feminis excluſis; puta, ut quis in certo loco habitet (✠6).

(✠1) *Deciſ. 19. decembris 1685. refer. D. Bergeria in cauſſa Bertolinæ contra Regem* §. *Ideo jure merito.*

(2) *L. Ab ea parte 5. princip.*, & § *1. ff. de probationib.* (22. 3.

(✠3) *Deciſ. 21. januarii 1686. refer. D. Dentis in cauſſa Comitiſſæ Philipponæ contra Comit. Amoreti ejus fratrem*, §. *In capite vero num. 81.*

(4) *L. ult.* § 1 *in fin. ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8).

(5) § *Penul. inſtit. de heredib. inſtituend.* (2. 13), *L. Si heredi 5. ff. de condit. inſtitut.* (28. 7).

(✠6) *Deciſ. 4 februar. 1645. refer. D. Filippa in cauſſa Comit. Taparelli contra Dioniſiam* §. *Senatus cenſuit, in fin. deciſ.*, *ubi de ſtatuto Foſſani, & Genoliæ excludente matrem a ſucceſſione liberorum favore agnatorum.*

DEFINITIO XXXVI.

Vidua non comprehenditur ſtatuto excludente feminam dotatam, & maritatam. Quid de moniali?

Demum eodem fundamento traditum eſt, viduam non comprehendi ſtatuto, quo mulier dotata, & maritata excluditur (✠1); proprie enim nupta dici nequit mulier, quæ virum amiſit: utraque autem conditio exiſtere debet, ut ſtatuto locus fiat (2). Monialis tamen, quæ dotem recepit, excluditur ex communiori ſententia: quia ſpirituali conjugio carnali longe præſtantiori juncta eſt; adeoque in ea conditione reperitur, ut ſucceſſione non indigeat (3).

(✠1) *Deciſ. 20 ſeptembris 1662 refer. D. Beraudi in cauſſa fratrum Valmberti* con-

contra Catharinam Villam §. *Primo quia ſtatutum*.

(2) *L. Si heredi* 5. *ff. de condit. inſtitut.* (28. 7).

(3) *Theſaur. lib.* 2. *quaeſt.* 92. *in fin.* ✠

DEFINITIO XXXVII.

Statutum excludens feminas propter maſculos locum habet in ſucceſſione feminae. An filiae ex maſculis admittantur?

Statutum feminas excludens propter maſculos locum habere in ſucceſſione feminae, ſupra demonſtravimus (Defin. XXV); quia familiarum decus, & ſplendor, qui ex bonorum copia conſervari, & augeri intelligitur, nullatenus pendet a bonorum origine. Atque hinc quoque traditum, ſtatuto exigente qualitatem agnatitiam repelli filias ex maſculis, excluſo jure repraeſentationis (✠1), quod ex jure communi locum habet (2); in hoc autem ſtatuto obtinere non poteſt, cum feminae propriam agnationem non ſervent, ſed mariti, in cuius familiam transferuntur (3).

(✠1) *Deciſ.* 16. *martii* 1679. *refer. D. Richelmi in cauſſa Baroliae contra Scanellam* §. *Secundo quia qualitas*.

(2) *Novel.* 128. *cap.* 1., §. *Cum filius* 6. *inſtit. de hereditatib.*, *quae ab inteſtat. deferun.* (3. 1).

(3) *L. Pronunciatio* 195. *de V. S.*

DEFINITIO XXXVIII.

An monachus feminam a ſucceſſione excludat?

Cum per monachum agnatio conſervari non poſſit, contemplatus non creditur odio feminae in ſtatuto, quod feminas propter maſculos excludit (✠1): attamen monachorum favore definitum refert Theſaurus, non poſſe matrem, alteri filiorum ſuorum prae ceteris gratificari, quamvis unus monachus ſit, ſi ſtatutum matri prohibeat, ne teſtamento, vel codicillis facere poſſit, quominus filius, vel filii ei in totum ſuccedant (2); & merito; nam religioſae vitae profeſſio naturalia ſanguinis jura non permit; nec legum beneficio indignus ſit, qui auſteriorem vivendi rationem amplectitur, & bona ſua ſponte dimittit, quibus alii, nec raro ingrati, locupletentur.

(✠1) *Deciſ.* 19. *junii* 1636. *refer. D. Piſcina in cauſſa Bernardini Cervae monachi Ciſtercienſis contra Catharinam Cervam ex fratre neptem verſic. Contraria tamen*

(2) *Theſaur. quaeſt. forenſ. lib.* 2. *quaeſt.* 3. *num.* 5. ✠

DEFINITIO XXXIX.

Quo ſenſu ſtatuta, quae agnationi conſulunt, inter favorabilia recenſeantur?

Non ſemel diximus, ſtatuta, quae naturali aequitati parum conſentanea ſunt, puta quae liberos a ſucceſſione parentum excludunt, ſtricte interpretanda eſſe (1); quia excluſio odioſa eſt (2): ſi tamen excludant favore agnationis, qualis favor in dubio prae oculis habitus praeſumitur a ſtatuentibus, inter favorabilia recenſentur (✠3); quia agnationis conſervatio, familiarum decus, & ſplendor ad publicam conferunt utilitatem, cum familiae opulentae ſint, ut vulgo dicitur, nervi, & oſſa reipublicae. Quare, etſi non debeat, fieri extenſio de caſu ad caſum, nec de perſona ad perſonam contra ſtatuentium mentem, ita tamen interpretanda ſunt, ut iis omnibus ſpeciebus eorum ſanctio accommodetur, quibus convenire poſſunt verba, vel ſtatuti ſententia. Hinc traditur, ſtatutum, quod excludit filiam maritatam, & dotatam, ſive a patre, ſive a matre, ſive ab avo, ſive ab alio quocumque, excludit, inquam, ab omni ſucceſſione, locum habere, cum filia dotata eſt a patre poſt matris inteſtatae obitum, ita ut a matris ſucceſſione repellatur (✠4); quia in hac etiam

Digitized by Google

etiam ſpecie ſtatuentium voluntati factum eſt ſatis (5).

(1) *V. Supra defin. XXII.*

(2) *L. Cum quidam* 19. *ff. de liber., & poſthum.* (28. 2).

(✠3) *Deciſ.* 11. *martii* 1733. *refer. D. Meynier in cauſſa Pronæ contra Pronum §. Quod & eo maxime num.* 6.

(✠4) *Deciſ.* 29. *decembris* 1738. *refer. D. Audiberti in cauſſa jugalium de Marin contra Comitem a Puteo §. Hac etſi urgere, juncto §. Poſito igitur.*

(5) *Statuentes enim de dote quidem filiæ conſtituendæ ſolliciti præſumi debent, pro ut æquitas naturalis ſuadet, & civiles quoque leges decernunt: non autem de tempore, quo dos ſolvatur.*

DEFINITIO XL.

Statutum de morte alicujus ab inteſtato vires exerit per mortem impuberis.

Eadem ratione ſtatutum de morte alicujus ab inteſtato agnationi proſpiciens odio feminarum ad eum caſum pertinet, quo pupillus decedat, qui adhuc propter ætatem teſtari non poterat (✠1); quia, licet Ulpiano videatur, eum, qui propter animi, vel corporis vitium teſtari non potuit, proprie inteſtatum non eſſe, jure tamen pro inteſtato accipiendum ſtatim ſubjungit (2); atque ideo Jureconſulti nomen inteſtati ad impuberes ſemper retulerunt (3).

(✠1) *Deciſ.* 26. *aprilis* 1635. *refer. D. Piſcina in cauſ. De Zuchatis contra Corte, §. Nec etiam refragatur num.* 17, *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 18. *num.* 8. ✠

(2) *Plane, qui teſtari non potuit, proprie non eſt inteſtatus, puta impubes, furioſus, vel cui bonis interdictum eſt. Sed hos quoque pro inteſtatis accipere debemus. L.* 1. *ff. de ſuis, & legitim. hered.* (38. 16).

(3) *L. Sive ingenua* 2. *§. Impuberem* 5. *ff. ad Senat. Conſult. Tertull.* (38. 17), *L.* 45. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* (28 6), *L. ult. ff. qui pet. tut.* (26. 6) §. 1. *inſtit. de heredit., quæ ab inteſt. defer.* (3. 1).

DEFINITIO XLI.

An ſtatutum feminas excludens a ſucceſſione repellat etiam a legitima?

An ſtatutum feminas excludens a ſucceſſione propter agnatos excludat etiam a legitima, diſputant pragmatici: plerique affirmant potiſſimum, ſi filiæ dos tradita, vel conſtituta ſit a ſtatuto; ea moti ratione, quod legitima pars ſucceſſionis eſt, ſeu portio portionis ab inteſtato debitæ (1), atque ideo filia excluſa habetur pro extranea, & exheredata (2). Sed, quia maxima eſſet iniquitas, ſi filiæ legitima privatæ aliunde nihil haberent, quo neceſſaria ſibi pararent alimenta, vel dotem conſtituerent, non dubium, quin congrua dos illis danda ſit in aliis bonis, ſi aliqua exiſtant, a quibus non excludatur: vel, his deficientibus, ex iiſdem, a quorum ſucceſſione prohibetur (✠3): quæ tamen dos non ſuccedit loco legitimæ, neque illius naturam, & privilegium aſſumit: adeoque, mortua filia non contracto matrimonio, eam ad heredes non tranſmittit (✠4).

(1) *L. Papinianus* 8. *§ Quoniam autem* 8. *ff. de inoffic. teſtamen.* (5. 2).

(✠2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 68. *num.* 1. ✠, *& lib.* 1. *quæſt.* 97, *V. & Theſaur. Deciſ.* 159. *num. ult.* ✠, *ubi traditum, filiam excluſam a ſucceſſione per ſtatutum, data illi congrua dote, partem non facere in computatione legitimæ, niſi ex verbis ſtatuti elici poſſit, dotem ſuccedere loco legitimæ.*

(✠3) *Deciſ.* 19. *januarii* 1642. *refer. D. Butticario in cauſſa Agnetis Moſcoræ contra fratres de Mozzettis, §. Quoad ſecundum, ubi refertur ita deciſum in cauſſa Dentis contra Caſtellamont. refer. D. Appiano, Deciſ.* 18. *octobris* 1620. *refer. D. Clerici in cauſſa utrinque Pauli; ubi de filia excluſa a ſucceſſione domorum per ſtatutum Taurini.*

(✠4)

Digitized by Google

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Butticario in fine deciſ. An autem res ſingulares, a quibus filia propter agnatos excluditur, computandæ ſint in calculatione legitimæ V. Theſaur. d quæſt. 68. num. 4, lib. 2, ubi hanc quæſtionem expendit, quæque locum habere poteſt in ſtatuto Taurini, quod filias indiſtincte non repellit a ſucceſſione, ſed tantum a ſucceſſione domorum.*

DEFINITIO XLII.

Univerſitas ſtatuta legitime condita abrogare non poteſt, niſi ex Principis conceſſione a ſupremis magiſtratibus interinata.

Ceſſat ſtatutorum vis per poſteriorem legem, vel poſterius ſtatutum, quo prius abrogetur: ſed, quemadmodum prius ſtatutum ab univerſitate, quæ Principi ſubſit, conditum vim legis habere non poteſt, niſi facultas hæc a Principe univerſitati conceſſa fuerit, vel ſaltem ſtatutum a Principe ex poſt fuerit confirmatum (Defin. XI); ita non aliter rata eſt abrogatio, præterquam ſi univerſitas hoc jure, beneficio Principis, fruatur, vel abrogatio a Principe fuerit confirmata (✠1); res enim eodem modo diſſolvi debent, quo fuerunt colligatæ (2). Neque ſufficit reformationis confirmatio a Principe indulta, ſed inſuper neceſſe eſt, ut hæc Principis conceſſio a ſupremis magiſtratibus, ad quos ea res pertinet, fuerit interinata: niſi forte reformanda proponantur ſtatuta, quæ ad bonorum univerſitatis adminiſtrationem pertinent (✠3), quæ ab univerſitate, non auctorante Principe, condi poſſe, diximus (Defin. 1.); quia, licet Principis conceſſio non egeat Magiſtratus, qui inferior eſt, confirmatione, interinatio tamen pertinet ad exitum, & executionem reſcripti, ut non ante ad implementum conceſſio perducatur, quam perſpectum a Magiſtratu fuerit, utrum vitio obreptionis, vel ſubreptionis reſcriptum immune ſit; cum hic de tertii præjudicio agatur, quod potiſſimum obtinet, cum adjecta eſt clauſula *attentis narratis* (✠4); hæc enim clauſula apertiſſime indicat, Principem non aliter beneficium concedere velle, quam ſi de veritate eorum conſtet, quæ in precibus expoſita ſunt, quod dijudicare ad ſupremos magiſtratus pertinet.

(✠1) *Deciſ. 8. febr. 1664. refer. D. De Mazzettis in cauſſa univerſitat. Corniati contra opponentes §. Minus obſtant num. 8, Deciſ. 26. aprilis 1635. refer. D. Piſcina in cauſſa de Zuchatis contra Corte §. Secundo non fuit n. 11; D. Deciſ. 27. martii 1776. refer. D. Cavalli in cauſſa Equit. Marchetti contra Soror. Torazza, §. Nec vero num. 33. in fin.*

(2) *L. Nihil tam naturale 35. ff. de reg. jur.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina num. 12.*

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina, & D. §. Secundo non fuit n. 11. in fine.*

DEFINITIO XLIII.

Statuta contraria conſuetudine, nec non deſuetudine abrogantur.

Statuta per contrariam conſuetudinem, vel deſuetudinem abrogari nemo eſt, qui inficiari præſumat; cum leges ipſæ ab ipſo Principe latæ hiſce modis vim ſuam amittant (1). Sed plures actus contrarii requiruntur cum ſubſecuta populi acquieſcentia (✠2); unus enim, vel alter actus contrariam populi totius voluntatem demonſtrare aptus non eſt; quod tamen requiritur, ut lex deſuetudine abrogetur (3). Si autem dubitetur, utrum ſtatuti obſervantia adhuc vigeat, cui incumbat onus probandi, ſupra diximus (Defin. VII.), & ſimul modos expendimus, quibus obſervantia probatur (Defin. VIII).

(1) *L. De quibus cauſſis 32. §. 1, & L. L. ſeqq. ff. de legib.* (1. 3).

(✠2)

Digitized by Google

(✠2) *Deciſ. 31. mart. 1735. refer. D. Grondana in cauſſa Bonini contra Vaninum §. Nec iſta ſtatuti.*

(3) *D. L. 32. §. 1, L. Sed & ea 35. ff. eod. tit. de legib.*

TITULUS III.

De Conſuetudine.

DEFINITIO I.

Conſuetudo immoderata ad rationis limites reducenda eſt.

Conſuetudo juri naturali, vel æquitati contraria, licet inducta probetur, nullatenus ſervanda eſt (1); ne ſuſtineatur, quod delinquendi præbet occaſionem: ſi vero iniqua non ſit, ſed immoderata, intra rectæ rationis limites coerceri debet. Hinc, cum mos eſſet antiquus, ut incolæ Montis Alti Scarampi ligna pro arbitrio cæderent in ſilvis Vaſſallorum in vigilia aſcenſionis, & SS. Corporis Chriſti, atque Vaſſalli propter maximos abuſus reclamarent, Senatus conſuetudinem ſuſtinendam cenſuit, ſed ad rationis normam coercendam eſſe: ita ut interdiu tantum, ſpectante judice vel ejus vicario, aut Vaſſallorum Gaſtaldis in circumſcripta nemoris parte cæderent, atque pro Aſcenſionis feſto centumquinquaginta dumtaxat homines ſinguli, ſingula mediocris craſſitudinis pedamenta exportaturi, nemus adirent: pro feſto SS. Corporis Chriſti decem tantum homines accederent, nec ultra tres ramorum currus abducerent; niſi Vaſſallis luberet ramale potius miniſtrare (✠2).

(1) *Fab. cod. de ſacroſanct. eccl. lib. 1. tit. 2. def. 45. num. 19. in corpore; ubi de conſuetudine percipiendi decimas ab iis, qui in alia parochia ſacramenta ſuſcipiunt.*

(✠2) *Deciſ. 9. april. 1732. refer. D. Bianchis in cauſſa Vaſſallorum Montis Alti Scarampi contra incolas ejuſdem loci.*

DEFINITIO II.

Conſuetudo potiſſimum juri contraria legitime inducta probari debet.

Conſuetudo non ſecus ac res aliæ quæcumque facti non præſumuntur, ſed probari debent, (1): atque hoc potiſſimum obtinet, cum agitur de conſuetudine contra jus (✠2); contra hanc enim duplex militat præſumptio, una pro legis perpetuitate, altera pro ſubditorum obſervantia. Quin & militat præſumptio contra conſuetudinem præter legem, quia non facile exiſtimandus eſt populus, novam obligationem ſuſcipere. Excipi ab onere probandi ſolent conſuetudines notoriæ; quas idcirco ſatis eſt allegare; ne, qui iis nititur, temere ſumptibus oneretur (3): atque idem vulgo traditur de illis, quæ ordinem procedendi reſpiciunt, quia earum notitia facile haberi poteſt.

(1) *Argum. L. Ab ea parte 5. ff. de probat.* (22. 3).

(✠2) *Deciſ. 11. martii 1733. refer. D. Meynier in cauſſa Pronæ contra Advoc. Pronum §. Nam tum ad inducendam n. 13.*

(3) *Argum. L. 1. in fin. ff. de actionib. emti.* (19. 1), *Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. defin. 15.*

DEFINITIO III.

Conſuetudinis eadem vis eſt, ac legis: Cujus loci conſuetudo inſpici debeat?

Cum conſuetudo legem imitetur, eadem ejus vis eſt, ac legis (✠1): atque ſervanda eſt tum in contractibus (2), tum in judiciis (3): ſi autem quæratur, cujus loci conſuetudo ſpectanda ſit, ſi in uno loco contractus celebratus fuerit, in alio autem lis peragatur, placet, locum judicii attendendum eſſe, ſi conſuetudo ſpectet ad litis ordinationem, ſeu ordinem proceſſus: locum autem contractus, cum litis deciſionem conſuetudo reſpicit (✠4).

(✠1)

Digitized by Google

(✠1) *L. de quibus cauſſis* 32. *princip. & §.* 1. *ff. de legib.* (1. 3), *Deciſ.* 27. *martii* 1730. *refer. D. Marelli in cauſſa Comit. Noni contra communitat. ejuſdem loci §. Quibus poſitis.*

(2) *D. L.* 32. *princip.*, *& §.* 1; *Oſaſc. Deciſ.* 114. *num.* 5.

(3) *L.* 1. *§. ult. ff. de inſpiciendo ventre* (25. 4).

(✠4) *Deciſ.* 10. *novembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Amatis, & Pelotter §. Cum certiſſimum ſit num.* 8.

DEFINITIO IV.

Conſuetudo localis eſt; nec forenſes complectitur, niſi in rem ſit.

Regula generalis eſt, conſuetudines omnes locales eſſe, adeoque non afficere ſubditos extra territorium, neque bona extra illud ſita (1); ita ut nequidem ex conventione extra territorium poſſit vires ſuas porrigere (✠2). Neque ad forenſes extenditur, niſi concepta ſit in rem; cum enim ſtricti juris ſit, & odioſa, nec de loco ad locum, nec de re ad rem, nec de perſona ad perſonam temere eſt porrigenda (3). Quemadmodum vero forenſes conſuetudine non in rem, ſed in perſonam concepta ſoluti ſunt, ita nec ejuſdem beneficio gaudent (✠4).

(1) *Fab. cod. de legib., & conſtitut. Princip. lib.* 1. *tit.* 5. *defin.* 3. *num.* 10, & 11. *in corp.*, *& num.* 11. *in allegat.*

(✠2) *Fab. d. loco, Oſaſc. Deciſ.* 100. *num. ult. Deciſ.* 10. *novembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Amatis, & Pelotier § Cum certiſſimum ſit num.* 10.

(3) *Fab. cod. de munerib. patrimonialib. lib.* 9. *tit.* 30. *def.* 15.

(✠4) *Deciſ.* 23. *maii* 1657. *refer. D. Vercelli in cauſſa fratrum Comit. de Perronis contra Baronem Roncaſium §. ult., ubi agebatur de conſuetudine Vallis Auguſtæ, ex qua nullus admittitur ad adeundam hereditatem cum beneficio legis, & inventarii, ſed omnes reputantur heredes ſimplices, ſalvo jure reſtitutionis, ſi ex latenti ære alieno poſtea appareat læſio: atque pronunciatum fuit, conſuetudinem hanc non prodeſſe forenſibus, contra quos poteſt heres uti beneficio inventarii, quo non gaudet erga cives, ſeu municipes, quia forenſes eadem conſuetudine non ligantur.*

TITULUS IV.

De jure perſonarum; atque de dignitate, & nobilitate.

DEFINITIO I.

Filiifamilias, mutuo excepto, a patribusfamilias non ſecernuntur.

Diſtinctio inter patres, & filiosfamilias quod ad domeſticum regimen pertinet, juri potius naturali, quam civili accepto ferenda eſt; naturalis ipſa æquitas demonſtrat, & jubet, parentibus a liberis pietatem, & obſequium præſtandum eſſe, nulla ſexus ratione habita (1): ſi vero filiifamilias conſiderentur tamquam cives, & reipublicæ membra, ſolum jus civile eos diſcernit a patribusfamilias, & quidem in ſolo mutuo, ſingulari ratione filiisfamilias vetito (2); in ceteris videlicet tum in publicis muneribus (3), tum in contractibus patris familiarum jure cenſentur (✠4).

(1) *L. Furioſæ matris* 4. *ff. de curator. furioſ. &c.* (27. 10.)

(2) *L.* 1., *& paſſim ff. de S. C. Macedonian.* (14. 6.)

(3) *L. Filiusfamilias.* 9 *ff. de his, qui ſui, vel alien. jur. ſunt.* (1. 6.), *L. Ille, a quo* 13. *ff ad S. C. Trebellian.* (36. 1.)

(✠4) *L. Tam in contractibus* 57. *ff. de judic.* (5. 1.), *Deciſ.* 28. *ſeptembr.* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Damilani contra Della Negra in fin.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO II.

Filii nati ex matrimonio bona fide, in facie Eccleſiæ, & ſolemniter contracto, legitimi habentur.

An filii ex putativo, ut ajunt, matrimonio procreati, in eo videlicet caſu, quo poſt nuptias contractas vir a muliere divertat, legitimi intelligantur, an illegitimi, diſtinctione opus eſt. Si matrimonium contractum fuerit bona fide, in facie Eccleſiæ, & ſervatis præſcriptis ſolemnitatibus, placet, filios inde natos legitimos eſſe, licet inter virum, & mulierem divortii ſententia canonice fuerit deinde prolata (✠1); cum æquum non ſit, ut innocentes filii prius concepti jacturam inde ſuſtineant. Aliter dicendum, ſi in celebratione matrimonii aliquod fuerit vitium, vel quæ requiſita prætermiſſa ſolemnitas (2); parentum culpa filiis noceret per conſequentiam. Bona autem fides ſufficit in uno (3).

(✠1) *Cap. Cum inter 2, cap. Pervenit 11. extra qui filii ſint legitimi* (4. 17), *Deciſ. 6. februarii* 1711. *refer. Dom. S. Georgio in cauſſa Comit. Goveani contra Comit. Falletum de Villa Falleto §. Primum deſumitur, & ſeqq., Deciſ. 4. aprilis* 1730. *refer. D. Guiller in cauſſa judicii concurſus ſuper bonis Perlaſco §. Ad excluſionem.*

(2) *D. cap. 2. qui filii ſint legit.*

(3) *Cap. penult. extra eod. tit., junge defin. XI. infra tit. V. de modis probandæ filiationis.*

DEFINITIO III.

Filii naturales hodie cenſentur de ſanguine, & agnatione.

Filiorum illegitimorum diverſæ ſolent ſpecies a doctoribus diſtingui (1): ſed præcipua diviſio eſt in naturales, ſeu natos ex viro, & muliere, inter quos conceptionis, vel partus tempore matrimonium conſiſtere potuiſſet, & ſpurios (2), qui in nothos, adulterinos, inceſtuoſos, ſacrilegos, & nefarios vulgo tribuuntur: inter has autem diverſas illegitimorum ſpecies, quod ad ſucceſſionem attinet, maximum diſcrimen eſt (3): ſed hic unum animadvertere ſufficit, naturales hodie de conſuetudine totius Italiæ, & Pedemontis poſſe deferre arma, & inſignia domus, atque dici de ſanguine, & agnatione, quemadmodum legitimos (✠4): adeoque privilegiis, & nobilitate parentum gaudere ex recepta conſuetudine: niſi jura hæc a feudo dependeant, in quibus ſucceſſio naturalibus liberis denegatur (5). Olim tamen apud nos vetitum erat, ne filii etiam legitimi illegitimorum nobilium arma, & cognomen deferrent agnationis, niſi facultatibus inſtructi eſſent ſufficientibus ad tenendum ſtatum nobilitatis, moribuſque, & virtutibus pollerent, atque inſuper ab agnatis facultatem hanc impetraſſent (6).

(1) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 428., *& ſeqq. pag.* 159.

(2) *Argum. Cap. Cauſſa* 4. *extra qui filii ſint legitim.* (4. 17)

(3) *Vid. Theſaur. quæſt.* 22. *lib.* 1. *per totum.*

(✠4) *Deciſ.* 7. *junii* 1730. *reſ. D. Deroſſi in cauſſa Cavalli contra Ricci § Ad ſecundum reſpondebatur ſere prope finem deciſionis, Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 45, *ubi & ad ſpurios hæc extendit: modo tamen illegitimi omnes diſcrimen aliquod in armis, & inſignibus adjiciant, quo a legitimis ſecernantur*, ponendo ſcilicet, barram per tranſverſum, incipiendo a parte ſiniſtra verſus dexteram: *non obſtante contraria præſcriptione, quæ tamen quadragenaria non ſit, vel conſenſu majoris partis agnatorum, cui unus poteſt contradicere. Fab. cod. de dignitate, & nobilitate lib.* 4. *tit.* 9. *defin.* 20., *&* 27.

(5) *Theſaur. lib.* 3. *quæſt.* 5. *num.* 3, *&* 4, *Sola decret. Filii naturales num.* 5. ✠ *pag.* 136.

(6)

Digitized by Google

(6) *Sola de inſignibus, & armis p. 136.*

DEFINITIO IV.

Filii nondum nati, cum de ipſorum commodo agitur, pro natis habentur.

Qui in utero ſunt, nullam, ſi proprie loquamur, conditionem habent (1), cum ſpes tantum animantis ſint (2), & portio mulieris, vel viſcerum (3). Interim tamen, quia ſpes eſt, ut naſcantur, & humanitas ſuggerit, ut eis proſpiciatur; quoties de eorum commodo agitur, pro natis habentur (✠4).

(1) *Partus nondum editus homo recte non fuiſſe dicitur, L. In falcidia 9. §. 1. ff. ad leg. falcid.* (35. 2.)

(2) *L. Negat lex 2. ff. de mortuo infer.* (11. 8)

(3) *L. 1. §. 1. ff. de inſpic. ventre.* (25. 4.)

(✠4) *L. Qui in utero 7. ff. hoc tit. de ſtatu homin.* (1. 5.), *Deciſ. 18 maii 1646. refer. D. Pergamo in cauſſa fratrum de Scarronis contra Vilianum, & Luecum, §. Et hæc eadem ratione: ubi ideirco traditum eſt, poſſe non tantum heredes inſtitui, ſed & reſtitui in integrum.*

DEFINITIO V.

Libertinis dedititiis comparantur talliabiles.

Quamquam ſervitus apud omnes fere populos, paucis exceptis, exolevit, pleriſque tamen in locis, veluti apud Gallos, & apud Sabaudos ſpecies quædam ſervorum eſt, vel potius libertinorum deditiorum, quos *talliabiles* vocant (1); Gallice *mortaillables, ſerfs de main morte, gens de corps, & de pot*. Immo & ſpecies quædam eſt in hac patria, ut teſtantur Theſaurus, & Sola (2). Ideo autem dedititiis libertinis comparari poſſe diximus, quia dedititiorum exemplo vivunt quidem, ut liberi, ſed moriuntur, ut ſervi; cum Vaſſallis jus ſucceſſionis certis in caſibus competat, cujus limites modo latiores, modo arctiores ſunt, ratione habita inveſtiturarum, vel antiquæ conſuetudinis (✠3): immo nec penitus ut liberi vivunt; cum pluribus officiis, tum realibus, tum perſonalibus ſint adſtricti Vaſſallorum favore (4): de quibus ſuis locis agendum erit.

(1) *De his agit Faber in titulis primis libri ſeptimi in ſuo codice, nempe de dedititia libertate tollenda, & de talliabilibus: de communi ſervo manumiſſo: de liberali cauſſa, de præſcriptione, quæ pro libertate competit: de his, qui manumittere non poſſunt: ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur.*

(2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 80., Sola de jure emphyteut. part. 2. Gloſ. 7. pag. 48.*

(✠3) *Sola, & Theſaur. dictis locis, Deciſ. 11. januarii 1644. refer. D. Paſtoris in cauſſa Baronis Valdiſſeriæ contra Claudium Suſanum Ripalenſem.*

(4) *Sola citat. loc.*

DEFINITIO VI.

Alienigenæ, ſeu albini an, & quibus caſibus juribus civium gaudeant?

Alienigenæ, quos albinos, quaſi alibinatos Galli vocant, a juribus, & privilegiis ſubditorum excluduntur: veluti a ſucceſſione tum teſtata, tum inteſtata (1), a feudorum quæcumque acquiſitione, tum & bonorum immobilium, quæ duorum milliarium ſpatio a confinibus non diſtent (2), quamvis in ditione domicilium conſtituerint (3): niſi impetraverint literas, quas naturalitatis, aut civilitatis vocant; a quo tamen jure decidunt, ſi continuis ſex menſibus, non obtenta prius a Principe venia, in exteras regiones ſe contulerint (4). Excipiuntur alienigenæ, quorum favore Principis utriuſque conſenſu mutua jurium, & privilegiorum communio inducta eſt (5); quales quoad nos ſunt

incolæ

incolæ Delfinatus, imo nunc totius Galliæ (✠6), ſubditi ditionis Auſtriacæ (✠7), ut & Marchionatus Baaden Durlach (✠8), & alii: aut niſi ita obtineat mutuo recepta conſuetudine.

(1) *Fab. cod. de verbor. ſignif. lib. 6. tit. 19. defin. 18., Reg. conſtit. lib. 6. tit. 12. §. 2.*

(2) *Reg. conſtit. ibid. §. 6.*

(3) *Reg. conſtit. ibid. §. 1.*

(4) *D. §. 6. Reg. conſtit.*

(5) *Reg. conſtit. ibid. §. 3.*

(✠6) *Sentent. Reg. Cam. 2 januar. 1745, V. declaration. Senat. 5. januar. 1761.*

(✠7) *Reg. Cam. 6. ſeptembris 1710., V. declaration. Senatus 1. febr. 1765.*

(✠8) *Reg. Cam. 9. januar. 1726. in cauſſa Vidman.*

DEFINITIO VII.

Alienigenarum loco habentur, qui alio ſe transferunt ſine animo revertendi. An paternæ originis ratio ſufficiat?

Alienigenarum loco habendi ſunt, qui in aliam ditionem ſe transferunt, domicilium ibi conſtituunt, & retinent, quin habeant revertendi animum (✠1): etenim domicilium, quemadmodum propria voluntate unuſquiſque ſibi conſtituit (2), ita & pro arbitrio mutat (3); ita ut impoſterum deſinat ſubjici juriſdictioni illius loci (4): poteſt utique quis duplex habere domicilium (5); ſed ad hoc neceſſe eſt, ut in utroque loco ita ſe inſtruxerit, ut æque res ſuas in utroque fixiſſe videatur (6): quod dici non poteſt de eo, qui revertendi animum non habeat. Atque hinc, cum filius domicilium patris ſequi non teneatur (7), ſed propria voluntate illud mutare, & conſtituere poſſit (8), merito traditum, paternæ originis rationem non ſufficere, ut quis pro indigena habeatur (✠9). Subditi tamen, qui per longiſſimum tempus alibi commorantur, quin animum habere demonſtrent, illic domicilium perpetuo figendi, & proprium deſerendi; immo verbis, vel facto contrariam habere voluntatem declaraverint, non ſunt pro alienigenis habendi (✠10); quia nec patriam deſeruiſſe, nec domicilium alio tranſtuliſſe, dici poſſunt, quo ſubditorum juribus, & privilegiis ſpoliari mereantur.

(✠1) *Sentent. Senat. 24. martii 1752. refer. D. Rotario in cauſſa Felicis Bollea contra La Croix, Spagarinam, & Michaelem Bolleam, V. Votum Senatus Sabaudi 16. martii 1616. in cauſſa Regii Procurator. contra Nicolaum Cortino.*

(2) *L. In lege cenſoria 203. ff. de V. S., V. Iuriſprud. Tom. XI. pag. 115. §. 463, & ſeqq.*

(3) *L. Nihil eſt 31. ff. ad municipal.* (50. 1.)

(4) *Argum. L. Si in patria 5. cod. de incol.* (10. 39)

(5) *L. Labeo 5. ff. ad municipal.*

(6) *L. Adſumtio 6. §. pen. ff. eod. tit.*

(7) *D. L. 6. §. 1., L. Libertus 17. §. Patris 11. ff. eod. tit.*

(8) *L. Placet 3.; & ſeqq. ff. eod. tit.*

(✠9) *V. Concluſ. Officii D. Advocat. General. 6. februarii 1752. in ſupradicta cauſſa Bollea ſubſcrip. a D. Peyretti nunc meritiſſimo Senatus Protopræſide, ubi & additur, Fabrum a priore ſententia, de qua ſcripſerat in defin. 18 lib. 6 tit. 19 de verbor. ſignif. receſſiſſe.*

(✠10) *Deciſ. 12. ſeptembris 1764. refer. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſauri §. Quod denique num. 81. uſque ad finem deciſionis. Quod intelligendum, præciſa lege municipali, quæ aliud conſtituat, V. Reg. conſtit. lib. 4. tit. 34. cap. 16. §. 3, & 4.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO VIII.

Filius nobilitatem habens ab avo eam retinet, quamvis pater ea ſpoliatus fuerit.

Filius, qui a genere nobilitatem ſortitur, nimirum ab avis, vel proavis, non minus nobilis naſcitur, quamvis per ſordidas artes, aut per aliquod delictum nobilitate ſpoliatus pater proponatur; cum enim, ſicuti eleganter ratiocinatur Ulpianus, filius hic, & tamquam filius, & tamquam nepos nobilis perſona conſiderari poſſit (1), æquius eſt, ut favore ipſius, qui innocens eſt, avi potius, quam patris conſanguinitas in hac ſpecie attendatur (✠2): tum maxime, quia iniquum eſt, a patre ſolo auferri filio, quod non a patre ſolo filius habet.

(1) *L. Emancipatum* 7. *§. ult. ff. de ſenatorib.* (1. 9.)

(✠2) *Fab. cod. hoc tit. de dignitat., & nobilitat. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 1, *&* 14., *Deciſ.* 16. *januarii* 1680. *refer. D. Gabuti in cauſſa Bullæ contra Conſiliarios Sedilis civit. Aſtæ §. Et etiam quia.*

DEFINITIO IX.

An vidua fruatur privilegiis mariti?

An nobilium defunctorum conjuges, quamdiu viduæ manent, iiſdem pergant frui privilegiis, res est diſtinctionibus dirimenda. Privilegia, quæ dignitati, vel conditioni annexa ſunt, etiam poſt mariti mortem intacta penes viduam permanent; quia idem fingitur durare matrimonium, quamdiu novum non contrahit (✠1). Sed, mortuo marito, privatur privilegiis omnibus, quæ potius ratione officii competunt; quippequod in ſuperſtitem mulierem, tranſire nullatenus fingi poteſt (2).

(✠) *L. Filii libertorum* 22. *§.* 1. *ff. ad municipalem* (50. 1.), *L. Super cauſſa* 3. *cod. de privilegiis ſcholarum* (12. 30.), *Faber cod. de dignitat. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 22., *Deciſ.* 20. *ſeptembris* 1662. *refer. D. Beraudo in cauſſa fratrum de Valimbertis C. Villam §. Non primum.*

(2) *Fab. cod. eod. tit. def.* 23.

DEFINITIO X.

Quibus modis probetur nobilitas?

Nobilitas probatur inſtrumentis, & ſcripturis antiquis, recognitione inſignium, depoſitione teſtium, de publica voce, & fama: imo, cum agitur de re probata difficili, in antiquis leviores recipiuntur probationes, veluti quod parentes inter alios fuerint incidenter pro nobilibus habiti, maxime ſi aut coram Principe, aut apud Supremas Curias inſtrumenta illa conſcripta proponantur (✠1); nec enim facile præſumi poteſt, Principem, aut ejus magiſtratus pati, ut, qui nobilis non eſt, nobilis appelletur, quia publice intereſt, ut nobiles ab ignobilibus diſtinguantur (2). Potiori ratione, ſi Princeps per verba enunciativa aliquem nobilem dicat, vel ea dignitate præditum, quæ nobilitatem conferat, ſatis probata habetur nobilitas etiam quoad alios, ſaltem ſi de ea agatur dignitate, & qualitate, quam princeps veroſimiliter ignorare non poſſit (3).

(✠1) *Fab. cod. de probationib. lib* 4. *tit.* 14. *definit.* 27., *Deciſ.* 16. *januarii* 1680. *refer. D. Gabuti in cauſſa Bullæ contra Conſiliarios Sedilis de hoſpitio civitatis Aſtæ. §. Et quoad primum, & ſeqq.*

(2) *Toto tit. cod. ut dignit. ordo ſervetur* (12. 8.)

(3) *Fab. cod. de dignit., & nobilit. lib.* 9. *tit.* 29. *def.* 15.

F DE-

DEFINITIO XI.

Quibus modis nobilitas amittatur, & an ipſo jure aliquando reſtituatur?

Amittitur nobilitas per artes ſordidas, & mechanicas; quia ſub ea conditione conferri judicatur, ut nobilis nobiliter vivat, atque ab iis abſtineat, quæ virum nobilem dedecent (1). Sed, quamvis ipſo facto in hoc caſu nobilitas amittatur, non tamen licet communitati ante declaratoriam judicis ſententiam nobilem hunc, quaſi plebejum jam factum, plebejorum oneribus ſtatim ſubjicere; ne univerſitas ipſa, jus ſibi dicere, videatur; quod privatis non conceditur (2). Sed ſi ſponte hic ab artibus mechanicis, vel ſordidis abſtineat, an reſtituatur ipſo jure nobilitati priſtinæ, quin nova opus ſit Principis conceſſione, diſtinguendum eſt, utrum nobilitatem habuerit a genere ex antiqua proſapia, an ex privilegio primus ſibi, & ſuis nobilitatem quæſierit. In prima ſpecie nulla opus eſt, ut ajunt, reabilitatione, utique in altera (✠3). Diſcriminis ratio inde petitur, quod nobilitas generis major judicatur, quo fit, ut difficilius, quam altera amittatur. Plures alii ſunt modi amittendæ nobilitatis, quos alibi expendimus (4).

(1) *Fab. cod. de dignit., & nobil. lib.* 9 *tit.* 29. *defin.* 18.

(2) *L. Non eſt ſingulis* 176. *ff. de reg. jur., Fab. d. def.* 18.

(✠3) *Fab. cod. eod. tit. defin.* 1., & 18., *d. Deciſ.* 16. *januarii* 1680. *refer. D. Gabuti in cauſſa Bullæ contra Conſiliarios Sedilis de hoſpitio civit. Aſtæ* §. *Et etiam quia.*

(4) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 516., & *ſeqq. pag.* 181.

TITULUS V.

De filiationis probandæ modis.

DEFINITIO I.

Leviores recipiuntur probationes, cum de filiatione agitur.

Cum filiatio magis, quam matrimonium, difficilis ſit, immo pene impoſſibilis probationis (1), per coniecturas adſtrui poſſe, vulgo placet; hactenus ſaltem, ut, qui negat, probandi neceſſitate oneretur: maxime ſi diſtantia ſint locorum, & temporum intervalla (✠2), & filius ſit in quaſi poſſeſſione filiationis: unde etiam receptum, ut per unum teſtem cum fama probetur (3): ſi tamen poſſeſſionem recuperare quis velit, filiatio plene probanda eſt (✠4), cum poſſidens pro ſe habeat juris præſumptionem (5).

(1) *L. Lucius Titius* 83 *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1).

(✠2) *Fab. cod. de probationib. lib.* 4. *tit.* 14. *def.* 6, & *def.* 8. *num.* 1, & *def.* 23, *Deciſ.* 2. *maji* 1714. *refer. D. San. Martino in cauſſa Franciſci Mauritii ex Comitibus Caſtrimontis contra Lucretiam uxorem D. Piconi* §. *Ex ſupradictis, & ſeqq., Deciſ.* 13 *ſeptembris* 1764. *refer. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſauri* §. *Plurima ſunt n.* 23, & 51. *in allegat., Dec.* 12. *maii* 1769. *refer. D. Paoletti in cauſſa ſoror. Galiardi contra Guaſſonam, & Barberis* §. *Ad primam quod attinet num.* 22.

(3) *Fab. D. Def.* 8. *cod. de probationib.*

(✠4) *Dec.* 31. *Auguſti* 1665. *refer. D. Bellino in cauſſa Cuſani contra Juvenonum per tot.; ubi & traditur, tertio poſſeſſori non nocere probationem filiationis factam contra heredem debitoris, quia concludentes probationes, ſeu præſumptiones filiationis requiruntur, cum de inteſtata ſucceſſione agitur, non cum de teſtamentaria V. infra Definit. XII., Deciſ.* 6.

fe-

Digitized by Google

februarii 1711. *refer. D. S. Georgio in cauſſa comit. Goveani contra Comit. Faletum a Villafalletto*, §. *Nullo modo relevare*:

(5) *L. Sive poſſidetis* 16. *cod. de probat.* (4. 19).

DEFINITIO II.

Potior probandæ filiationis modus deſumitur ex cohabitatione viri, & mulieris.

Prima, & potior filiationis probatio ea eſt, quæ ex cohabitatione viri, & mulieris deducitur (✠1); is enim pater creditur, quem nuptiæ demonſtrant (2): quod etiam receptum eſt in ea ſpecie, qua mulier adultera fuerit (3), vel de legitimitate matrimonii dubitetur; nam ex pontificio, & civili jure in conſuetudine liberæ mulieris nuptiæ potius intelliguntur, quam concubinatus (4); ne delicti præſumptio temere inducatur (5), quæ ſemper vitanda eſt (6).

(✠1) *L. Filium eum* 6. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* (1. 6), *Theſ. quæſt. Forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 103. *n.* 2, *D. Deciſ.* 12. *maii* 1769. *refer. D. Paoletti* §. *Ad primum quod attinet*, *Dec.* 28. *ſeptembris* 1668. *refer. D. Rolando in cauſſa Philiberti Umberti Laſcaris contra Marchion. de Palatio* §. *Ideo ex ſequentibus*.

(2) *L. Quia ſemper* 5. *ff. de in jus vocando* (2. 4).

(3) *V. Jurisprud. Tom.* 1. §. 426. *p.* 158.

(4) *L. In liberæ* 24. *ff. de ritu nuptiarum* (23. 2), *L. Si vicinis* 9. *cod. de nuptiis* (5. 4), *cap. Per tuas literas* 12 *extra qui filii ſint legitimi* (4. 17).

(5) *Fab. defin.* 8. *cod. lib.* 4. *tit.* 14. *de probat. num.* 12, 13, 14 *in corpore*.

(6) *L. Moveor* 4. *cod. ſi ſerv. export. vend.* (4. 55), *L. Merito* 51. *ff. pro ſocio* (17. 2).

DEFINITIO III.

Filius præſumitur, qui a viro, & uxore tamquam filius habitus, baptizatus, & educatus fuit.

Altera filiationis præſumptio, ſeu probatio eſt, cum a viro, & uxore quis fuit habitus, baptizatus, & educatus tamquam filius (✠1): ſaltem, ſi longo tempore geſta hæc fuerint, & vix alteri, quam filio, convenire poſſint; & ſimul concurrant alia adminicula, puta facultatum, affectionis, & ſimilium: niſi forte conjuges eum ex ſe progenitum negaverint: negatio autem certis judiciis, vel teſtibus non deſtruatur (2).

(✠1) *Theſ. d. quæſt.* 103. *lib.* 3. *n.* 1., *d. Deciſ.* (*Defin. præc.*) *ref. D. Rolando in cauſ. Laſcaris* §. *Tertio facit tractatus*.

(2) *Cap. Tranſmiſſæ nobis* 3. *extra qui filii ſint legit.* (4. 17).

DEFINITIO IV.

Nominatio alicujus in filium a patre facta publice, & aſſertive filiationem probat.

Probandæ filiationis argumentum quoque præbet nominatio alicuius in filium, quæ facta ſit a patre (✠1), publice, & aſſertive (2). Atque hoc caſu nullam vim haberet contrarium poſterius jusjurandum (3): quod in alterius diſpendium, jurisque jam quæſiti revocationem retractari non poſſe æquitas ſuadet. Huic autem nominationi tantam vim tribuit Juſtinianus, ut, ſi in inſtrumento etiam privato, modo trium teſtium ſubſcriptione munitum ſit, vel in aliquo actu publico, puta teſtamento, pater eum, quem ex libera muliere habuit, filium nominaverit, nil aliud adjiciendo, legitimum omnino reputandum eſſe velit, nec ullam amplius requiri probationem, ut juribus omnibus legitimorum fruatur (✠4). Si vero nominatio incidenter facta fuiſſet, & ad alium finem, vix eſt, ut per ſe ſola filio proſit, quum actus agentium regulariter nihil

hil operentur ultra eorum intentionem (5): niſi tamen eſſemus in antiquis, in quibus leniores ſufficiunt probationes (✠6), atque receptum, ut verba enunciativa plene probent ob difficultatem certioris probationis (7).

(✠1) *D. Dec. 12 maji 1769. ref. D. Paoletti in cauſſa ſoror. Galliardi contra Guaſſonum, & Barberis §. Ad primum, quod attinet, junct. §. Verum etſi num. 52, D. Deciſ. 6. februarii 1711. refer. D. San. Georgio in cauſſa Comit. Goveani contra Comit. Falletum de Villafalletto §. Secundo loco deſumitur, D. Deciſ. 28. ſeptembris 1668. refer. D. Rolando in cauſſa Philiberti Umberti Laſcaris contra Marchion. de Palatio §. Primo ſuccedit nominatio.*

(2) *Diſtinguere ſolent interpretes inter aſſertionem, nominationem, profeſſionem, & confeſſionem; aſſertio dicitur, quæ fit proprio motu; confeſſio fit ad interrogationem, profeſſio quandoque fit diſpoſitive, quandoque enunciative tantum; nominatio vero emunciative fieri ſolet.*

(3) *Cap. per tuas nobis 10. extra de probationibus (2. 19).*

(4) *Novel. 117. cap. Ad hoc autem 2.*

(5) *Ab eccleſ. part. 1. obſervat. 90. num. 9, & 10.*

(✠6) *D. Deciſ. 2. maji 1714. refer. D. San. Martino a Baldiſſerio in cauſſa Franciſci Mauritii ex Comitibus Caſtrimontis contra Lucretiam Picconi ejus ſororem §. Ex ſupradictis.*

(7) *Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. def. 6, & defin. 28. n. 7. in corpore.*

DEFINITIO V.

Inſtitutio alicujus tamquam filii indicium filiationis præbet.

Nominationi adjungi poteſt inſtitutio in hæreditate: equidem inſtitutio etiam in extraneam perſonam conferri poteſt, & in jure traditur, a ſucceſſione repellendum eum, quem teſtator errore ductus, quaſi filium, hæredem ſcripſit (1): ſi tamen teſtator aliquem, uti filium, ad hereditatem vocaverit, nec error probari poſſit, non levis orietur filiationis præſumptio (✠2): quæ fortior longe erit, ſi in legitima ſit aliquis inſtitutus; cum inſtitutio hæc alteri, præterquam filio, convenire non poſſit. Quin immo ex inſtitutione alicujus tamquam filii, ſi Theſauro credimus (3), oritur præſumptio filiationis, juris, & de jure, quæ contrarias probationes non admittit, atque elidit quaſcumque conjecturas, quæ contra elici poſſent; ita ut nec matris confeſſio filio præjudicet, nec publica vox; & fama: niſi afferantur concludentes oppoſitæ probationes; quia pro matrimonio ſemper capienda ſit præſumptio (4). Quare, concurrente nativitate filii in figura matrimonii, tractatu patris, inſtitutione, & baptiſmo, legitimum filium judicatum fuiſſe a ſenatu refert; quamvis mater contrarium aſſereret, immo & de ſama aliqui deponerent (5).

(1) *L. Si pater tuus 4 cod. de heredib. inſtituend. (6. 24).*

(✠2) *Argum. L. Quidam, cum filium 132. ff. de verb. obligat. (45. 1), Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 103. num. 3., d. Deciſ. 28. ſeptemb. 1668. ref. D. Rolando in cauſ. Laſcaris contra Marchion. de Palatio §. Quarto huic contradicit.*

(3) *Deciſ. 108. num. 4.*

(4) *L. Miles 11. §. Quæ propter impuberem 9 ff. ad Leg. Jul. de adulteriis (48. 5).*

(5) *Theſaur. D. lib. 3. quæſt. 103. num. 9 ✠.*

DEFINITIO VI.

Publica fama filiationem probat.

Plurimum prodeſt ad filiationem probandam publica fama (✠1); maxime ſi filii paterno nomine, & cognomine publice ſint appellati: atque ex hac putat Faber, filium in quaſi poſſeſſione filiationis retinendum, donec contrarium demonſtretur, ſaltem ſi aliqua ſimul adſint adminicula, puta diſtantia locorum, & temporum (2).

(✠1)

Digitized by Google

(✠1) *Theſaur. lib. 3. quæſt. 103. num. 8, D. Decif. 12. ſeptembris 1764 refer. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſauri. §. Additur denique num. 58, D. Deciſ. 2. maji 1714. ref. D. San Martino in cauſſa Comit. Caſtrimontis contra Comitiſſam Lucretiam Pieconi §. Prima conjectura.*

(2) *Fab. eod. de probat. lib. 4. tit. 14. defin. 8.*

DEFINITIO VII.

Teſtibus probatur filiatio. Quæ requiruntur in teſtium depoſitione?

Publica fama potior eſt teſtium depoſitio, quam idcirco ſufficere nemini dubium eſt, ſi modo teſtes deponant, matrimonium tamquam legitimum vulgo habitum fuiſſe; quamvis aliam dicti ſui rationem non præbeant, quam quod ita ſemper cenſuiſſe univerſos, animadverterint (✠1): vel declarent aliquem in univerſa provincia palam, & publice ut legitimum filium habitum fuiſſe, & ex eo matrimonio procreatum (✠2).

(✠1) *D. Deciſ. 1. ſeptembris 1764. ref. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſauri §. Teſtium quoque num. 55; teſtes enim de auditu, & fama admitti neceſſario debent in illis, quæ vix aliter cognoſci poſſunt.*

(✠2) *D. Deciſ. §. Poſteriores denique num. 56. Atque ita exceptio habetur regulæ, qua conſtitutum eſt, ne teſtibus credatur, niſi dicti ſui rationem ſpecificam afferant, L. Sola teſtatione 4. cod. de teſtibus (4. 20); quod & in aliis cauſſis recipitur præſertim in rebus, quæ hominum memoriam excedant Fab. cod. de teſtib. lib. 4. tit. 15. def. 41.*

DEFINITIO VIII.

Quid de confeſſione eorum, quorum intereſt, & judicis ſententia?

Confeſſio judicialis, vel extrajudicialis adverſæ partis, vel aliorum, quorum intereſt, filiationem quoque adſtruit (✠1); cum pro judicato habeatur confeſſus (2). Judicis autem ſententia, qua aliquem filium pronunciaverit, vim habet non tantum quoad ipſum patrem (3), ſed & quoad alios (4); dummodo judex de ipſa filiatione ſententiam dixerit; ſi enim tantum pronunciaverit ſuper alimentis alicui præſtandis, non inde exurgit filiationis probatio (5); facilius enim, & proviſionaliter, ut ajunt, conceduntur alimenta, quæ qui denegat, necare videtur (6).

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Bruno (Definit. praeced.), & d. §. Additur denique n. 58.*

(2) *L. 1. ff. de confeſſis* (42. 1).

(3) *L. 1. §. ult. ff. de agnoſcend., & alend. liber.* (25. 3).

(4) *L. In omnibus 2. ff. eod. tit.*

(5) *L. Si quis a liberis 5. §. Meminiſſe 9. ff. eod. tit.*

(6) *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, ſed & is qui abjicit, & qui alimenta denegat, & is, qui publicis locis miſericordiæ cauſſa exponit, quam ipſe non habet, L. Necare 4. ff. eod. tit.*

DEFINITIO IX.

An filiationem probet fides parochi? Quid de vultus ſimilitudine?

Demum aliis etiam indiciis, quæ confeſſioni æquivalent, probatur filiatio: veluti per librum, in quo pater ſcripſerit manu propria nomina filiorum ſuorum, natalis, & baptiſmi diem, & ſimilia: vel per epiſtolam, in qua quis filius nominetur; quæ ſaltem prodeſſe debent, ut ille in quaſi poſſeſſione filiationis conſtituatur, qua onus contrarium probandi transferat in adverſarium (1). His addenda eſt fides Parochi, ex qua conſtet de legitima matrimonii celebratione. Atque hinc oritur præſumptio pro filiatione juris, & de jure: niſi forte probetur viri abſentia, vel impotentia (✠2); nullum enim fide dignius teſtimonium afferri poteſt, quam illius, ad quem ex vi publici ſui muneris pertinet. Sed ad probandam filiationem vix confert ſimilitudo, ſive effigies,

Digitized by Google

figies, quia frequentius contingit, ut omnino diſſimiles a parentibus filii ſint, aliorumque imaginem referant: aliqualis tamen filiationis conjectura hinc erui poteſt (✠3) potiſſimum ſi alia concurrant argumenta, ex quibus filiationem probari poſſe demonſtravimus.

(1) *L. Ab ea parte* 5. *princip.*, *&* §. 1; *L. In exceptionibus* 19. *ff. de probat.* (22. 3).

(✠1) *D. Deciſ.* 6. *februarii* 1711. *refer. D. S. Georgio in cauſſa Comit. Goveani &c.* §. *In hac facti ſpecie*, *& ſeqq. Eadem fere dicenda ſunt de fide baptiſmatis D. Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1668 *refer. D. Rolando in cauſ. Philiberti Umberti Laſcaris contra Marchion. de Palatio.* §. *Sexto addenda.*

(✠3) *D. Deciſ.* 2. *maji* 1714. *refer. D. San Martino in cauſſa Franciſci Mauritii ex comitibus Caſtrimontis contra Comitiſſam Lucretiam uxorem Picconi* §. 8. *Non parum urgebat.*

DEFINITIO X.

Probationes probationibus jungi debent, cum agitur de probanda filiatione.

Cum de probanda filiatione agitur, probationes probationibus jungendæ ſunt, indicia indiciis, ut ſaltem unita juvent, quæ forte ſingula prodeſſe non poſſent (✠): quod & in aliis argumentis fieri permittitur (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 12. *ſeptembris* 1761. *refer. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſ.* §. *Hac omnia ſimul juncta n.* 59., *d. Deciſ.* 2. *maji* 1714. *refer. D. San Martino in cauſ. Caſtrimontis, & Picconi* §. *In hac facti ſpecie.*

(2) *Fab. cod. de probationib. lib.* 4. *tit.* 14. *Defin.* 66.

DEFINITIO XI.

Legitimus reputatur filius natus ex femina matrimonio juncta. Quid ſi pater aliquem filium nominaverit?

Filiatio legitima ex eo potiſſimum adſtruitur, quod quis natus ſit ex femina legitimo matrimonio juncta (1): niſi forte vir diu abſuiſſe probetur, vel alio detentus impedimento. Quin immo ſufficit ignorantia impedimenti in alterutro ex conjugibus, ut proles legitima cenſeatur (✠2), quod tum inſontis conjugis, tum innoxiæ prolis favor ſuaſit; atque ut etiam in bona primogenialia ſuccedere queat (✠3). Idem affirmandum, ſi pater aliquem filium ſuum nominaverit: potius creditur de legitimo filio cogitaſſe, quam naturali, vel ſpurio, cui filii denominatio minus congruit: atque in dubio legitimus quiſque reputatur (✠4), ut excludatur delicti præſumptio (5).

(1) *Cap. Ex tenore literarum* 14. *Extra qui filii ſint legitimi* (4. 17), *Fab. cod. de probationib. lib.* 4. *tit.* 14. *def.* 8.

(✠2) *Cap. Cum inter virum* 2, *& d. cap.* 14. *qui fil. ſint legit.*, *d. Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1764. *refer. D. Bruno in cauſſa utrinque Theſauri*, §. *Sed eſto n.* 37.

(✠3) *Fab. d. defin.* 8. *cod. de probationib.*, *Theſaur. Deciſ.* 196. *n.* 7, *Deciſ.* 4. *aprilis* 1730. *refer. D. Guillier in cauſſa concur. Perlaſco* §. *Ad excluſionem*, *junge Defin. II. ſupra tit.* 4. *de jure perſonar.*

(✠4) *L. Filium* 6. *ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* (1. 6), *Deciſ.* 12. *decembris* 1590. *refer. D. Cortina in cauſſa Coſtæ.*

(5) *L. Movear* 4. *cod. Si ſerv. exportand. &* (4. 55), *L. Merito* 51. *ff. pro ſocio* (17. 2).

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XII.

Naturalis filiatio probanda eſt ab afferente, qui ſucceſſionem inteſtatam petit; ſecus ſi teſtamentariam.

Si caſus contingat, quo diſputetur, an quis ſpurius ſit, ut a ſucceſſione, vel alio jure repellatur, quæ ſpuriis denegatur, naturalibus autem conceditur, ei, qui ſe dicit naturalem, & ſpurium negat, incumbit onus probandi, niſi notoria res ſit, ſi de ſucceſſione inteſtata tractetur, non vero ſi de hereditate teſtamento delata (✠1). Diſcriminis ratio inde petenda, quo in prima ſpecie naturalis conſanguinitas fundamentum eſt, qua quis ſucceſſionem ad ſe pertinere contendit. Probare ergo eam debet (2). In altera vero jus ſuum metitur ex teſtamento, a cujus favore non debet excludi, niſi is, qui vitium ineſſe dicit, evidenter probet (3). In dubio autem præſumendus potius eſt filius naturalis, quam ſpurius; quia in facto occulto favorabilis capienda eſt interpretatio pro filio, ne delictum præſumptionibus augeatur, quod a naturali æquitate abhorret (✠4).

(✠1) *Theſaur quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 83. n. 4, Deciſ. 7. junii 1730 refer. D. Deroſſi in cauſſa Cavalli contra Ricci §. 2. Quia illa præſumptio.*

(2) *L. Quotiens operæ* 18 §. 1, *&* 2, *L. Verius* 21. *ff. de probationibus* (22. 3).

(3) *L. Moveor* 4. *cod. Si ſerv. export. ven.* (4. 55), *L. Merito* 51. *ff. pro ſoc.* (17. 2).

(✠4) *Argum. Nov.* 117. *cap. Ad hoc autem* 2, *d. Deciſ. refer. D. Deroſſi & d.* §.

DEFINITIO XIII.

Quibus modis filiatio naturalis probetur?

Modi, quibus naturalis origo demonſtratur, iidem ſunt, quibus hactenus oſtendi diximus legitimam nativitatem, ſi primum excipiamus, quæ ex cohabitatione viri, & mulieris deſumitur (Defin. II). Probatur ergo ex aſſertione, & nominatione patris, ex filii reſidentia in domo, ex patris providentia, ex publica fama, ex eodem cognomine, & ſimilibus indiciis, vel conjecturis (✠1); cum etiam filiatio naturalis difficilis omnino ſit probationis (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 7. *junii* 1730. *refer. D. Deroſſi in cauſ. Cavalli contra Ricci* §. 1. *Ex repetita, & ſeqq.*

(2) *Argum. L. Lucius Titius* 83. *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1).

TITULUS VI.

De alendis liberis, ac parentibus.

DEFINITIO I.

Quæ veniant alimentorum nomine, aut cibariorum?

Alimentorum nomine veniunt generaliter ea omnia, ſine quibus humanum corpus ſuſtineri non poteſt, & quæ natura ipſa hominis demonſtrat (✠1): proinde non tantum cibus, & potus, veſtes, & habitatio (2), cujus appellatione etiam utenſilia contineri videntur (3): ſed etiam expenſæ infirmitatis, niſi maximæ, & extraordinariæ ſint (✠4) atque ſumtus funeris, qui neceſſarii ſunt ad convenientem defuncti alimentarii corporis curam (5). Atque ita a cibariis diſtinguuntur, quæ cibum tantum, & potum complectuntur, non autem veſtiarium, nec habitationem (6).

(✠1) *L. Legatis alimentis 6. ff. de alim., & cibar. leg.* (34. 1), *Deciſ.* 26. *martii* 1643. *refer. D. Piſcina in cauſſa Viduæ Occellæ contra Ricardonum in princip.*

(2) *D. L. 6. ff. de alim. legat.*

(3) *Argum. L. Labeo* 7. § 1 *ff. de ſupellect. legat.* (33. 10), *L. Quos nos* 234. §. *ult. ff. de verb. ſignificat.*

(✠4)

(✠4) *Theſ. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 52. num. 6.* ✠, *Deciſ. 29. Januar. 1740. refer. D. Boggio in cauſſa conjugum de Galliardis contra Oliverium in fine.*

(5) *Argum. L. Et ſi quis impediat 14. §. 1. ff. de religioſ.* (11. 7).

(6) *L. Diariis 21. ff. de alim., vel cibar. leg.*

DEFINITIO II.

Alimenta liberis debent aſcendentes, ſervato ordine, & gradu conjunctionis. Mater primo triennio partum alit.

Onus præſtandi alimenta incumbit tum patri (1), tum matri, tum aliis aſcendentibus paternis, vel maternis, ſervato ordine, & gradu conjunctionis; ita ut, qui proximior eſt, primus teneatur, & ceteri tantum in ſubſidium (2); hi enim omnes parentum nomine intelliguntur, & ab iis liberi proximius, vel remotius vitam hauſerunt; hoc tamen diſcrimen eſt inter patrem, & matrem, quod hæc primo triennio lac præbere debet, & pater poſt triennium oneri ſubjicitur alimenta ſuppeditandi (✠3); ita tamen, ut etiam primi trienii alimenta patris oneri ſint, ſi mater nec lac præbere, nec impenſis ſuis nutricem conducere poſſit, & viciſſim mater repetit, quæ amplius primo triennio in filios expenderit (✠4).

(1) *L. Si competenti 3. L. 4. cod. hoc tit. de alend. liber.* (5. 25).

(2) *Auth. Si pater cod. Divortio facto* (5. 24).

(✠3) *Theſaur. Deciſ. 211. num. 7.* ✠, *& Deciſ. 3. num. 7.* ✠ *ita paſſim colligunt ex his verbis.: & remedium alimentorum apud præſidem majori trimo petenti nomine ejus monſtratum jure manifeſto declarant, quæ habentur in L. Nec filium 9. cod. de patr. poteſt.* (8. 47), *Deciſ. 16. martii 1643. refer. D. Piſcina in cauſſa Ocellæ contra Ricardonum, in fine.*

(✠4) *Si mater alimenta, quæ fecit in filium, a patre repetat, cum modo eam audiendam D. Marcus reſcripſit, L. Siquis a liberis 5. §. Si mater 14. ff. hoc tit.*, (25. 3) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina in fin.*

DEFINITIO III.

Frater, & patruus in ſubſidium alimenta debent.

Si aſcendentes nulli ſint, vel impares præſtandis alimentis, onus hoc incumbit fratri, qui dives ſit (1), ob ſanguinis intimam, & proximam conjunctionem, quamvis frater tantum naturalis ſit, imo & ſpurius (2): nec bona provenerint a communi patre (3), quorum omnium eadem ratio eſt, nempe proxima ſanguinis conjunctio. Si frater deficiat, vel inops ſit, obligatio hæc in ſubſidium devolvitur ad patruum, quamvis de nepote naturali, vel ſpurio agatur, vel etiam de nepote ex fratre naturali, vel ſpurio, ita etiam ſuadente proxima ſanguinis conjunctione inter has perſonas, quæ parentum, & liberorum loco ſunt (4), atque ita in foro ubique receptum eſt (✠5).

(1) *L. Qui filium 4. ff ubi pupil. educ. debeat* (27. 2.), *L. Mutus 73. §. 1. ff. de jur. dot.* (23. 3), *Theſ. dec. 211. litera A in addition.*

(2) *Surd. de alim. tit. 1. quæſt. 25 num. 28, & 33, argum. Novel. 89. cap. 12 §. 6.*

(3) *Surd. Ibid. in princip.*

(4) *L. Sororis 39. ff. de ritu nuptiarum* (23. 2).

(✠5) *Surd. d. tit. 1. quæſt. 25. n. 28, & quæſt. 23. per totum, Sententia Senat. 11. Janu. 1711. in cauſſa Paſerii, & Ballardi, Deciſ. 14. junii 1760. refer. D. Scala in cauſſa fratrum Falletti contra patruum, ubi Senatus divitem patruum, qui ſex filios habebat, & alios ſperabat, pronuntiavit, teneri ad ſuppeditandas quinque nepotibus libras quindecim in ſingulos menſes pro unoquoque, a die factæ petitionis uſque ad annos cujuſque XXV, ſalvo ipſis jure, ſi adhuc egerent, quum ad illam ætatem pervenerint, & pariter ſalvo jure ipſi patruo moderationem obtinendi, ſi ſe imparem*

rem demonſtraverit: quamvis autem ea etiam ratione motus videri poteſt Senatus, quod patruus a patre ſuo, nepotum avo, ingens patrimonium accepiſſet; certum tamen eſt ſubſidiariam hanc patrui obligationem in variis ſupremis tribunalibus receptum eſſe. De ſupremo Caſtellæ conventu, atque Senatu, de Regia Aragonenſi audientia, de ſupremo conſiſtorio Regni Siciliæ, de ſacro conſilio Neapolitano, atque ſacro Rotæ Romano tribunali teſtatur Rota recent. part. 7. Decif. 194. n. 8. ad 13.

(✠5) *Decif. 11. junii 1670. ref. D. Villiono in cauſſa Marchionum Palatii contra Humbertum fratrem naturalem. §. Et ideo pronunciato, dicta Decif. 14. junii 1760. ref. D. Scala in cauſſa utrinque Falletti. §. Quamobrem ſolam num. 17.*

(6) *L. Si quis a liberis 5. §. Utrum autem 2. ff. hoc tit. de agnoſcend. & alend. liber.* (25. 3).

DEFINITIO IV.

An donatarius omnium bonorum alimenta debeat liberis donatoris?

Major difficultas eſt, utrum donatarius omnium bonorum alimenta præſtare teneatur liberis donatoris. Affirmat Theſaurus (1), negant alii (2), ea moti ratione, quod donatarius ne quidem cogi poſſit jure ſtricto ad alendum ipſum donatorem, cum ex donatione oriatur quidem naturalis quædam obligatio æquitati, & pudori ſuffulta, non vero juri efficaci, quo quis cogi in judicio poſſit (3): atque ideo inter juſtas ob donatarii ingratitudinem revocandæ donationis cauſſas neutiquam recenſetur, ſi donatarius egeno donatori alimenta denegaverit (4). Placet media ſententia, videlicet jure quidem ſtricto, & ut loquuntur, jure actionis, peti alimenta non poſſe a donatario omnium bonorum, poſſe vero implorato judicis officio, qui aliquando alimenta decernet donatoris liberis, æquitate inſpecta (✠5), quæ hic potiſſimum attenditur (6).

(1) *Theſaur. decif. 211. num. 8., argum. L. Decurionibus 8. ff. de decurionib.* (50. 2.)

(2) *Voet in pandectas lib. 25. tit. 3. de agnoſc., & alend. liber. num. 9. in med.*

(3) *L. Sed & ſi 25. §. Conſuluit Senatus 11. ff. de petit. heredit.* (5. 3.)

(4) *L. ult. cod. de revocand. donation.* (8. 56.)

DEFINITIO V.

Liberi aſcendentibus utriuſque ſexus alimenta ſuppeditare debent.

Eadem naturalis ratio, quæ aſcendentes cogit ad alendos liberos, præcipit, ut liberi, ſi bona habeant patrimonialia, vel ex arte, quam profitentur, parentibus, nimirum patri, matri, avo, proavo, tum paterno, tum materno vitæ ſubſidia præſtent, ut vitam iis ſervent, a quibus ipſi habuerunt (✠1). Idem de nepotibus patrui favore ſtatuendum ob mutuam ſanguinis conjunctionem (defin. III). Atque hæc naturalis filiorum obligatio tam arcta exiſtimatur, ut, ſi parentes in extrema, vel gravi neceſſitate conſtituti ſint, religionem ingredi nequeat filius, quamvis ad religioſam vitam amplectendam ſe voto obſtrixerit (2); quia naturalis obbligatio parentibus ſubveniendi fortior eſt, atque antiquior altera, quæ ex voto deſcendit, quæque ideo per votum tolli non potuit. Ex quo recte infertur, poſſe, & debere, filium religioſum a religione ad ſæculum reverti, ut parentibus in eadem poſitis neceſſitate opituletur, ſi hæc officia in monaſterio perſeverans adimplere nequeat (3).

(✠1) *D. L. Si quis a liberis. 5. §. Utrum autem 2, & l. Non quemadmodum 8. ff. hoc tit. de agnoſcend. liber.* (25. 3.). *d. Decif. 14. junii 1760. ref. D. Scala in cauſſa fratrum Falleti, & d. §. num. 7.*

(2) *S. Thomas 2. 2. quæſt. 101. artic. 4. ad 3, & 4.*

(3) *S. Thomas 2. 2. Quæſt. 101. artic. 4.*

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

An, & quibus caſibus maritus uxorem alere teneatur? Quid ſi divertat? An mulier viro alimenta debeat?

Maritus alimenta debet uxori, ſi ab eadem, vel ab ejus patre, aut conſanguineis dotem receperit (1): immo ſi eam ſcienter duxerit indotatam (2); quia videtur ſponte ceſſiſſe juri ſuo. Si vero dotem promiſſam maritus exigere non poſſit, etiam ſine mulieris culpa, ſtricto quidem jure, uxorem alere non tenetur, cum dos ideo detur, ut ex fructibus maritus ſubſidium habeat, quo onera matrimonii ferat (3): æquitate tamen inſpecta, pauperi, & innocenti uxori vir alimenta præſtare debet; individua vitæ ſocietas (4) exigit, ut fortuitorum caſuum alterutrius conjugis alter particeps ſit (5). Quod ſi mulier a viro divertat, intereſt, an injuria, an jure virum deſerat: priore caſu maritus poteſt ei alimenta denegare, quæ ob iniquam ſeparationem ab ipſius obſequio, & conſortio recedit (✠6): non in poſteriore, quo ob juſtam cauſſam, puta ob nimiam mariti ſævitiam, vel ne morbo contagioſo afficiatur, ab eo diſcedat; neque enim æquitas patitur, ut pœna ſit, ubi culpa nulla eſt (7). Atque hinc jure definitum, pendente cauſſa divortii a viro ſuppeditanda eſſe mulieri alimenta (✠8): quia interim incertum eſt, an jure, an injuria mulier divertere velit, nec æquum eſt, ut interim fame pereat. Quæ de viro mulieris intuitu dicta ſunt, eadem ad mulierem divitem favore inopis mariti extendenda eſſe, allatæ rationes demonſtrant (✠9); cum par ſit utriuſque conjugis cauſſa (10).

(1) *L. Qua legatorum* 14. *ff. ut in poſſeſ. legat.* (36. 4.), *l. Si cum dotem* 22. §. *Sin autem* 8. *ff. ſolut. matrim.* (24. 3.)

(2) *Surd. de alim. tit.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 13.

(3) *L.* 1. *ff. de ritu nuptiar.* (23. 2.)

(4) *L. Dotis fructum* 7. *ff. de jur. dot.* (23. 3.), *l. Pro oneribus* 20. *cod. eod. tit.* (5. 12.)

(5) *Quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe. d. l.* 22. §. *Si maritus* 7. *ff. ſolut. matrim.*

(✠6) *Argum. l. Si ea conditione* 3. *cod. de cond. inſ.* (6. 46.), *Deciſ.* 15. *auguſt.* 1739. *ref. D. Caſſotti in cauſſa Marchioniſſæ a Lenoncurt de Baleſtrino contra Marchion. de Carretto.* §. *Demum de alimentis num.* 13., *ſenten. Senat.* 19. *decemb.* 1750. *ref. D. Villata in cauſſa Roſſetti contra Caſſinis, qua non tantum denegata fuerunt alimenta: ſed &, cum curia archiepiſcopalis Taurini declaraſſet, non eſſe locum ſeparationi: mulier autem, quæ appellaverat, interim poſtularet omnia ad ſuum uſum ſpectantia, Senatus cenſuit, ea tantum præſtanda, quæ neceſſario uſui inſervirent.*

(7) *L. Sancimus* 22. *cod. de pœnis* (9. 47.), *cap. Sine culpa* 23. *extra de regulis juris in* 6.

(✠8) *Deciſ.* 25. *maji* 1665. *ref. D. Garetti in cauſſa jugalium de Bertrandis, Theſ. deciſ.* 130 *num.* 2✠.

(✠9) *Deciſ.* 28. *febr.* 1730. *ref. D. Sclarandi in cauſſa Baroniſſæ Rotariæ a Ternanaſio contra Equitem Caeheranum ejuſdem virum.* §. *Non quidem de jure, fere prope finem deciſ.*

(10) *Dicta l.* 1. *ff. de ritu nuptiar.*

DEFINITIO VII.

Conſanguinei ultra fratres alimenta conſanguineis præſtare non coguntur.

Conſanguineis ultra fratres jure civili injunctum non eſt onus alimenta præſtandi: ſi tamen ratio ſanguinis, & naturalis pietatis inſpiciantur, conveniens eſt, ut, qui divites ſunt, conſanguineos potius ſuos adjuvent, quam extraneos (✠1)

(✠1) *Proximos ſeminis ſui ne deſpicias, ſi egere cognoſcas; melius eſt enim, ut*

ipſe

ipſe ſubvenias ſuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumtum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati. cap. Eſt probanda 16. diſtinct. 86., dicta Deciſ. 14. junii 1760. ref. D. Scala in cauſſa utrinque Falletti. §. Hinc quum nemini num. 7.

DEFINITIO VIII.

Quid de affinibus? An vitricus alimenta debeat privigno?

Non conſentiunt interpretes, utrum affines in eodem gradu ad alendum obligentur, quo conſanguinei. Generum, & nurum a ſocero alendos eſſe vulgo receptum; quia hi per affinitatem liberorum loco ſunt. Vitricus vero, aut noverca ad privignos alendos non tenentur (✠1), cum in jure ſtatuatur, actione negotium geſtorum repeti, quæ in eos erogata ſunt: niſi donandi animus fuerit (2), qui non præſumitur, ſed plene probandus eſt (3).

(✠1) *Deciſ. 18. auguſt. 1642. ref. D. Pergamo in cauſſa Auditoris Abatis, & Capitanei Abatiæ. §. Qua vero in jure, & ſeqq.*

(2) *L. Si paterno 15. eod. de negot. geſt. (2. 19.)*

(3) *L. Sive poſſidetis 16. cod. de probationibus (4. 19.), junct. l. Cum de indebito 25. ff. eod. tit. (22. 3.), & l. Filiusfamilias 7. ff. de donationib. (39. 5.)*

DEFINITIO IX.

Filii naturales a parentibus ali debent. Quid de heredibus, & ſpuriis liberis?

Legitimos filios a parentibus alendos eſſe, nemo eſt, qui neget (defin. II.). De naturalibus certa quoque res eſt & civili, & canonico jure (✠1). Quod & ad avum eſt protrahendum (2); potiori ratione, quam ad fratres, quos tamen naturalibus fratribus alimenta ſuppeditare debere, Juſtinianus conſtituit (3). Cum autem dos alimentorum locum obtineat, conſequens eſt, dotem naturali filiæ a patre dandam eſſe (4). Quod de patre, avo, & fratribus tractavimus de heredibus quoque (✠5), ceteriſque, de quibus hactenus diximus, affirmandum ſuadet rationis identitas (6). Spuriis, civili jure inſpecto, nulla ne a patre quidem debentur alimenta.(7) Sed canonicæ leges, æquitate potius attenta, quæ ſuadet, ut alimenta ad vitæ conſervationem ſuppeditet, qui vitam dedit; quamvis per crimen, cujus proles conſcia non eſt, etiam his decernenda ex patris ſubſtantia alimenta decernunt (8), quod in foro receptum eſt (9).

(✠1) *L. Si quis a liberis 5. §. Idem reſcripſit 5. ff. hoc tit. (25. 3.) cap. Cum haberet 5. in fine, extra de eo, qui dux. in matrim. (4. 7.), Theſaur., Deciſ. 211. num. 1., ubi & ait ita pluries judicaſſe Senatum, Deciſ. 11. junii 1670. ref. D. Villiono in cauſſa fratr. Marchionum de Palatio contra Philibertum Umbertum in princip.*

(2) *L. Non quemadmodum 8. ff. hoc tit. de agn. liber. Theſ. d. deciſ. 211. num. 9. Fab. cod. Ne filius pro patre lib. 4. tit. 9. def. 3. num. 4, & ſeqq. in corpore.*

(3) *Si quis habens filios legitimos, relinquat, & naturales, paſci naturales a legitimis ſancimus, ut decet eos ſecundum ſubſtantiæ menſuram a bono viro arbitratam. Nov. 89. cap. Diſcretis igitur 12. §. ultim.*

(4) *D. l. 5. §. 5. ff. hoc tit. de agnoſcend., & alend. liber, Theſ. d. deciſ. 211 num. 1., Fab. d. def. 3.*

(✠5) *D. Deciſ. 11. junii 1670. ref. D. Villiono in cauſſa fratrum Marchion. Palatii. §. Ideo pronunciato, Theſaur. d. deciſ. 211. num. 1✠.*

(6) *L. Illud quæſitum 32. ff. ad legem aquil. (9. 2.)*

(7) *Auth. Ex complexu cod. de inceſt. nupt. (5. 5.), Auth. licet patri cod. de naturalibus liber. (5. 27.)*

(8) *Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque parentum liberis ſuis, ſecundum quod eis ſuppetunt facultates, neceſ-*

Digitized by Google

ſaria ſubminiſtret d. cap. Cum haberet 5. *extra de eo, qui duxit &c.* (4. 7.)

(9) *Theſaur. d. deciſ.* 211. *num.* 2✠, *Fab. d. defin.* 3. *cod. lib.* 4. *tit.* 9. *ne fil. pro patre.*

DEFINITIO X.

An filio emancipato alimenta debeantur? An dato in adoptionem? An filiæ viro pauperi nuptæ?

Eadem, cum de alimentis ſuppeditandis quæritur, conditio eſt filii emancipati, ac in poteſtate retenti, atque idem patris onus; etenim alimentorum obligatio non nititur patriæ poteſtati, ut vel ex iis colligi poteſt, quæ de patruo, fratre, herede, aſcendentibus maternis, & matre ipſa hactenus diximus; ſed juri ſanguinis, æquitatis, & naturalis pietatis (✠1); quæ jura nec per emancipationem, nec per aliam juris fictionem tolli poſſunt (2). Ex quo merito infertur, adoptivis etiam, quamvis aſcendenti materno dati ſint in adoptionem, in ſubſidium a patre naturali, aliiſque perſonis ſupra enumeratis danda eſſe alimenta; idemque de filia viro pauperi nupta, quæ aliunde non habeat, unde ſe poſſit exhibere (3).

(✠1) *L. Si quis a liberis* 5. *ff. hoc tit.* (25. 3.), *d. Deciſ. ref. D. Villiono in cauſſa fratr. Marchion. de Palatio in princip.*

(2) *L. Jura ſanguinis* 8. *ff. de Reg. jur.*, §. *At hi* 10., *&* §. *ſequ. inſtit. de hereditat. quæ ab inteſtat. defer.* (3. 1.)

(3) *Argum. l. Illud quæſitum* 32. *ff. ad leg. aquil.* (9. 2.)

DEFINITIO XI.

An filius gravis criminis reus a patre ali debeat?

Hinc etiam plures inferunt, filio cujuſcumque ſceleris conſcio danda eſſe a patre alimenta, quamvis propria culpa ad inopiam redactus ſit; imo quamvis male conſumſerit, quæ alimentorum cauſſa jam ipſi tradiderat pater, etſi maxime ingratus ſit filius (✠1); quia omnia hæc tollere nequeunt ſanguinis conjunctionem, & naturalem commiſerationem, ex qua deſcendit alimentorum obligatio: nec fame perire debet, qui hæc perpetravit, aut penitus ſubſidiis vitæ deſtitui a conſanguineis, ne ipſum necare videantur (2); ſicuti enim pater, eleganter Juſtinianus, licet legum contemtor, & impius ſit, pater tamen adhuc eſt (3); ita nec filius impius filius eſſe deſinit: atque plerumque ſibi imputare debet pater quod ſubſtantiam perdituro, & prodigo dederit. Exceptionem utique admittit Faber in filio, qui probetur ingratus ex cauſſa, propterquam juſte poſſit exheredari (4). Verum ab exheredatione ad alimenta non ſemper licet argumentari; cum filius, patre defuncto, facilius alimenta ſibi parare poſſit: atque plures ſint, puta avus, vivo adhuc patre, & fratres, qui alimenta debent, non tamen ſucceſſionem. Atque hinc jure Regio filius, qui indignam uxorem duxerit, & indecoram, exheredari poteſt, ei tamen alimenta in ſubſidium decernuntur (5). Non dubium tamen, quominus adverſus hunc filium durius agi poſſit, atque ei tantum præſtari alimenta ſecundum neceſſitatem naturæ, non juxta decentiam ſtatus.

(✠1) *Deciſ.* 9. *martii* 1679. *ref. D. Torrini in cauſſa utrinque Batuelli.* §. *Rurſus quoad alimenta, Surd. de aliment. tit.* 7. *quæſt.* 5. *num.* 8, *& ſeqq.*

(2) *L. Necare videtur* 4. *ff. hoc tit. de agnoſcend., & alend. liber.* (25. 3.)

(3) *Novel.* 12. *cap. Si vero* 2. *in fine.*

(4) *Fab. cod. ne filius pro patre lib.* 4. *tit.* 9. *defin.* 4.

(5) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 3. §. 10.

DEFI-

Digitized by Google

DEFINITIO XII.

Pater alimenta debet non tantum filio, ſed & illius uxori, & liberis.

Non tantum filio alimenta debet pater, ſed illius quoque uxori, & liberis (✠1); tum quia ex Ulpiano reſcriptum eſt, patrem filio non alimenta tantum, ſed & ſubſidia, quibus quæcumque onera ferat, preſtare debere (2): maximum autem onus eſt uxor, & familia; tum quia, cum avus nepti dotem dare debeat propter patrem; quia pater filiæ præſtare teneretur (3), potiori ratione debet alimenta, quorum cauſſa longe favorabilior eſt, cum necare videatur, quia ea denegat (4).

(✠1) *D. Deciſ. 9. martii 1679. ref. D. Torrini in cauſſa utrinque Battuelli in princip., Theſaur. deciſ.* 211. *num.* 12.

(2) *L. Si quis a liberis* 5. §. 12. *ff. hoc tit.* (25. 3.)

(3) *L. Dotem, quam 6. ff. de collatione* (37. 6.)

(4) *L. Necare videtur* 4. *ff. hoc tit.*

DEFINITIO XIII.

Quid ſi filius indignam, & familiæ indecoram uxorem duxerit, patre diſſentiente?

Immo regulam hanc de alimentis utique in ſubſidium filio, ejus uxori, & familiæ ſuppeditandis vulgo placet, etiam pertinere ad eum caſum, quo filius indignam, vel familiæ indecoram uxorem duxerit, patre diſſentiente (✠1); quia jus ſanguinis, & naturalis pietatis, quod hujuſce obligationis fundamentum eſt, nulla ratione tolli poſſunt (2).

(✠1) *V. Reg. conſt. lib.* 5. *tit.* 3. §. 8., 9., & 10. *V. Reg. diploma* 16. *julii* 1782. § 1., & 2. *d. Deciſ.* 9. *martii* 1679. *ref. D. Torrini in cauſſa utrinque Battuelli in princip., Surd. de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 15.

(2) *L. Jura ſanguinis* 10. *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XIV.

Puellæ etiam ſub ſpe matrimonii corruptæ non debentur alimenta, ſed dos.

Pater puellæ a filio potiſſimum ſub ſpe matrimonii corruptæ alimenta dare non tenetur, cum nec filius teneatur, ſed tantum dotem, jure quidem canonico, ſive eam ducat, ſive non, quia ipſa, vel ejus pater nolit (1); ex conſuetudine autem in eo tantum caſu, quo puellam ducere nolit (✠2): quam dotem pater in ſubſidium filii dare cogitur, imputandam utique in filii legitimam (3). Ex ſpecialibus tamen perſonarum adjunctis contingere poteſt caſus, quo ſeductæ virgini inopi alimenta a filio, atque in ſubſidium, dotis exemplo, a patre dari debeant (✠4). Hinc, cum quis puellam ſub ſpe matrimonii cognoviſſet, & hæc partum edidiſſet, cenſuit Senatus, patrem ſtupratoris non teneri ad dotem puellæ dandam, ſed tantum ad alimenta puellæ intra triennium, intra quod partum alit mater: & poſt triennium recipiendum eſſe partum a patre, eique præſtanda alimenta in ſubſidium filii: filium vero teneri cenſuit ad dotem puellæ dandam, niſi eam in uxorem ducere (✠5).

(1) *Cap.* 1. *extra de adulter., & ſtupro* (5. 16.)

(✠2) *Theſaur. deciſ.* 3. *num.* 3✠, *Deciſ.* 10. *ſeptembr.* 1732. *ref. D. Laurenti in cauſſa Peyrolera contra Rubeum in princip., Oſaſc. deciſ.* 107. *num. ult., Fab. cod. ne filius pro patre lib.* 4. *tit.* 9. *defin.* 3.

(3) *Fab. d. defin.* 3.

(✠4) *Deciſ.* 5. *ſeptembr.* 1731. *ref. D. Laurenti in cauſſa Bellicæ contra Agilium in princip.*

(✠5) *Senten. ſenat.* 26. *februarii* 1753. *ref. D. Falcombello in cauſſa Petrinæ Fuſellæ contra patrem, & filium Stobia.*

DEFINI-

Digitized by Google

DEFINITIO XV.

Alimenta, pendente lite, aliquando præſtanda ſunt ei, qui bona ſua eſſe contendit. Quid de herede?

Præſtanda ſunt alimenta, lite pendente, ei, qui agit ad bona, quæ ſua eſſe contendit, non ſecus ac ſumtus litis, ſi ille aliunde non habeat, quo ſe ſuſtentet (1); quamvis agens nullam pro ſe habeat ſententiam, nec cauſſa agatur in judicio appellationis, ſed in prima inſtantia, dummodo aliquam præſumtionem pro ſe habeat (✠2). Eadem cauſſa eſt heredis, qui inventarii beneficium imploravit, ſi aliunde nihil habeat. Quinimo non tantum ipſi, ſed & aliis, qui a defuncto alimenta petere poterant, vel actionis remedio, vel implorato judicis officio, dum conficitur inventarium, alimentorum quantitas præſtanda eſt, quam Magiſtratus definierit (3).

(1) *L. ult. cod. de ordine cognitionum* (7. 19.)

(✠2) *Deciſ.* 10. *julii* 1657. *ref. D. Dalmazzono in cauſſa Urgenos Vigonorum contr. Cervaſca in princip.*

(3) *Reg. conſtitut. lib.* 5. *tit.* 8. §. 8.

DEFINITIO XVI.

An mater, an avus paternus primo loco ad alimenta teneantur?

Non una eſt omnium ſententia, cum quæritur, an onus alendi liberos, patre deficiente, primo loco incumbat matri, an avo paterno, ceteriſque paternis aſcendentibus. Quidam putant, matrem primo loco ante avum teneri; tum quia primo gradu filio conjuncta eſt; tum quia majorem videatur debere liberis pietatem, ex qua obligatio alimentorum deſcendit. Contraria ſententia aliis placet, quæ in foro probatur (✠1); atque ea firmiſſima ratione nititur, quod nepos ſit in poteſtate, & familia avi (2), cui proinde alimenta debet avus propter patrem (defin. X). Nulla autem apparet ratio, cur ceſſet hæc avi obligatio poſt mortem avi, niſi forte avus inops ſit, dives autem mater. Neque obſtat Juſtinianus (3), quaſi videatur Imperator præſcribere, ut ordo conjunctionis in alimentis ſuppeditandis ſervetur; nam ipſe tantum definit ſpeciem, qua divortium virum inter, & uxorem factum fuerit: per quod nepotes extra familiam, & poteſtatem avi conſtituuntur: præterquam quod ſingularem hunc caſum nullatenus expendit.

(✠1) *Deciſ.* 26. *martii* 1643. *ref. D. Piſcina in cauſſa Ocellæ contra Ricardonum*

(2) §. *Ult. inſtit. de patria poteſt* (1. 9.)

(3) *Novel* 117. *cap. Illud quoque* 7., *unde ſumta auth. Si pater cod. divort. facto* (5. 39.)

DEFINITIO XVII.

Alimentorum quantitas præſtanda eſt, quam exigit neceſſitas alimentarii, & patiuntur facultates ejus, qui alere tenetur.

De alimentorum quantitate generalis, & prima regula eſt, eam tantum præſtandam eſſe, quam alimentarii neceſſitas exigit (1), & quam alere tenentis facultates, & neceſſitates patiuntur (2); prima enim charitas, ut fert vetus adagium, incipit a ſe ipſo (3); nec alter neceſſariis vitæ alimentis carere debet, ut ea alteri ſuppeditet (✠4). Excipiendus ſane caſus eſt, quo alimentorum debitor nimis laute, & prodigaliter vivere velit (5).

(1) *L. Si quis a liberis* 5. §. *Sed ſi filii* 7. *ff. hoc tit. de agnoſcend., & alend. liber* (25. 3.). *Theſaur. deciſ.* 211. *n.* 16.

(2) *D. l.* 5. §. *De alimentis* 25, *l. Competens judex* 2. *cod. hoc tit.* (5. 25.), *Theſaur. d. deciſ.* 211. *num.* 23.

(3) *L. Præſes provinciæ* 6. *cod. de ſervitutibus* (3. 34.)

(✠4)

Digitized by Google

(✠4) *Deciſ.* 9. *martii* 1679. *refer. D. Torrini in cauſſa utrinque Batuelli* §. *Verum prædicta.*

(5) *Theſaur. d. Deciſ.* 211. *num.* 23. *in fine.*

DEFINITIO XVIII.

Quorum ratio haberi debeat in taxanda alimentorum quantitate?

Si congrue ſuppetant facultates, parentes filiis præſtare debent alimenta ſecundum conditionem, & decentiam ſtatus (1); ita tamen, ut non ſola inſpiciatur facultatum copia, atque dignitas perſonarum, ſed etiam ætas alimentarii, ejuſque valetudo (2); nec non conſuetudo regionis, & pretium cibariorum (✠3); cum eadem quantitas, quæ in una regione ſufficere convenienter poteſt, in altera, ubi majori ſplendori vivunt ejuſdem conditionis perſonæ, vel majori pretio veneunt cibaria, neutiquam ſatis ſit. Quare conſtituere pro æquitate, judex non poteſt, niſi prius ſingula hæc adjuncta perpenderit (✠4).

(1) *L. Tutor* 13. *ff. de adminiſtration. tutor.* (26. 7.), *l. Jus alimentorum* 3. *ff. ubi pupil. educar. debeat.* (27. 2.), *l. Cum alimenta* 22. *ff. de alim., vel cibar. leg.* (34. 1.), *l. Si cui* 14. *ff. de annuis legatis* (33. 1.)

(2) *L. Cum unus* 10. §. *ult.*, *l. Alimenta* 16. §. *ult. ff. de alim., vel cibar. legat.*

(✠3) *Deciſ.* 26. *januarii* 1646. *refer. D. Vivaldo in cauſſa Prinettæ de Jolitis contra Scanellum.* §. *Tertio quæſitum.*

(✠4) *D. l.* 3. *ff. ubi pupil. educ. deb.*, *l. Officio jud.* 2. *ff. eod. tit.*, *l. Quod plerumque* 2. *eod. de alim. pupil. præſtandis* (5. 50.), *Deciſ.* 18. *auguſt.* 1642. *ref. D. Pergamo in cauſſa Abatis, & Arbatiæ.* §. *Quantitas vero.*

DEFINITIO XIX.

Alimentorum taxa perpetua, & immutabilis non eſt; ſed augeri, vel minui poteſt.

Hinc ſequitur, alimentorum taxam perpetuam, & immutabilem non eſſe; ſed, auctis facultatibus ejus, qui alimenta præſtat, augeri etiam poſſe, ſi minuantur, minui (1). Idem dicendum, ſi augeantur, vel minuantur onera, ſive illius, qui alimenta præſtat (✠2), ſive illius, cui præſtantur (V. defin. præced.)

(1) *D. l. Jus alimentorum* 3. §. *ult. ff. ubi pupil. educar. deb.* (27. 2.)

(✠2) *Deciſ.* 14. *junii* 1760. *ref. D. Scala in cauſſa fratrum Falletti contra Patruum* §. *Quamobrem num.* 17.

DEFINITIO XX.

Pater non debet alimenta filio, quæ aliunde habet, quo ſibi proſpiciat. An teneatur reſtituere alimenta præterita?

Cum alimenta non niſi ex neceſſitate præſtentur (1), ne videatur necare, qui ea denegat (2), conſequens eſt, immunem fieri patrem ab onere alendi filium, qui aliunde habeat. Hinc pater non tenetur reſtituere alimenta præterita, quæ filius habuit titulo lucrativo; utique vero, ſi filius debita contraxerit, ut ſe aleret; quia tunc neceſſitas alimentorum perſeverat in debito contracto (✠3). Atque hoc ſenſu intelligendum eſt, quod generaliter traditur, alimenta, quæ ex æquitate, & officio judicis, non actionis jure, præſtantur, tantum a die motæ litis deberi (4).

(1) *L. Si quis a liberis* 5. §. *Utrum autem* 2. *in fin. ff. hoc tit. de agnoſcend., & alend. liber.* (25. 3.)

(2) *L. Necare videtur* 4. *ff. eod. tit.*

(✠3) *D. Deciſ.* 11. *junii* 1670. *ref. D. Villiono in cauſſa fratrum March. Palatii contra Philibertum Umbertum.* §. *Et ideo pronuntiato.*

Digitized by Google

(✠4) *Theſaur. d. deciſ.* 211. *num.* 15., *&* 19.

DEFINITIO XXI.

Qui ſe ipſum alere vix poteſt, alteri alimenta præſtare non tenetur.

Eximitur ab alendi obligatione, qui ita tenuis fortunæ eſt, ut vix ſe ipſum ſuſtentare poſſit non tantum juxta neceſſitatem naturæ, ſed inſpecta decentia ſtatus: quamquam ex hac aliquid detrahi debet, ut alteri ſubveniatur in eo, quod naturæ neceſſitas exigit (✠1), prima enim charitas incipit a ſe ipſo (2). Cavendum tamen, ne prodigalitas cum neceſſitate confundatur (3), ut ſæpe fieri ſolet.

(✠1) *D. deciſ.* 9. *martii* 1679. *ref. D. Torrini in cauſſa utrinque Batuelli.* §. *Verum prædictæ*, *d. Deciſ.* 14. *junii* 1760. *ref. D. Scola in cauſſa fratrum Falletti contra Patruum, ubi mater immunis habita fuit ab onere alendi filios, quia annuum tantum reditum in libr.* 460. *habebat ex ſorte in libr.* 11508.

(2) *L. Si quis a liberis* 5. §. *ult. ff. hoc tit.* (25. 3), *L. Competens judex* 2. *cod. eod. tit.* (5. 25).

(3) *Theſaur. deciſ.* 211. *num.* 23, *V. defin. XV, & XVI.*

DECISIO XXII.

Leviores ſufficiunt probationes de alimentis præſtitis.

Quoties de alimentis præſtitis quæſtio eſt, leviores ſufficiunt probationes; quia præſtatio alimentorum difficilis eſt probationis, quippe actus alendi ad propriam menſam paucis poteſt probabiliter innoteſcere; cum fiat in domo, tempore, quo omnes extranei excluduntur, & ſæpius clauſis foribus ipſius domus (✠1). Quare, ſi aſſiſtat aliqua probatio, licet non omnino perfecta, locus ſit jurijurando ſuppletivo (2): prout in ceteris obſervatur (3).

(✠1) *Deciſ.* 18. *auguſti* 1642. *ref. D. Pergamo in cauſſa Auditoris Abbatis, & Capitanei Arbatiæ, in princip., & num.* 27, *&* 28.

(2) *Surd. de aliment. lib.* 6. *quæſt.* 23. *num.* 27, *&* 28.

(3) *L. In bonæ fidei* 3. *cod. de reb. credit., & de jurejurand.* (4. 1).

DEFINITIO XXIII.

Alimenta non præſumuntur donata, niſi donationis conjecturæ aliud ſuadeant.

Alimenta non præſumuntur donata, niſi donationis validæ aſſiſtant conjecturæ (✠1); quia donare eſt perdere, nemo autem præſumitur velle jactare res ſuas (2). Inter conjecturas autem vix referri poteſt, quod quis longo poſt alimenta præſtita tempore eadem petat (✠3) quia dilatio hæc alio conſilio fieri potuit: donationem ſuadere poſſunt alimenta præbentis affectio, neceſſitudo, egregia quantitas patrimonii, neceſſitas alimentarii. Contraria autem adjuncta contrarium demonſtrant.

(✠1) *D. Deciſ.* 18. *auguſti* 1642. *ref. D. Pergamo in cauſſa Abbatis, & Arbatiæ* §. *Quæ vero in jure, &* §. *Nec obſtat, quod, L. Si paterna* 15. *cod. de negot. geſt.* (2. 19).

(2) *L. Sive poſſidetis* 16. *cod. de probat.* (4. 19), *L. Cum de indebito* 25. *princip. ff. eod. tit.* (22. 3), *L. Filiusfamilias* 7. *prin. ff. de donat.* (39. 5).

(✠3) *D. Deciſ.* §. *Nec obſtat quod.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS VII.

De ſponſalibus, matrimonii effectibus, & divortio

DEFINITIO I.

Matrimonium impuberum jure canonico, quod in matrimonii quæſtionibus attenditur, in ſponſalia abit.

Matrimonium perperam a duobus impuberibus, vel ab uno pubere, altero impubere contractum ob defectum ætatis, jure canonico, quod in quæſtionibus de matrimonio attenditur (✠1), in ſponſalia abire videtur (2); cum impuberes matrimonii quidem contrahendi capaces non habeantur, valida vero ſponſalia contrahant (3). Poſſeſſorii tamen cauſſa matrimonialis, ſi Theſauro credimus, coram judice laico tractari poteſt (4).

(✠1) *Quæſtiones enim, quæ de matrimonio inſtituuntur, ſecundum eccleſiaſticas potius, quam civiles leges dirimendas eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Deciſ. 23. junii 1705. refer. D. Ermano in cauſſa Comitiſſæ Rotariæ a Scarnafixio contra patrem, filias, & ſorores de Ponte §. Quoad primum, Deciſ. 23. martii 1686. refer. D. Gabuti in cauſſa Theologi a ſancto Martino contra Comit. a ſancto Martino, §. Minus obſtat, Fab. cod. de nup. lib. 5. tit 2. defin. 2. num. 1. in corpore, & tit. 3. de inceſtis, & inutilibus nup. def. 6. ubi hæc habet.* Quoties enim de nuptiis apud nos tractatur, ſequimur jus canonicum; quandoquidem ea res ad religionis, & ſacramenti cauſſam pertinet. *V. Concil. Tridentin. ſeſſion. 24. canon 9.*

(2) *Cap. ult. extra de deſponſatione impuber.* (4. 2.), *cap. unic. §. 1. eod. tit. in 6.* (4. 2.)

(3) *Cap. Literas 4, cap. Ad diſſolvendam 13. extra eod. tit.*

(4) *Theſaur. deciſ. 117. num. ult.*

DEFINITIO II.

Quibus modis conjugis mors probetur; ut aliud matrimonium contrahi poſſit?

Cum individua vitæ ſocietas, & omnimoda rerum omnium communio, quam nuptiæ exigunt (1), vix ſervari poſſit incolumis inter conjuges, ſi vir plures uxores habeat, aut mulier plures viros, utroque jure tum canonico (2), tum civili (3), prohibitum eſt, ne conjux, dum uni junctus eſt, alteri jungatur; atque ideo mulier (idem de viro dicendum), quæ ſuperſtitem virum habens falſo ſe aſſeruit viduam, & alteri nupſit, a poſteriore, errore cognito, ſtatim ſeparanda eſt, quamvis probabili errore ducta priorem virum deceſſiſſe crediderit (4). Mors autem conjugis potiſſimum probatur ex legitimo parochi teſtimonio (✠5), ad quem pertinet de hac re teſtimonium dicere; vel alterius publicæ perſonæ, veluti magiſtratus, militiæ ducis, notarii publici, vel duorum teſtium fide dignorum.

(1) *L. 1. ff. de ritu nuptiarum* (23. 2), *§. 1. inſtit. de patria poteſtat.* (1. 9).

(2) *Cap. Gaudemus 8. extra de divort.* (4. 19), *Concil. Tridentin. ſeſſion. 24. canon. 2.*

(3) *§. Affinitatis 6. inſtit. de nuptiis* (1. 10).

(4) *Cap. In præſentia 19. extra de ſponſalib.* (4. 1), *Fab. cod. de inceſt. & inutilib. nupt. lib. 5. tit. 3. defin. 11.*

(✠5) *Deciſ 6. februarii 1711. refer. D. Sancto Georgio in cauſſ. Comit. Goveani contra Comit. Falletum a Villafalleto §. Primum deſumitur, & ſeqq.*

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Mulier idem habet domicilium, ac forum cum marito, ſi cum eo habitet.

Ex eadem individua vitæ ſocietate, & jurium communione inter conjuges fluit, idem eſſe domicilium uxoris cum marito (1): atque idem forum (✠2), dummodo cum marito habitet, nec ab eo ex juſta cauſſa divertat (✠3). Quod ſi maritus extra locum originis habitet, quamvis prior domicilium amittat (4), mulier ſequitur forum, & domicilium incolatus; nec enim retentio jurium originis a marito eo uſque valere poteſt, ut mulier eorum particeps fiat (✠5).

(1) *L. Mulierem* 5. *ff. de rit. nuptiar.* (23. 2), *L. Exigere* 65. *ff. de judic.* (5. 1), *L. ult. cod. de incol.* (10. 39).

(✠2) *D. L. ult. cod. de incol., L. Cum quædam* 19. *ff. de jurisdict.* (2. 1), *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1734. *refer. D. Giuſiana in cauſſa Leuroni a Vinadio contra de Corderiis in princip.*

(✠3) *Deciſ.* 12. *junii* 1638. *reſ. D. Blaneardo in cauſſa Valpergiæ contra Bavam* §. *Sed admiſſa ſtatuti validitate.*

(4) *L. Penult., & ult. cod. de municipib.* (10. 38).

(✠5) *Deciſ.* 12. *junii* 1731. *refer. D. Laurenti in cauſſa utrinq. Zucco* §. *ea propter, cum Senatus.*

DEFINITIO IV.

Diſſociatio habitationis inter conjuges regulariter fieri non poteſt, niſi publica auctoritate.

Diſſociatio habitationis inter conjuges, cum publicam quandam cauſſam habeat (1), publica auctoritate fieri debet (✠2); niſi grave immineat periculum, quod moram non patiatur. Judex autem in his, ut modo diximus (Defin. 1.), eſt eccleſiaſticus (✠3).

(1) *L. Nullum* 9. *ff. de divort.* (24. 2) *V. Novel.* 117. *cap. Quia vero quædam* 13, *Novel.* 134. *cap. Quia vero aliqui* 11, *cap. Porro* 3. *extra de divort.* (4. 19).

(✠2) *Deciſ.* 28. *februarj* 1730 *refer. D. Sclarandi in cauſſa Baroniſſæ Rotariæ a Ternavaſio contra Equit. Cacheranum* §. *Rurſus nec etiam, & ſeqq.*

(✠3) *D. Deciſ.* §. *Prætermiſſa, Concil. Trident. de reformat. matrimon. Cap.* 20. *Seſſion.* 22.

DEFINITIO V.

Diſſociatio habitationis inter conjuges pretio æſtimari non poteſt.

Cum res ſpirituales in humanum commercium non cadant (1), nec proinde pretio æſtimari poſſint (2), cohabitatio autem viri, & mulieris, utpote a ſacramento matrimonii pendens, res ſit ſpiritualibus, ut loquuntur Theologi, annexa pretio conſtituto diſſociari non poteſt; atque irrita eſt promiſſio (✠3).

(1) §. *Nullius autem* 7, *& ſeqq. inſtit. de rer. diviſion.* (2. 1).

(2) §. *ult. inſtit. de emption., & venditione* (3. 24).

(✠3) *L. Titia* 134. *ff. de V. O.* (45. 1), *L. Si liberis.* 27. *ff. de pact. dotalib.* (23. 4), *Cap. Gemma* 29. *extra de ſponſalib.* (4. 1), *Theſaur. lib.* 3. *quæſt.* 42, *Deciſ.* 28. *februarj* 1730. *reſ. D. Sclarandi in cauſſa Baroniſſæ Rotariæ contra Equit. Cacheranum in princip. in qua receſſerunt Patres a Deciſ.* 27. *janu.* 1732. *refer. D. Guillier, & priorem ſententiam in eadem cauſſa prolatam* 30. *aprilis* 1732. *confirmarunt.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS VIII.

De inceſtis, & ſecundis nuptiis, & de earum pœnis.

DEFINITIO I.

Jure civili affinitas ex illicito concubitu non contrahitur: ſecus jure canonico.

Filius natus ex matrimonio cum muliere, cujus conſanguineam extra nuptias patet cognovit, naturalis jure civili reputatur, non ſpurius (✠1); nam ex jure civili affinitas hinc non contrahitur (2): quamquam aliud eſt de jure canonico (3): quo fit, ut pœnæ inceſtus a jure civili ſtatutæ in hoc caſu locum non habeant, nec inceſtuoſus dici proprie poſſit, qui eam ducit, cum cujus conſanguinea deliquit (4).

(✠1) *Deciſ. 23. martii 1686. refer. D. Gabutti in cauſſa utrinque a Sancto Martino §. Affinitas autem.*

(2) *Cap. Fraternitati 7. extra de eo, qui cognov. conſanguin. uxor. ſuæ* (4. 13.)

(3) *Cap. Fraternitati 7. extra de eo, qui cognov. conſanguin. uxor. ſuæ* (4. 13)

(4) *Fab. cod. de inceſt., & inutilib. nupt. lib. 5. tit. 3. defin. 2. num. 8, & ſeqq. in corp.*

DEFINITIO II.

In dubiis quæſtionibus, quibus agitur de interpretanda mariti voluntate, contra mulierem binubam reſpondendum eſt.

Cum mulier binuba contra maritum delinquere judicetur, quatenus illius memoriæ injuriam quandam infert, & ad alia tranſvolans vota quodammodo indicat, ſe ipſi viventi infirma dilectione adhæſiſſe, inde inferunt pragmatici, in dubiis quæſtionibus, in quibus agitur de interpretanda voluntate mariti, contra uxorem binubam eſſe reſpondendum (✠1); atque experientia compertum eſt, longe liberaliores eſſe maritos erga uxores, quas ſuperſtites relinquunt, ſi novis nuptiis renuncient, quam ſi iis denuo ſe implicent.

(✠1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 28. num. 7., ita & in Deciſ. 4. junii 1731. refer. D. Bianchis in cauſſa matris, & filiæ de Andreis, §. Hinc igitur.*

DEFINITIO III.

Pœnæ ſecundarum nuptiarum eatenus tantum uſu fori vigent, quatenus reſpiciunt favorem liberorum.

Cum jure canonico ſublatæ ſint pœnæ ſecundarum nuptiarum, quæ liberorum favorem non reſpiciunt (1), conſequens eſt; pœnas nuptiarum intra annum luctus omnes eſſe ſublatas, quatenus videlicet gravius non punitur, qui ad ſecunda vota convolat intra annum luctus, quam qui poſtea, tantumque ſupereſſe eas, quæ ſecundas nuptias generaliter reſpiciunt, quæque favore potius liberorum ex priore matrimonio ſuſceptorum conſtitutæ ſunt, quam odio ſecundarum nuptiarum (✠2): ne ſcilicet ea, quæ prioris viri lege ſoluta eſt, videntur prohiberi, ne in domino nubat (3).

(1) *Cap. penult., & ult. extra de ſecund. nupt.* (4. 21.)

(✠2) *Fab. cod. de ſecund. nupt. lib. 5. tit. 5. defin. 1., Theſaur. lib. 1. quæſt. 28. num. 5., Deciſ. 4. junii 1731. reſ. D. Bianchis in cauſſa utrinque de Andreis §. In qua quidem, & ſeqq., Deciſ. 23. junii 1673. refer. D. Garretti in cauſſa Martinetæ contra matrem uxorem Campi in fin., Deciſ. 30 decemb. 1747. refer. D. Falcombello in cauſſa Caſaſſa contra Vittonum §. Nec rurſus poſt n. 77.*

(3) *Epiſt. 1. ad Corint. cap. 7. verſic. 39.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO IV.

Binubus amittit proprietatem bonorum, quæ quovis titulo a primo conjuge habuit; tum quæ ab inteſtato a filiis acquiſivit.

Cum ſecundæ nuptiæ civilibus legumlatoribus inviſæ ſint, generatim inprimis cautum fuit, ut binuba, quæ ex priore matrimonio liberos ſuperſtites habet, eorum omnium, quæ ex ſubſtantia prioris conjugis acquiſivit, ſive ex titulo ſponſalitiæ largitatis, ſive pacti dotalis, ſive mortis cauſſa donationis, ſive inſtitutionis, ſive legati, aut demum ex quacumque liberalitate, proprietatem eo ipſo amittat, quo ſecundas contrahit nuptias, atque uſumfructum tantum retineat, quamdiu ſuperſtes fuerit (1); quam legem, prius tantum de feminis conceptam, ad maritos, in quibus eadem viget ratio, protraxerunt Imperatores Theodoſius, & Valentinianus (2): iniquum merito viſum fuit, bona, quæ conjux binubus a priore viro habuit, ab ejus liberis eripere, ut in alienas manus perveniant. Quod de bonis a marito habitis conſtitutum fuerat, deinde protractum eſt ad bona, quæ parens binubus acquiſiviſſet ex ſucceſſione filiorum, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento (3). Verum Juſtinianus intactum tantum eſſe voluit antiquum jus quoad bona, quæ ab inteſtato ad binubum parentem a filiis proveniunt; quia hæc ab ipſo patre profecta videntur. Quæ vero per teſtamentariam diſpoſitionem acquiruntur, cum non a patre, ſed potius a filio haberi videantur, pleno proprietatis jure ad parentem binubum pertinent (✠4): non ſecus ac bona, quæ actu inter vivos filius binubo parenti donaverit (✠5); quia & in his eadem militat ratio; videlicet non a patre, ſed a filio profecta intelliguntur.

(1) *L. Feminæ 3. cod. hoc tit. (5. 9.) Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 29. num. 1, & ſeqq.*

(2) *L. Generaliter 5. cod. eod. tit.*

(3) *D. L. Feminæ 3. §. 1. cod. hoc tit.*

(✠4) *Deciſ. 5. ſeptembris 1659. refer. D. Dalmazzono in cauſſa matris, & filiæ de Mocchis a Quaſſolto in fine, Deciſ. 15. januarii 1731. ref. D. Demorra inter Fontanaros, & Bertarionos §. Quod pertinet ad primum, Deciſ. 21 junii 1669. refer. D. Leone in cauſſa Foliarini contra Pallierum §. Prædictis tamen non obſtantibus.*

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Demorra, & d. §., Deciſ. 23. junii 1666. refer. D. Portanerio in cauſſa viduæ Grognardæ, §. Pro detractionibus, & ſeqq.*

DEFINITIO V.

Binubus parens plenam habet proprietatem bonorum, quæ aliunde, quam a patre ad filium ab inteſtato defunctum profecta ſunt.

Plena quoque competit proprietas parenti binubo earum rerum, quæ per inteſtatam filii ſucceſſionem acquiſierit, ſi filius ea, non a patre habuerit, ſed aliunde, quamquam ab avo paterno profecta ſint (✠1); in his enim bonis jure quidem vetere aliud obtinebat, ſed Juſtinianus hoc jus immutavit, quippe de bonis tantum paternis locutus eſt (2); nec, quod prius ſtatuerat (3), immutare velle declaravit in hoc capite, ſed potius intactum ſervari (4). Atque hæc eo firmiora ſunt, quod agitur de lege pœnali intra ſuos limites, quantum fieri poteſt, coercenda, nec ita interpretatione extendenda, ut priorem legem corrigat, niſi id expreſſum evidenter appareat (5). Neque objiciatur, nepotem ſuccedere loco filii præmortui, adeoque bona avita tamquam paterna cenſeri; quod enim filius patris gradum repræſentet, juris civilis fictio eſt, quæ extra caſus a lege

Digitized by Google

lege expreſſos non operatur, ne veritatis imago veritate potior habeatur.

(✠1) *Deciſ. 21 maii 1731 refer. D. Demorra in cauſſa utrinque Marchetti in princip., Deciſ. 1 ſeptembris 1752 refer. D. Buzano in cauſſa Claræ Viduæ quondam Franconi Bruni contra Roſam de Taniatis viduam dicti Franconi, & poſt binubam §. Verum, re bene diſcuſſa n.* 14.

(2) *Sed quanta quidem ex paterna ſubſtantia ad filium pervenerunt, eorum ſolummodo habeat uſum, ad ſecundas omnino ſive prius, ſive poſtea veniens nuptias. In reſiduis vero omnibus, quæ aliunde erant filio præter paternam ſucceſſionem, veniat ſecundum vocationem noſtram.* Verba ſunt Juſtiniani, *in d. Novel.* 22. *cap. Hinc nos alia* 46. §. *Si autem* 2.

(3) *Novel.* 2. *cap. Cum igitur* 3.

(4) *D. Novel.* 22. *cap.* 46. §. *Sed & in aliis* 3.

(5) *L. Perſpiciendum* 11. *ff. de pœnis* (48. 19).

DEFINITIO VI.

Præſumptio legis Quintus contrariis probationibus elidi poteſt.

Juris quidem præſumptio eſt, quodcumque mulier conſtante matrimonio acquiſierit, non aliunde, ſed ex bonis mariti comparatum fuiſſe, ad evitandam turpis quæſtus ſuſpicionem (1): hæc tamen præſumptio contrariis probationibus elidi poteſt (✠2).

(1) *L. Quintus Mucius* 51. *ff. de donationib. inter vir., & uxor.* (24. 1), *L. Etiamſi* 6. *cod. eod. tit.* (5. 16)

(✠2. *Fab. cod. de probationib. lib.* 4. *tit.* 14. *def.* 41, *Deciſ.* 18. *ſeptembris* 1736. *refer. D. Bianchis in C. concurſus ſuper bonis Rubati*, §. *Neque movit.*

DEFINITIO VII.

An pater dilapidans, vel abutens bonis, quorum proprietatem filiis reſervare tenetur, uſufructu privari poſſit?

Binubus conjux proprietatem amittit eorum, quæ ab altero acquiſivit, quam filiis reſervare tenetur (1), ſed non privatur pater uſufructu bonorum dotalium, quamvis adſint liberi prioris matrimonii (2): niſi forte ea bona dilapidet; cum enim filius habeat eorum proprietatem, neque poſſit, ob reverentiam patri debitam, cautionem Mucianam a patre expoſtulare, quemadmodum ab aliis fructuariis petitur (3), ut filio ſalva ſit proprietas, officio judicis ex æquitate uſufructus a patre auferri poteſt, ſi Theſauro credimus (4): caute tamen, & non niſi in eo caſu, quo certo conſtet de dilapidatione, & grave filio periculum immineat. Quod ſi bona in pecunia conſiſtant, cogi poteſt pater dilapidans, vel male utens ad eam implicandam (✠5).

(1) *L. Feminæ* 3, *L. Generaliter* 5. *cod. de ſecund. nupt.* (5. 9).

(2) *Novel.* 22. *cap. Quoniam omnino* 34, *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4, *quæſt.* 59 *n.* 1. ✠

(3) *L. Cum oportet* 6. §. *Non autem* 2, *L. ult.* §. *Sin autem æs alienum* 4. *verſic. Hoc procul dubio in fin. cod. de bon., quæ liberis* (6. 61.)

(4) *Theſ. d. quæſt.* 59. *n.* 2, & 3.

(✠5) *Deciſ.* 30. *junii* 1649. *ref. D. Barberis in cauſſa Dacherii contra de Balegnis, & Advocat. Ceveris* §. *Et quoad perſonam fere in med. deciſ. juncto* §. *Nec eſt, quod dicatur, fere pop. fin. deciſ.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO VIII.

Legati pure relicti a marito proprietatem amittit mulier per ſecundas nuptias.

Non eadem eſt omnium ſententia in ea quæſtione, an mulier legati ſimpliciter, & abſque ulla conditione relicti proprietatem amittat per ſecundas nuptias. Quidam negant, exemplo uſusfructus mulieri relicti (1). Aliud tamen placuit Senatui Pedemontano (✠2), ea fortaſſis ratione, quod quidquid generalibus legibus (3) non eſt ſpecialiter exceptum, iiſdem contineri ſit affirmandum, maxime ubi ratio, & ſententia legis aſſiſtit, ut in hac ſpecie, qua & agitur de bonis ex viri munificentia mulieri quæſitis (Defin. IV).

(1) *Novel.* 22. *cap. Si vero* 32.

(✠2) *Theſaur. quæſt.* 29. *lib.* 1. *num.* 2. ✠, *Deciſ.* 4 *januar.* 1731. *refer. D. Bianchis in cauſſa matris, & filiæ de Andreis* §. *Attamen cum jure, & ſeqq.*

(3) *D. L. feminæ* 3, *D. L. Generaliter* 5. *cod. hoc tit.* (5. 9).

DEFINITIO IX.

Quid ſi relictum ſit mulieri legatum plenæ proprietatis jure?

Neque mulieri prodeſſe cenſuit Senatus, quod maritus legatum ipſi reliquiſſet in plenam proprietatem, & liberum arbitrium (✠1); quia verba hæc, quæ nihil aliud ſunt, quam expreſſio ejus, quod legato ineſt, tacitam habet conditionem, ſi mulier abſtineat a ſecundis nuptiis. Non mutat ſubſtantiam rerum non neceſſaria verborum multiplicatio (2).

(✠1) *D. Deciſ. ref. D. Bianchis (defin. præced.), & d.* §.

(2) *L. Pediculis* 32. §. *Labeo* 6. *ff. de auro, & argent. legat.* (34. 2).

DEFINITIO X.

Filiæ, licet ſtatuto, aut renunciatione excluſæ a ſucceſſione, conſequuntur proprietatem bonorum binubo parenti ablatam.

Cum lex municipalis in dubio non præſumatur contraria juri romano, quod & commune jus cenſetur (1). Regia conſtitutio excludens feminas a ſucceſſione favore fratrum, atque ab his deſcendentium videri non poteſt derogaſſe diſpoſitioni legis, quæ proprietatem bonorum ex ſubſtantia prioris conjugis binubo acquiſitorum liberis priorum nuptiarum intactam ſervat (2): adeoque filia etiam primi matrimonii, non obſtante renunciatione, admittitur ad ſucceſſionem earum portionum ex bonis maternis, quæ pater binubus acquiſivit ex ſucceſſione filiorum, & fratrum reſpective utrinque conjunctorum, licet ſuperſtes ſit frater conſanguineus (✠3). Atque ex his colligit Faber, filiam, quæ poſt matris tranſitum ad ſecundas nuptias renunciavit bonis paternis, & maternis, non ideo videri renunciaſſe dominio ſibi quæſito in bonis, quæ ad matrem pervenerunt titulo ſponſalitiæ largitatis, vel augmenti dotalis, & quorum proprietatem jam amiſerat mater per ſecundas nuptias; quia omnis renunciatio ſtricti juris eſt, & odioſa, nec in eam venit, niſi quod verbis expreſſum eſt (4): bona autem hæc proprie neque paterna ſunt, neque materna, ſed ipſius filiæ, cui lex ea adjudicavit (5). Quod ſi renunciatio hæc ante ſecundas matris nuptias facta fuerit, non ideo filiæ in hiſce bonis oberit (6): tum quia bona hæc non ſucceſſionis jure, ſed legis (7) poteſtate acquiruntur; tum quia filia non cenſetur, de his bonis cogitaſſe, utpote cum jus in ea adhuc quæſitum filiæ non eſſet, tantumque ex poſt facto per culpam matris, & legis diſpoſitionem comparaverit: regula autem generalis eſt, renunciationes ad incogitata nunquam referri (8). Uno tamen caſu fieri poſſe, cenſet idem Faber, ut

gene

Digitized by Google

generali renunciatione bona hæc comprehendantur, ſi nempe filia, non ſimpliciter bonis omnibus paternis, & maternis renunciaverit, ſed juribus omnibus ad bona paterna, & materna competentibus, dummodo proprietas per ſecundas matris nuptias jam ſit acquiſita: atque eo probat argumento, quod jus hoc, licet proprie, neque paternum ſit, neque maternum, ad paterna tamen bona refertur (9): quod tamen difficultate non caret, cum renunciatio, ut modo diximus, ad incognita non trahatur. Atque ideo huic caſui exceptionem admittit in ea ſpecie, qua deſint argumenta extenſivæ hujus interpretationis: puta ſi filiæ pro juribus ipſi competentibus, vel quavis ratione competituris, eam ſolum acceperit portionem, quæ correſpondet legitimæ, aut aliis juribus hereditariis; tunc enim renunciatio, utpote ſine cauſſa, et nullo accepto, nulla eſt; atque inde oriretur exceptio doli mali adverſus eum, qui renunciatione niteretur (10): vel læſo danda eſſet in integrum reſtitutio ex æquitate (11). Quare, ut inutiles circuitus vitentur, ſatius eſt, ex eadem æquitate ita renunciationem interpretari, ne ad hæc bona extendatur (12).

(1) *L. Præcipimus 32. §. ult. cod. de appellat.* (7. 62), *V. ſupra tit. I. de legib. deciſ. XI.*

(2) *L. Feminæ 3. cod. de ſecund. nupt.* (5. 9).

(✠3) *Sent. Senat. menſ. junii 1748. refer. D. Nomis in cauſſa utrinque Pettenati, Sent. Senat. 14. ſeptembris 1750 refer. D. Mazzetti in cauſſa concurſ. Peirani, ſent. Senat. 8. januar. 1763. in cauſſa utrinque Lovera, ubi ſoror. germana excluſa fuerat a fratre conſanguineo: pater tranſierat ad tertia vota; atque definitum fuit, reſervandam eſſe proprietatem filiæ ſecundi matrimonii, non fratri priorum nuptiarum.*

(4) *L. Quidquid adſtringendæ 99. ff. de. verb. obligat.* (45. 1).

(5) *Fab. cod. de ſecund. nupt. lib. 5. tit. 5. defin. 15. num. 6, & ſeq. in corp.*

(6) *Fab. d. defin. 15. num. 9, & 10.*

(7) *D. L. feminæ 3. cod. de ſecund. nupt.*

(8) *L. Cum Aquiliana 5, L. Quicum tutoribus 9. §. ult. ff. de tranſactionib.* (2. 15).

(9) *Fab. d. def. 15. num. 10. in corp.*

(10) *L. Palam eſt 2. §. Circa primam 3. ff. de dol. mal., & metus exception.* (44. 4).

(11) *L. 1. ff. de in integrum. reſtitutionib.* (4. 1).

(12) *Argum. L. ult. cod. In quibus cauſſis non eſt neceſſaria in integrum reſtitutio, Fab. d. def. 15. num. 11., & ſeq. V. infra defin. XIV.*

DEFINITIO XI.

Conjux prædefunctus cavere poteſt, ut binubus retineat proprietatem bonorum, quæ ipſi libere, & pro arbitrio relinquit.

In ea quæſtione, an conjux binubus ex prædefuncti conjugis conſenſu retinere poſſit proprietatem bonorum, quam alioquin per ſecundas nuptias amitteret, veritati magis conſentanea videtur Theſauri doctrina a Senatu comprobata, qua diſtinguitur, utrum quæratur de bonis ab uno conjuge relictis ex propria ſua ſubſtantia libere, & pro arbitrio: an vero diſputetur de bonis, quæ conjugi ſuperſtiti per ſucceſſionem filiorum acquiri poſſunt, vel ex legis præſcripto proveniunt, veluti donatio propter nuptias (1). Prioris generis bonorum proprietatem ex conjugis prædefuncti conſenſu ſuperſtes retinere poteſt, quamvis ad ſecundas tranſeat nuptias (✠2); agitur enim de re teſtatoris propria, cui poteſt dicere, quam mâlit, legem (3). Atque ſententia hæc confirmari poteſt ex iis, quæ Juſtinianus conſtituit de uſufructu conjugi per alterum libere,

atque

atque ex largitate relicto, quem non amitti conſtituit per ſecundas nuptias, niſi ita expreſſe fuerit cautum (4). Aliud jus ſervatur in bonis, quæ ad ſuperſtitem conjugem non perveniunt ex mera præmorientis liberalitate, ſed ex legis præſcripto (5): æquum enim non eſt, ut parens odio filiorum legis ſanctionem deſtruat; atque, ut ratiocinatur Juſtinianus, quod lex lucrum dat, privati voluntate auferri, nec jus, nec æquitas patiuntur (6).

(1) *Theſaur. quæſt. for. lib. 1. quæſt. 30. num. 4.* ✠

(✠1) *Argum. Novel. 22. cap. Si vero ſolum 31, Deciſ. 5. novembris 1659. refer. D. Dalmazzono in cauſ. Capitanei Vineæ, & Paulæ Strata contra Capitaneum Pinum §. Difficultas proponebatur, ubi agebatur de donatione uxori a marito facta pro dotibus, & juribus dotalibus.*

(3) *L. Ob res, quoque donatas 20. §. 1. ff. de pact. dotalib.* (23. 4).

(4) *D. Novel. 22. cap. 31.*

(5) *Theſ. d. quæſt. 30. lib. 1 num. 4* ✠

(6) *Novel. 22. cap. Si autem in dotem 33.*

DEFINITIO XII.

Conſenſus tacitus prædefuncti conjugis in hac re ſufficit.

Cum autem taciti conſenſus eadem in favorabilibus vis ſit, ac expreſſi (1), in hac re non requiritur conſenſus expreſſim datus, aut qui teſtibus probetur, ſed ſufficit tacitum deduci etiam ex probationibus teſtamento extrinſecis (✠1); quia non agitur de nova proprietatis conceſceſſione, ſed tantum de elidendo legis vinculo ex præſumptione, quod vir in caſum ſecundarum nuptiarum non fuiſſet relicturus; declaratio conjugis præmortui nihil dat, ſed datum ſignificat: neque aliquid de novo inducit, ſed tantum aperit, & demonſtrat perſeverantiam ejus, quod jam inerat.

(1) *L. Cum quid mutuum 3. ff. de reb. eredit.* (12. 1), *L. Soluto 2. §. ult. ff. Solut. matrimon.* (23. 4).

(✠1) *Dec. 4. junii 1731. refer. D. Bianchis in cauſſa matris, & filiæ de Andreis §. Licet vero, Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 5. def. 5.*

DEFINITIO XIII.

Quibus indiciis tacitus in ſecundas nuptias prædefuncti conjugis conſenſus eruatur, ne binubus proprietatem amittat?

Quibus autem indiciis tacitus prædefuncti conjugis conſenſus erui poſſit, non una præſto eſt generalis regula, quæ omnibus, & ſingulis caſibus conveniat: ſed perpendenda ſunt verba diſponentis, & ſingula perſonarum adjuncta, atque cavendum, ne, parum firma interpretatione, nimis facile inducatur in liberorum diſpendium: quo fundamento definitum fuit, conſenſum viri ulterioribus uxoris nuptiis ſatis non erui ex eo, quod ipſi reliquerit plenam bonorum proprietatem, et liberum arbitrium (✠1); hæc enim commode explicari poſſunt, & obtinere in ea ſpecie, qua ſuperſtes conjux ab ulterioribus nuptiis abſtineat, prout pro arbitrio abſtinere poteſt. Simul tamen cavendum, ne plus æquo liberis faveatur contra binubum parentem: quare placuit Sabaudo Senatui, ſatis conſtare de mariti conſenſu, ut bonorum proprietas retineri poſſet, quia uxori legaverat quingenta, ſive vidua maneret, ſive iterum nuberet, ita ut ſecundarum nuptiarum licentiam, vel in unius nummi legato, datam eſſe ſatis ſit: niſi diſertis verbis ad illius legati commodum fuerit reſtricta (2).

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Bianchis* (*defin. præced.*) *§. Et hanc & ſeqq.*

(2) *Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 5. def. 8.*

DEFI-

Digitized by Google

DEFINITIO XIV.

Tacitus filiorum conſenſus ſecundis parentis nuptiis unde colligatur?

Quæ de prædefuncti conjugis conſenſu nuptiis conjugis ſuperſtitis in bonis libere, & pro arbitrio relictis ſuperioribus definitionibus diximus, filiorum conſenſui ſecundis nuptiis parentis dati æque conveniunt, cum nuptiis conſentiendo remittere intelligantur injuriam ſibi ipſis per ſecundas nuptias illatam. An ſufficiat conſenſus filiorum, qui ex præſentia, & ſubſcriptione capitulorum matrimonialium, aut ſimilibus actibus eruitur, negat Theſaurus, contendens legitime non inferri filios ſponte ſibi velle nocere in lucris a lege datis ex actu, quem in obſequium parentum emittunt (1). Aliud placuiſſe videtur Sabaudo Senatui, non ea tantum ratione, quod & tacite remiſſa cenſeatur injuria a filiis, qui parentis nuptiis quoque modo conſentiunt; ſed & favore nuptiarum, quæ libera eſſe debent; & odio pœnarum, quæ reſtringendæ ſunt, quantum fieri poteſt (2). Si liberi prioris matrimonii renunciaverint favore parentis binubi juribus, & bonis alterius parentis, ſalva eſſe videtur proprietas bonorum, quæ ſuperſtes conjux a prædefuncto habuit: renunciatio hæc tacitum continet filiorum conſenſum ſecundis parentis nuptiis, ex quo fit, ne proprietas amittatur (✠3). Sane fatentur omnes, liberorum omnium requiri conſenſum, ut binubus parens a pœna omnino immunis ſit (4); unius conſenſus diſſentienti non præjudicate; ne contra æquitatem alteri per alterum iniqua conditio inferatur (5).

(1) *D. quæſt. 30. lib. 1. num. 5.*

(2) *Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 5. def. 5.*

(✠3) *Deciſ. 21 martii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa utrinque Marchetti in fin. princip., Deciſ. 15. januarii 1731. ref. eod. inter Fontanaros, & Bertarionos §. Introducta ab ipſis, & ſeq.*

(4) *Fab. cod. hoc tit. d. def. 5. in princip.*

(5) *L. Non debet. 74. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XV.

Proprietas bonorum ad binubum parentem revertitur, ſi liberi præmoriantur.

Ceſſat odio binubi conjugis amiſſio proprietatis eorum, quæ a prædefuncto conſecutus eſt, ſi ex priore conjugio nulli ſuſcepti fuerint liberi, leges enim favorem liberorum reſpexerunt (1). Proinde, his ſublatis, ceſſat legis ratio, adeoque & ipſa lex (2). Immo, licet proles habita fuerit ex priore matrimonio, ſi hæc binubo parenti præmoriatur, eo ipſo pœna ceſſat, atque proprietas ſtatim ad binubum parentem redit (✠3), ratio eſt, quia pœnæ eatenus tantum ſuſtinentur, quatenus filiorum favorem reſpiciunt (Defin. III) quibus ideo deficientibus deficit, nec ad heredes liberorum tranſmittitur jus aliquod; quippequod adhuc perfectum non eſt, ſed tunc tantum perficitur, cum binubus parens moritur, liberis ſuperſtitibus (4). Qua autem ratione explicari poſſit hæc proprietatis reverſio per mortem filiorum, alibi expendimus (5).

(1) *L. Feminæ 3. cod. hoc tit. (5. 9). Novel. 2. cap. Hoc autem 2, Novel. 22. cap. Quoniam 26.*

(2) *L. Adigere 6. §. Quamvis nulla 2. ff. de jur. patronat. (37. 14), cap. Cum ceſſante 60 extra de appellationib. (2. 28).*

(✠3) *Deciſ. 19. januarii 1642. refer. D. Butticario in cauſſa Moſtonæ contra fratr. de Mozzettis §. Quoad primum.*

(4) *Theſ. Quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 28. num. 5, & quæſt. 30. num. 1., Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 5. def. 16.*

(5) *V. Juriſprud. Tom. 1. §. 1121. p. 326.*

DEFINITIO XVI.

Conjux binubus non poteſt plus relinquere ſecundo conjugi, quam uni ex liberis primi matrimonii.

Cum experientia compertum ſit, a parentibus, qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, negligi liberos ex defuncto conjuge ſuſceptos, modum quemdam legislatores præſcripſerunt, quo filiis priorum nuptiarum proſpectum ſit. Pater ergo, aut mater, qui, quæve ad ſecundas, vel ulteriores nuptias tranſit, non poteſt, plus relinquere quacumque ultima voluntate, nec plus conferre actu inter vivos ſecundo conjugi, quam filiis prioris matrimonii. Æqualem igitur habebit conjux ſecundus portionem, ſi omnes primi matrimonii liberi æqualiter in teſtamento, vel inter vivos acceperint: ſi autem minus alicui ex liberis relictum ſit, ſecundas conjux amplius habere non poteſt, quam filius ille, aut filia, cui minimum relictum fuit (1). Sanctio hæc utpote naturali rationi, quæ parentum bona filiis præ conjuge addicit (2), conſentanea apud omnes fere gentes recepta eſt (✠3).

(1) *L. Hac edictali 6. cod. hoc tit. de ſecund. nup.* (5. 9).

(2) *L. Cum ratio naturalis 7. ff. de bon. damnator.* (48. 19).

(✠3) *Deciſ. 14. martii 1670. refer. D. Raſino in cauſſa fratrum de Bonagiunta contra Advocatum Simeomum Vitricum in fine, Sent. Senat. 22. martii 1747. ref. D. Mazzetti in cauſſa Pellari contra viduam Ferreri.*

DEFINITIO XVII.

Quod ſecundo conjugi plus relictum eſt, dividitur inter liberos primi matrimonii, ſi etiam patri heredes extiterint.

Si conjux binubus, naturali charitate, & legum ſanctione inſuper habita, plus dederit, vel reliquerit ſecundo conjugi, quam uni ex liberis prioris matrimonii, olim lucrum hoc inter ſolos prioris matrimonii liberos dividebatur (1), deinde Juſtinianus etiam in partem vocavit filios poſterioris thori (2): ſed deinceps pœnitentia ductus, & mutato in melius conſilio prius jus reſtituit (3), & merito, quia ſolis prioris matrimonii liberis injuria illata fuit; atque periculum his ſolis imminet, non liberis communibus. Ab hoc autem lucro non excluduntur filii quamvis binubo patri heredes extiterint (✠4); cum enim liberis prioris matrimonii illud tribuat lex in ſolatium injuriæ, atque repenſationem læſionis per repetitas nuptias illatæ, hereditatis aditio eo protrahi non debet, ut liberos beneficio legis faciat expertes: quemadmodum non definit ſalva eſſe filiis heredibus inſtitutis quartæ Falcidiæ, & Tribellianicæ detractio, quam lex concedit heredi, ultra dodrantem legatis, vel fideicommiſſis onerato (5).

(1) *L. Hac edictali 6. verſ. Sin vero plus in fin. princip. cod. de ſecund. nupt.* (5. 9).

(2) *L. Quoniam præterita 9. cod. eod. tit.*

(3) *Novel. 22. cap. Optime vero 27 verſ. Et hoc decernere.*

(✠4) *Oſaſc. dec. 180. num 1., & ſeqq. Deciſ. 21. junii 1671. ref. D. Raſino in cauſſa fratr. de Bonagiunta contra Advoc. Simeomum eorum Vitricum §. Primo quod fratres juncto §. His tamen non obſtantibus, ubi nec obſtare traditum doctrinam Theſauri junioris in addit. ad deciſ. 170. littera E. 1. Quia ipſe non dicit, in qua cauſſa ita fuerit deciſum, neque de quo anno, & die 2. Quia tam ipſe, quam D. D per eum allegati non loquuntur in caſu ſimili; ſed in legato, vel feudo, vel ubi heres tenetur de evictione, vel lucrum ſentit ex hereditate. Ita in d. deciſ. §. Neque obſtat doctrina, & ſeqq., in qua deciſione agebatur de matre, quæ quatuor habens liberos, vinea ſecundo viro egregii valoris prælegata, in reliquis bonis adhuc virum inſtituerat pro dimidia, & quatuor filios in altera dimidia.*

(5)

(5) *Princ. inſtit. de lege falcidia* (2. 22), §. *Sed quia ſtipulationes* 7. *inſtit. de fideicomiſſar. hæredit.* (2. 23.)

DEFINITIO XVIII.

Liberi ſecundi, & ulteriorum graduum eodem beneficio gaudent: nec non eorum heredes.

Non tantum filiis primi gradus lex proſpexit, ſed etiam nepotibus, ceteriſque deſcendentibus, ſive ſoli ſint (1), ſive cum patruis concurrant (2); jure utique repræſentationis (3), eorumque heredibus, licet nullo condito teſtamento deceſſerint (✠4); cum vi legis defuncto acquiratur, & in heredem transferatur, quippequi juris cujuscumque ſucceſſor eſt (5): deficientibus autem filiis, atque nepotibus, vel aliis deſcendentibus, apud omnes conſtat, ceſſare quoque legis diſpoſitionem (✠6), quæ iſtorum favore tantum introducta eſt; quin aliis ſive agnatis, ſive cognatis, fratribus etiam, proſit (7).

(1) *Novel.* 22. *cap. Optime vero* 27. *in med.*

(2) *D. Novel.* 22. *cap. Venient autem* 25.

(3) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 1150. *pag.* 332.

(✠4) *L. Hac edictali* 6. *cod. de ſecund. nupt.* (5. 9), *d. Deciſ.* 13 *martii* 1673. *ref. D. Raſino* §. *Neque ſecundum* (*Defin. præced.*)

(5) *L. Heredem* 59., *L. Hereditas* 62. *ff. de R. J.*

(✠6) *Deciſ.* 19. *januarii* 1642. *refer. D. Butticario in cauſſa Moſtonæ contra fratres de Mozzetiis* §. *Quoad primum.*

(7) *Leges enim in hac relata, quas hactenus explicavimus, præter deſcendentes alios non commemorant, V. Novel.* 22. *cap.* 25, & 27.

DEFINITIO XIX.

An filiæ renunciare poſſint diſpoſition legis Hac edictali 6. cod. de ſecun. nupt.

Regula quidem eſt a jure probata unumquemque poſſe juribus ſibi competentibus renunciare (1), ſi jura hæc ſola privatorum commodo inducta ſint ſecus ſi bonum publicum admixtum habeant, quod a privatorum arbitrio pendere æquum non eſt (2). Cum autem publice quodammodo interſit, ne binubi parentes charitatem erga liberos lædant, ut ſecundo conjugi plus æquo faveant (3), idcirco placet, huic diſpoſitioni, vivo adhuc parente binubo, renunciari non poſſe; utique vero derogari poſſe ſtatuto (✠4), cujus eadem ac legis vis eſt (5). Sed, cum nemo invitus cogatur jure ſuo uti, mortuo parente binubo, non dubium, quominus expreſſe, vel tacite renunciari poſſit emolumento ejus, quod ſecundo conjugi plus reliquit pater: proinde qui verbis, vel facto demonſtravit, ſe probare liberalitatem binubi defuncti parentis erga ſecundum conjugem, puta ſolvendo partem huic relictam, non videtur admittendus ad implorandum beneficium legis (✠6).

(1) *L. penult. cod. de pact.* (2. 3.)

(2) *L. Jus publicum* 38. *ff. eod. tit.* (2. 14.), *L. Neratius* 20. *ff. de religioſ.* (11. 7.)

(3) *L. Hac edictali* 6. *cod. de ſecund. nupt.* (5. 9.)

(✠4) *Deciſ.* 30. *januarii* 1688. *refer. D. Balegno in cauſſa Fabii contra Ramellum* §. *Quam ſententiam num.* 18.

(5) §. 1 *inſtit. de jur. natural. gent.*, & *civil.* (1. 2.)

(✠6) *Deciſ.* 3. *martii* 1772. *refer. D. Gavutio in cauſſa Equit. Ribrochi contra Marchion. Guaſcum a Biſio* §. *Sed de actionis inſtitutæ competentia num.* 13, & *ſeqq.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XX.

An, fraude legi facta, aliquando ceſſet titulus inſtitutionis odio ſecundi conjugis.

Quamquam legis diſpoſitio prohibentis, ne plus relinquatur ſecundo conjugi, quam uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum relictum fuit (1), regulariter non tollit inſtitutionis titulum, ex quo ſecundus conjux prædefuncto ſuccedat; cum lex excedentem tantummodo partem auferat ſecundo conjugi (2); poteſt tamen hunc effectum parere, ſi nimis impia teſtatoris diſpoſitio fuerit: puta ſi proponatur ſecunda uxor heres univerſalis inſtituta odio filiorum primi matrimonii, quibus nec legitima relicta ſit: hoc caſu æquitas, & legum ſententia ſuadere videntur, ut filii prioris thori tamquam heredes ab inteſtato potius immittantur in poſſeſſionem bonorum, quam mater ipſa (✠3). Immo nec conceſſa fuit novercæ immiſſio ad ratam legitimæ filiis debitæ, quæ novercæ ipſi competebat, quia illiquida erat legitima ob æs alienum, de quo timebatur: cenſuit tamen Senatus novercæ dandam eſſe proviſionalem tam pro alimentis anni luctus, quam pro ſumtibus litis: atque inſuper filios cavere juſſit ſe ſoluturos, quidquid decerni contingeret pro dotibus, & juribus ejuſdem novercæ (✠4). Caute tamen in hac re ſe gerere debet judex, & ſecundi conjugis indemnitati proſpicere.

(1) *L. Hac edictali 6. cod. de ſecund. nupt.* (5. 9.)

(2) *D. L. 6. in fin. princip.*

(✠3) *Deciſ. 16. januarii 1680. refer. D. Gabuti in cauſſa utrinque Barberis §. His tamen non obſtantibus.*

(✠4) *D. Deciſ. in fin.*

DEFINITIO XXI.

Poteſt parens binubus plus relinquere filiis poſterioris matrimonii, quam uni ex filiis prioris thori, dummodo non fiat in fraudem legis.

Poteſt pater, aut mater plus relinquere filiis poſterioris matrimonii, quam uni ex filiis prioris conjugii, cui minus reliquerit; niſi hoc fiat in fraudem legis (1), ita ut filii interpoſita potius ſint perſona, per quam acquirat pater: ſed ſuſpicio hæc facile non eſt admittenda, maxime ſi motiva adſint, quæ parentem ad ita diſponendum impulerint (✠2): atque valet teſtamentum, licet filiis prioris conjugii minus legitima relictum fuerit, data tantum illis actione ad legitimæ ſupplementum (✠3). Quibus autem indiciis fraus legi facta videatur, alibi videri poteſt (4).

(1) *Nempe L. Hac edictali 6. cod. de ſecund. nupt.* (5. 9.)

(✠2) *Theſaur. deciſ. 170. in addit. litera D* ✠, *Deciſ. 30. junii 1647. refer. D. Piſcina in cauſſa de Balegnis, & de Rinaldis per tot.*

(✠3) *Theſaur. ibid. litera A* ✠, *Deciſ. 30. januarii 1688. refer. D. Balegno in cauſſa Fabii contra Ramellum, §. Nec urgebant argumenta, Deciſ. 18. junii 1674. refer. D. Beraudi in cauſſa Blanci contra Orlandum, §. Neque ad rem pertinet.*

(4) *V. Juriſprud. Tom. 1. §. 1193, & ſeqq. pag. 342.*

DEFINITIO XXII.

Quid ſi ſecundi mariti conſenſus adhibitus fuerit in teſtamento, quo filius poſterioris thori plus reliquit mater, quam primi?

Cum contra legem factum videri non debeat, quod juſtam, & commodam ex boni viri arbitrio interpretationem admittit (1); nec facile animus leges

fraudandi præſumendus eſt, jure placuit Senatui, non videri in fraudem legis ſcriptum teſtamentum, quo mater plus reliquerit filiis poſterioris matrimonii, quam primi, quamvis mariti conſenſus in teſtamento mulieris adhibitus probaretur. quem potius bonam fidem arguere judicavit; quia palam fuerat exquiſitus (✠2); quæ enim palam fiunt, doli ſuſpicionem non habent (3). Nec doli ſuſpicio inde oritur, quod expreſſum in teſtamento ſit, plus fuiſſe filiis ſecundi matrimonii relictum, quam primis, propter cauſſas ipſis parentibus cognitas; quia cauſſæ hæ liberis odioſæ eſſe poſſunt, atque ideo ſatius eſt illas reticere, quam publice propalare (✠4).

(1) *Argum. L. Cum poſt divortium 69. §. Gener a ſocero 4. ff. de jure dot.* (23. 3.), *Fab. cod. de ſecund. nupt. lib. 5. tit. 5. d. definit. 9. num. 8. in corpore.*

(✠2) *D. Deciſ.* 30. *januarii* 1688. *refer. D. Balegno in cauſſa Fabii contra Comit. Ramellum. Nec obſtant contraria num.* 89.

(3) *Argum. cap. Cum inter 2. extra qui filii ſint legitimi* (4. 17.)

(✠4) *Dict. Deciſ. §. Nec declaratio num.* 90.

DEFINITIO XXIII.

Quid ſi dotis quantitas arbitrio ſecundi conjugis relicta ſit? Filii prioris thori a ſubſtitutione excluſi fuerint? Facultas conjugi data alienandi hereditaria bona?

Gravior quidem infertur ſuſpicio ex inſtitutione filiorum in arbitrium viri collata. Verum hæc ceſſare videtur, ſi non ipſa inſtitutionis ſubſtantia, ſed tantum dotis filiabus præſtandæ quantitas patri definienda relicta fuerit; pater enim filiis præ naturali charitate convenienter proſpecturus ſemper præſumendus eſt (✠1). Idem fraudum eſſe judicium cenſuerunt patres de excluſione filiorum primi matrimonii a ſubſtitutione; tum quia regulariter ſubſtitutio hæc effectum tantum eſt habitura poſt patris mortem, cui conſequenter profutura non cenſetur; tum quia excluſio hæc optimis rationibus inniti poteſt, non ut patri faveatur (✠2). Quare non ita interpretanda eſt, ut fraus legi facta dicatur. Denique nec contra legem peccatum dicimus in ea ſpecie, qua viro data facultas ſit hereditaria ipſius matris bona alienandi, ſi adjectum ſit onus pretii favore filiorum reinveſtiendi; cum hinc nullum emolumentum patri accedat; per hanc enim facultatem patri tributam id potius agitur, ut liberorum commodo proſpiciatur, quorum favore optimum conſilium pater capturus præſumitur (✠3).

(✠1) *D. Deciſ (defin. præc) ref. D. Balegno §. Nec relevat num. 91, L. Amiciſſimos 36. ff. de excuſat.* (27. 1.)

(✠2) *D. Deciſ. §. Nec nocet excluſio num.* 92.

(✠3) *D. Deciſ.* 30. *januarii* 1688. *refer. D. Balegno §. Neque relevat facultas, D. L. Amiciſſimos 36. ff. de excuſat.*

DEFINITIO XXIV.

An legitima filiorum prius deduci debeat, quam æſtimetur filialis ſecundi conjugis portio.

In ea quæſtione, quæ a pragmaticis inſtitui ſolet, utrum legitima filiis debita prius deducenda ſit, ut ſciatur, quænam eſſe debeat filialis portio conjugis; an vero, quod legitimæ jure filiis debitum eſt, etiam in ipſorum partem imputetur, ut inde ſtatuatur cujusque filii portio, cui ſecundi conjugis pars reſpondere debet, quin eam excedere poſſit, vulgo placet, legitimam filiorum prius deducendam non eſſe; leges enim eo tantum reſpexerunt, ut æqualis ſit cujusque filii portio cum portione vitrici, vel novercæ (1): hæc

Digitized by Google

autem æqualitas obtinetur, licet calculus ineatur filialis portionis, non prius legitima filiorum deducta. Neque nocet, legitimam omnino filiis debitam eſſe a parentibus (1); hinc enim non ſequitur, legitimam eſſe loco æris alieni computandam, ut ex eo patet, quod legitima ſit pars bonorum, atque non niſi deducto ære alieno percipiatur, ejuſque quantitas æſtimetur (3). Unus tamen caſus eſt, quo legitimam prius deducendam placuit, nempe cum agitur de lucro dotis, quod vir habet, ſi mulier ſine liberis decedat (✠4): ſed hæc obtinent inſpecta generali conſuetudine hujus patriæ; attento enim Taurinenſi ſtatuto, legitima prius non deducitur (5): adeoque vir pro lucro dotis virilem partem habet cum liberis prioris matrimonii (✠6).

(1) *D. L. Hac edictali 6. cod. hoc tit. de ſecund. nupt.* (§. 9), *D. Novel.* 22. *cap. Optime vero* 27.

(2) *Princip.*, *&* §. §. *Seqq. inſtit. de inofficoſ. teſtam.* (2. 18).

(3) *L. Papinianus* 8. §. *Quarta* 9. *ff. de inoffic. teſtam.* (§. 2), *juncta L. Subſignatum* 39. §. 1. *ff. de verb. ſignif.*

(✠4) *Theſaur. decif.* 184. *num.* 5 ✠, *Sent. Senat. 6. februarii* 1757. *refer. D. Capra in cauſſa Pampilione contra Marocco ex loco Podivarini.*

(5) *Theſaur. d. decif.* 184. *in addit. litera B* ✠.

(✠6) *Sent. Senat.* 7. *julii* 1757. *refer. D. Mazzetti in cauſſa fratr. De Vimercatis contra Ferrerium.*

DEFINITIO XV.

Quid ſi pater uni ex liberis prioris matrimonii minus legitima reliquerit?

Si binubus parens uni ex liberis prioris conjugii minus reliquerit, quam ei legitimæ jure debetur, acriter diſputatur, utrum legitima hujus prius ſupplenda ſit, quam filialis ſecundi conjugis portio (1), æſtimetur, nec ne. Sunt, qui putant, ex eo, quod conjugi ſecundo adimitur, prius ſupplendam eſſe legitimam filii, deinde, quod ſupereſt, æqualiter dividendum eſſe inter liberos primi matrimonii. Aliis contra placet, legitimam non ex eo ſolo ſupplendam eſſe, quod ſecundo conjugi ſupra modum relictum eſt, ſed omnes, & ſingulos heredes pro portione hereditaria concurrere debere ad ſupplendam legitimam; quod autem ſecundo conjugi adimitur; æqualiter inter omnes liberos dividendum arbitrantur: poſterior ſententia generalibus juris regulis magis conſentit (2). Qui vero priori adhærent ſententiæ, conſuetudinem in foro receptam allegant, quæ eo niti poteſt fundamento, quod quæſtio hæc dirimi non debeat ex generalibus juris regulis, quibus legitimæ ſupplendæ modus ſtatuitur, ſed ex ſingulari jure in hac materia, quæ ſingularis eſt, conſtituto; cum enim, quod plus conjugi relictum eſt, tamquam nec ſcriptum, nec donatum habendum ſit (3), adeoque conſiderari poſſit, tamquam pars nulli adſcripta, hinc potius videri poteſt ſupplenda legitima, quam ex bonis, quæ alicui teſtator adſcripſit: atque hanc ſententiam amplexi ſunt Sabaudus (4), & Pedemontanus Senatus (✠5).

(1) *De qua in L. Hac edictali 6. cod. de ſecund. nupt.* (§. 9).

(2) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 1205, *& ſeqq. pag.* 345.

(3) *D. L. Hac edictali 6. verſic. Sin vero plus cod. hoc tit. de ſecund. nuptiis.*

(4) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 5. *def.* 6.

(✠5. *Decif.* 12. *januarii* 1656. *refer. D. Porta in cauſſa jugal. de Raveria contra Bernardinum Gulam* §. *Primum nullam in fine.*

DE-

DEFINITIO XXVI.

Fructus excedentis portionis a noverca, vel vitrico percepti ex die mortis ſecundi conjugis reſtitui debent. Cui incumbat probandi onus?

Fructus portionis excedentis a vitrico, vel noverca reſtituendos eſſe, apud omnes conſtat (✠1), utpote ſine titulo perceptos, lege prohibente (2). Sed diſſentiunt, utrum a die mortis prædefuncti conjugis reſtituendi ſint, an potius a die interpellationis ad reſtituendum. Aliqui diſtinguunt inter poſſeſſorem bonæ, & malæ fidei. Alii, quorum ſententia olim ſenatui noſtro placuit, reſtituendos putant a die mortis; quia, cum nulla ipſo jure ſit liberalitas a binubo in ſecundum conjugem collata, ita nt pro non facta, aut non ſcripta habeatur (✠3), nullo titulo retineri poſſunt, aut ullo bonæ fidei titulo acquiri. Sed onus probandi incumbit ei, qui immoderatam aſſerit binubi conjugis liberalitatem, adeoque filiis primi matrimonii (✠4), tum quia in dubio nemo contra leges peccaſſe credendus eſt (5); tum quia, qui plus donatum dicit, actoris partibus fungitur: adeoque probationis onus ipſe ſuſtinere debet (6).

(✠1) *Deciſ. 12. januarii. 1656. refer. D. Porta in cauſſa Jugalium de Raveria contra Gulam §. Primum nullam.*

(2) *D. L. Hac edictali 6. verſic. Sin vero plus eod. de ſecund. nupt.* (5. 9).

(✠3) *D. Deciſ. 13. martii 1670. ref. D. Raſino in cauſſa fratrum de Bonagiunta contra Advocatum Simeomum Vitricum in fine.*

(✠4) *Deciſ. 28. februarii 1731. refer. D. Laurenti in cauſſa Aſtor contra Altionum §. Nec viſum eſt, Deciſ. 22 junii 1776 ref. D. De Blandrate in cauſſa Rubei, & viduæ Ponzone contra Frittero Mand. §. Partibus jus dici poſtulantibus, Fab. cod. hoc tit. de ſecund. nupt. lib. 5. tit. 5. defin. 10.*

(5) *L. Cum donationibus 6. cum duabus ſeqq. cod. de inoffic. donationib.* (3. 29).

(6) *L. Actor 23. cod. de probationibus* (4. 19.), *L. Ei incumbit 2. ff. eod. tit.* (23. 3).

DEFINITIO XXVII.

Augmentum dotale, ſeu obnuptiale in filialem ſecundi conjugis portionem non imputatur.

De donatione remuneratoria, qualis ea eſt, quæ nuptiarum tempore fieri ſolet, quam nos dotale augmentum vocamus, quæve jure conſuetudinario ſucceſſit donationi propter nuptias, a qua tamen in pluribus diſcrepat, non una eſt omnium ſententia. Imputandam in filialem portionem aliqui arbitrantur: rectius alii eam excipiunt (✠1), tum quia proprie donatum non eſt, quod habuit compenſationem, nec largitas, quam leges memorant, appellari poteſt (2); tum quia augmentum obnuptiale non ex libera conjugis prædefuncti voluntate profluit, ſed ex legis vi, quam conſuetudo imitatur (3).

(✠1) *Deciſ. 20 decembris 1675. refer. D. Gabuti in cauſſa March. Grimaldi de Bolio contra Novercam §. Et attenta clara diſpoſitione.*

(2) *L. Hac edictali 5. in princip. cod. de ſecund. nupt.* (5. 9) *Novel 22. cap. Optime vero 27.*

(3) *Adeoque ſubjici non debet diſpoſitioni, d. L. 6. cod. hoc tit., quæ relicta, & donata ab altero conjuge tantum commemorat.*

DEFINITIO XXVIII.

Vitrici bona pro tutelæ rationibus ſunt obligata, ſi uxorem duxerit tutricem, priuſquam alius tutor datus ſit, rationes redditæ, & reliqua perſoluta.

Cum mater ad ſecundas nuptias tranſiens filiorum tutela privetur (1), quia tutelæ officio recte fungi non præſumitur, quæ per intemperantiam eorum negligit charitatem

ritatem (2), quo tutius impuberum indemnitati proſpectum ſit, legibus conſtitutum eſt, ut vitrici bona etiam tutelæ rationibus ſint obligata, niſi alius tutor fuerit ordinatus, tutelæ rationes redditæ, & reliqua perſoluta, antequam tutricem uxorem duxerit (3); quod non tantum pro præterita adminiſtratione, ſed etiam pro futura obtinere docent pragmatici (✠4) duplici ratione; tum quia Juſtinianus indiſtincte loquitur (5); tum quia æquale eſt periculum injuriæ, & diſſipationis poſt nuptias: immo & majus, quam ante (6). Hinc factum, ut mater, quæ tutelam filiorum ſuorum eligit, olim quidem jurejurando interpoſito, nunc vero ſimpliciter ob periculum perjurii, renunciare debeat ſecundis nuptiis, Senatusconſulto Vellejano, & omni legum auxilio (✠7).

(1) *Auth. Sacramentum cod. quando mulier officio tutelæ* (5. 35), *Novel.* 22. *cap. Si autem tutelam* 40, *Novel.* 94. *cap. Quia vero* 2. *in fin.*

(2) *D. Novel.* 22. *cap.* 40.

(3) *L. Matres* 2. *cod. Quando mulier officio tutelæ* (5. 35), *L. Si mater.* 6. *cod. in quib. cauſſis pign., vel hypotheca tacite contrahatur* (8. 15).

(✠4) *Deciſ.* 19. *junii* 1737. *refer D. Caſſotti in C. Georgis, & Gibellini* §. *Quæ cum ita fuerint num.* 43.

(5) *Non ſolum, quæ ejus ſunt, in hypothecam habere, lex permittit filiis, ſed etiam mariti ſubſtantiam trahit cum hypothecis d. Novel.* 22. *cap.* 40.

(6) *Argum. L. Lex, quæ tutores* 22. *cod. de admin. tutor.* (5. 37).

(✠7) *D. Novel.* 94. *Cap. Quia vero* 2, *D. Deciſ. refer. D. Caſſotti in princip.*

DEFINITIO XXIX.

Quid de matre, quæ teſtamento tutrix nominata fuerit, vel tutelæ proſecutionem a principe obtinuerit

An mater tutrix teſtamento a prædefuncto conjuge nominata, quamvis ad ſecunda vota tranſeat, a tutela non ſit repellenda, aliqui affirmant, alii contradicunt. Qui affirmant, ajunt, omnem tolli ſuſpicionis præſumtionem ex deſtinatione patris (✠1): præcipue ſi concurrat bona matris fama: qui vero negant, patris nominationem conditionalem eſſe contendunt, ſeu in eo tantum caſu, quo mulier a ſecundis nuptiis abſtineat. Plane excipiendam eſſe mulierem, quæ hanc facultatem a Principe impetraverit, fatentur omnes (✠2); cum enim Princeps ſupra jus civile ſit, binubæ matri tutelam permittere poteſt. Verum, ut Principis reſcripto mater juvetur, conditiones omnes a Principe præfinitas implere debet. Quare pronunciavit Senatus, beneficio Principis excidiſſe matrem, quæ prius rationes non reddiderat, prout decretum fuerat (✠3). Imo poteſt Senatus ex officio (4) præſcribere, quæ ad indemnitatem pupilli pertinent (✠5).

(✠1) *Deciſ.* 5. *februarii* 1662. *refer. D. Leone in cauſſa Dominicæ Feſtæ contra Petrum Cattocium* §. 1. *Quia non tranſit num.* 4, *& ſeqq.*, *ubi definitum, matrem uti poſſe reſcripto Principis, quo impetraverat, ut poſt ſecundas nuptias in tutela remaneret; tum quia defendi poſſit tutricem teſtamento deſignatam per ſecundas nuptias a tutela non repelli, tum quia per reſcriptum legitime impetratum macula ſecundarum nuptiarum purgata erat.*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Leone* §. *Neque obſtat, & ſeqq.*, *ubi traditum non obſtare matri, quæ tutelæ perſecutionem a Principe obtinuerat, quod in ſupplici libello ad reſcriptum obtinendum non expreſſerit, quod ipſa vix poſt quadrimeſtre a morte mariti ad ſecundas nuptias feſtinaſſet, quia hodie ſublata eſt omnis differentia nuptiarum intra, vel poſt annum luctus, ut ſupra demonſtravimus defin. III.*

(✠3) *D. Deciſ.* 19. *junii* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis, & Gibellini* §. *Nec excuſanda num.* 28.

(4) *L. Utilitatem pupillorum* 10. *ff. de confirmand. tutor.* (26. 3).

(✠5) *Deciſ.* 18 *martii* 1652. *refer. D. Ver-*

Digitized by Google

Vercelli in cauſſa Mareh. Bobbæ contra Comitem Craveta, & alios §. Quæſtio per eum in cauſſa propoſita, qua cavit Senatus, ut mater ſingulis annis rationes reddat, ab alienatione immobilium abſtineret, & exactione pecuniarum, exceptis reditibus neceſſariis pro alimentis, niſi illas eodem tempore in utilem pupilli emptionem erogaret.

DEFINITIO XXX.

Mater ſuſceptam prius in judicio pupilli defenſionem proſequi poteſt, licet ad ſecunda vota tranſierit.

Mater tutrix, quæ pupilli in judicio jam defenſionem ſuſcepit, ſi pendente lite ad ſecunda vota tranſeat, poteſt ſuſceptam perſequi defenſionem; quamvis alii quoque tutores fuerint nominati, ſi ipſi liti aſſiſtere nolint (✠1); nemini enim magis convenit pupilli defenſio, quam matri. Atque hinc recte definitum, valere judicium cum matre tutrice agitatum, etiamſi actus tutelæ fuerit poſt ſententiam productus, ſi hoc non fuerit oppoſitum, imo, etiamſi collatio tutelæ non probaretur (✠2).

(✠1) *Deciſ. 26. aprilis 1644. refer D. Nomis in cauſſa Eccleſiæ contra Eccleſiam in princip., L. Decreto 24. §. 1. ff. de admin., & peric. tutor. (26. 7), L. 1. cod. Si ex plurib. tutorib. (5. 40.)*

(✠2) *Deciſ. 14. decemb. 1644. ref. D. Barberis in cauſſa Cagnolis contra Comit. Curbis §. Senatus tamen.*

DEFINITIO XXXI.

Succeſſione privatur mater tutrix tranſiens ad ſecunda vota, non petito tutore, vel non redditis rationibus, vel reliquis minime perſolutis.

Filiorum ſucceſſione privatur mater, quæ ad ſecundas nuptias tranſit poſt ſuſceptam tutelam, non petito alio tutore non redditis rationibus, nec reliquis perſolutis (✠1); tria etenim hæc requiruntur, ut pœna vitetur; quamquam facilius excuſatur reſidui ſolutio prætermiſſa (✠2); ſucceſſionis emolumento indigna eſt mater, quæ non tantum bonorum congruam adminiſtrationem, ſed & filiorum educationem negligit.

(✠1) *L. Omnem 6. cod. ad Sen. Conſ. Tertull. (6. 56), Novel. 22. cap. Si autem 40, Oſaſc. deciſ. 58. num. 4, 5, & 21, Deciſ. 19. junii 1737 refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis, & Gibellini §. Denique mandati num. 26, Deciſ. 23. junii 1673. refer. D. Garretti in cauſſa Martinettæ Sacchetti contra Campi in fine.*

(✠2) *D. L. 6, d. Novel. 22. cap. 40, Oſaſc. d. deciſ. 58. num. 4, 5, & 21, Deciſ. 3. junii 1643. refer. D. Beccaria in cauſſa utrinq. Maritani §. Nec obſtat, prop. fin. deciſion.*

DEFINITIO XXXII.

An negligens mater, quæ ad ſecundas nuptias tranſit, legatis privetur?

Quin immo, ſi mater teſtamento tutrix deſignata fuerit, atque iis neglectis, quæ matri in hoc caſu præſcribuntur (Defin. præced.), rurſus nupſerit non tantum ſucceſſione filiorum privanda eſt, ſed etiam legatis eodem teſtamento relictis (✠1). Sicuti enim heres, & legatarius collata in ipſos liberalitate uti nequeunt, ſi teſtatoris voluntati non paruerint (2), ita mater per tranſitum ad ſecunda vota deſerens tutelam filiorum, quam teſtatoris judicio aſſumpſerat, quin prius rationes reddiderit, tutorem dari curaverit, & reliqua ſolverit, & ſucceſſione, & legatis privanda eſt.

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Beccaria in cauſſa utr. Maritani §. Quod vero legata.*

(2) *Novel. 1. cap. 1. princip., & §§. ſeqq.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XXXIII.

Mater nimis feſtinanter tranſiens ad ſecundas nuptias ſucceſſione non privatur, niſi probetur, tutelam ſuſcepiſſe.

Verum, ut hujuſmodi pœnæ ſubjiciatur binuba mater, non ſufficiunt generica ſuſceptæ tutelæ probationes, maxime cum tutela matris regulariter ſoleat a judice confirmari (1). Immo nec ſufficit aliqualis matris cura circa res familiares, ſed evidentes requiruntur probationes (✠2); ne alioqui plectatur mater, vel in ejus odium retorqueatur, unde laudem mereri debuerat. Quamquam regulariter habens jus habituale tutelæ teſtamentariæ, vel legitimæ, ſi de facto ſe ingerit, etiamſi ſolemnia non implere exinde dicitur acceptare tutelam (✠3): poteſt tamen mater pœnam vitare, venia a Principe impetrata, quam etiam poſt contractas nuptias impetrare poteſt, ſi filius impubes nondum deceſſerit (4).

(1) *L. Matres, quæ* 2. *cod. Quando mulier officio tutelæ fungi poteſt* (5. 35).

(✠2) *Deciſ.* 27. *februarii.* 1647. *refer. D. Vercelli in cauſſa Beilabra contra Theſeum filium in princ. V. Sent. Conſulatus* 6. *ſeptembris* 1740. *ref. D. Capra in cauſ. Bertoleri, & Bertetti contra viduam Mangiardi, in qua traditur, ut mater proprio nomine obligetur, non ſufficere, quod teſtamento tutrix fuerit deſignata, niſi demonſtretur, tutelam quoque, & adminiſtrationem ſuſceptam fuiſſe.*

(✠3) *Deciſ.* 4. *ſeptembris* 1682 *refer. D. Torrini in cauſſa Martinetti contra Marchet* §. *Alia non inſubtilis.*

(4) *V. Iuriſprud. Tom.* 1. §. 1256, & 1257. *pag.* 356.

DEFINITIO XXXIV.

Legitimam retinet mater tutrix tranſiens ad ſecunda vota, non petito alio tutore, nec redditis rationibus, & reliquis perſolutis.

Sed, quamvis mater ad ſecunda convolans vota, non petito tutore, nec redditis rationibus, pupilli privetur ſucceſſione, tum ea, quam habuiſſet ab inteſtato, tum quæ jure ſubſtitutionis pupillaris delata fuiſſet (1), legitimam tamen habet (2) retento ſolo uſufructu, ſi liberi ſuperſint (✠3) ſecundum generales juris regulas (4); legitima enim non tam ſucceſſionis jure, quam æris alieni loco eſt (5) naturæ jure debita (6), aſcendentibus pietatis, ac miſerationis intuitu in ſolatium liberorum amiſſorum: atque ſatis coercetur matris culpa, luctuoſa filii, quam alioquin habuiſſet (7), hereditate denegata.

(1) *D. L. Omnem* 6. *cod. ad Sen. Conſ. Tertul.* (6. 56).

(2) *Fab. cod. Si ex reſcript. nupt. petant. lib.* 5. *tit.* 1. *defin. unic., & lib.* 6. *tit.* 32. *ad Sen Conſ. Tertul. def.* 1.

(✠3) *Sent. Senat.* 17. *junii* 1751 *ref. D. Vialio in cauſſa Fuſeri contra Gaſſodium, ubi & idem traditum de augmento obnuptiali, Sent. Senat.* 8. *martii* 1768. *ref. D. Bruno in cauſſa Actis contra Bellavena.*

(4) *L. Feminæ* 3. §. 1. *cod. hoc tit. de ſecund. nupt.* (5. 9).

(5) *Ut vulgo ratiocinantur interpretes ex L. Papinianus* 8. §. *Si quis impubes* 15. *ff. de inoff. teſtam.* (5. 2), *juncta L. Si adrogator* 22. *ff. de adoption.* (1. 7).

(6) *L. Nam etſi* 15. *ff. de inoff. teſtam.*

(7) *L. Ult. cod. de inſtitut., & ſubſtitut.* (6. 25).

Digitized by Google

DEFINITIO XXXV.

Mater a legis pœna poteſt ex ſingularibus adjunctis excuſari.

Ceterum, cum vix ulla lex ſit, quantumlibet generalibus concepta verbis, quæ in ſpeciali aliquo caſu exceptionem non admittat (1), fieri poteſt, ut mater tutrix ſecundas nuptias iniens, nec petito tutore, nec redditis rationibus, nec reliquis perſolutis, a pœna legis (2) excuſetur, atque ad ſucceſſionem liberorum admittatur. Quare Senatus matri nimis feſtinate rurſus nubenti ſucceſſionem filii adjudicavit, his motus rationibus. Quia patruus, qui neptis hereditatem, ad excluſionem matris poſtulabat, ipſi matri tradiderat bona paterna ad pupillam ſpectantia; quamvis non ignoraret, nullum fuiſſe datum nepti tutorem; quo viſus fuit, agnoviſſe matrem filiæ legitimam heredem, atque implicite renunciaſſe juribus ſuis; & potiſſimum quia nullum pupillæ, aut rei pupillari damnum eveniſſe educebatur, ſiquidem mater, ſervato charitatis officio, filiam penes ſe ſemper retinuerat, aluerat, atque educaverat (✠3); in his enim ſpeciebus obtinere debet ea juris naturalis, & civilis regula, qua traditur, pœnas, quantum fieri licet, interpretatione potius emolliendas eſſe, quam exaſperandas (4).

(1) *L. Neque leges* 10, *& ſeqq. ff. de legib.* (1. 3).

(2) *L. Omnem 6. cod. ad S. C. Tertullian.* (6. 59), *Novel.* 22. *cap. Si autem* 40. *V. Supra defin.* **XXXI.**

(✠3) *Deciſ.* 13. *maji* 1752. *refer. D. Balegno in cauſſa Mariæ Belletti viduæ Blanchi contra Blancum filiæ patruum* §. *Pronunciavit Senatus num.* 9, *& ſeqq.*, *Sent. Senat.* 17. *ſeptembris* 1769. *in cauſ. Chriſtaudæ villa contra Mulateri. qua definitum eſt, parcendum matri binubæ rationibus non redditis, nec tutore petito, cum uno poſt menſe hæc præſtiterit, nec ullum damnum paſſus ſit pupillus.*

(4) *L. Perſpiciendum eſt* 11. *ff. de pœni* (48. 19), *Si præſes* 32, *L. pen. ff. eod. tit.*, *L. Factum* 155. §. *In pœnalibus* 2. *ff. de reg. jur.*

TITULUS IX.

De legitimatione.

DEFINITIO I.

Princeps propter utilitatem legitimare poteſt.

Quamquam, inſpecta juris ratione, legitimatio ex Principis reſcripto fieri non debet, niſi in eo caſu, quo pater mulierem, ex qua prolem ſuſcepit, vel nullatenus, vel honeſte ducere non poſſit, atque legitima prole deſtitutus ſit (1); quia tamen Princeps ſupra jus civile eſt (2), poteſt utique, ſi ita videatur, legitimorum jura filio concedere non tantum propter neceſſitatem, ſed etiam propter utilitatem, quæ ex parentis voluntate æſtimari poteſt, vel etiam ex prærogativa perſonæ legitimandæ, quæ benemerita ſit, morum probitate, & ſingulari erga parentes pietate prædita (✠3).

(1) *Novel.* 74. *cap.* 1., *Novel.* 89. *cap. Illud tamen* 9. *princip.*, *&* §. 1.

(2) *L.* 1. *princip.*, *&* §. 1. *ff. de conſtitut. princip* (1. 4).

(✠3) *Deciſ.* 23. *junii* 1647. *ref. D. Nomis in cauſſa fratrum Tamietti in prin.*, *ubi, quamvis Tamiettus duos haberet filios, jam tum per ſubſequens matrimonium legitimatos, Princeps Ceciliæ filiæ naturali ad enixam patris petitionem, & contemplatione meritorum ejuſdem filiæ jura legitimorum conceſſit.*

Digitized by Google

DEFINITIO II.

Legitimati omnia legitimorum jura conſequuntur.

Legitimationis, ſive per ſubſequens matrimonium, ſive per reſcriptum Principis fiat, is eſt effectus, ut per eam naturales liberi omnia legitimorum jura acquirant, perinde ac ſi ex legitimo matrimonio progeniti eſſent (1). Hinc habent omnes ſucceſſiones, quæ competunt legitime natis, & ſuccedunt tum ex teſtamento, tum ab inteſtato (✠1). Quin & ſupplementum legitimæ, quamvis pater, eos quadam minori portione contentos eſſe, juſſerit; liberum enim erat patri ante legitimationem eos ab hereditate repellere; ſed, ea obtenta, efficere non poteſt, quominus legitimorum omnia jura non habeant, adeoque quin legitima ipſis, ut & ceteris filiis legitimis debeatur (3): niſi tamen ea conditione facta fuerit legitimatio, ut nihil petere poſſint præter eam portionem, quam pater aſſigraverit, vel expreſſum fuiſſet, legitimationem fieri citra præjudicium venientium ab inteſtato (4).

(1) *L. Cum quis a muliere* 10, *& L. ſeq. cod. hoc tit. de naturalib. lib.* (5. 2), *D. Novel.* 74. *cap.* 1., *Nov.* 89. *cap.* 8, *&* 9.

(✠1) *D. L. Nuper.* 11. *cod. hoc. tit. de naturalib. liber., Theſaur. deciſ.* 69. *in additionib.* ✠, *& deciſ.* 84. *num.* 2. ✠, *Deciſ.* 5. *januar.* 1661. *reſ. D. Demazzetis in cauſſa Arbaudi contra Cordarium* §. *Senatus auditis, Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1739. *refer. D. Granella in cauſſa utrinq. Jugularis, in qua* 1. *Traditur, filium ſpurium a Principe legitimatum æque ſuccedere ac legitimum* §. *Major articulus num.* 60. 2 *Clauſulam adiectam in reſcripti interinatione, ſine præjudicio juris tertii tantum operari, ut legitima tolli nequeat filiis legitimis; quia in hoc tantum jus habent num.* 61. 3. *Legitimatum per oblationem curiæ non plus poſſe conſequi a patre, quam unum ex legitimis; cui minus relictum ſit, L. Communium* 9. §. *ult. cod. de natural. lib., d. Deciſ.* §. *Neque obſtare num.* 73.

(3) *Theſaur. lib.* 3. *quæſt.* 75. *num.* 4.

(4) *Theſaur. d. num.* 4.

DEFINITIO III.

Quid ſi filius ad preces patris legitimatus fuerit ea lege, ut ſuccedere poſſit in ea parte, quam pater conſtituet: pater autem ab inteſtato deceſſerit?

Cum filius ſub ea conditione legitimatus fuiſſet a Principe ad preces patris ut idoneus fieret, & capax eſſet ſuccedendi in ea parte bonorum, quæ patri videbitur, & quam idem pater conſtituet, pater autem deceſſiſſet inteſtatus, quaeſitum fuit, utrum admittendus eſſet filius ad partem hereditatis, an potius ab hereditate excluſus intelligeretur, ex quo pater teſtamento nihil ipſi reliquerat? Ab hereditate repellendus videri poterat, quia, cum legitimatus tantum fuiſſet ad ſuccedendum, ſi pater voluiſſet, pater autem voluntatem non declaraſſet, ceſſare videbatur patris voluntas, adeoque jus ſucceſſionis ſub conditione datum, ſi volet pater (1). Cenſuit tamen Senatus, filium in hac ſpecie pure legitimatum fuiſſe, quamvis cum aliqua limitatione, adeoque cum aliis filiis legitimis, ad hereditatem patris eſſe admittendum (✠1) hiſce rationibus 1. Quia legitimatus non differt a filiis legitimis, & propterea dicitur ſuus. 2. Quia, ubi voluntas alicujus requiritur, tacita ſufficit: maxime ſi alterius favor vertatur (3); cum taciti, ac expreſſi eadem, in favorabilibus ſaltem, ratio ſit (4): tacita autem voluntas patris non deeſt, dum enim filium legitimatum teſtamento condito ab hereditate non repellit, tacite ad eandem vocare judicatur (5).

(1) *Argum. L. Si ita legatum ſit* 65. §. 1. *ff. de legat.* 1. (30. 1).

(✠1) *Deciſ.* 23. *junii* 1647. *refer. D. Nomis in cauſſa fratrum Tametti* §. *Illis tamen non obſtantibus, & ſeqq.*

(3)

Digitized by Google

(3) *Argum. L. Soluto matrimonio* 2. §. *ult. ff. ſolut. matrim.* (24. 3).

(4) *L. Cum quid mutuum.* 3. *ff. de reb. credit.* (12. 1).

(5) *L. Si quis* 3, *L. Conficiuntur* 8. §. 1. *de jure codicil.* (29. 7).

DEFINITIO IV.

Quis ſit conditionis legitimationi adjectæ effectus?

Neque nocet conditio legitimationi adjecta; ejus enim vis in eo tantum poſita eſt, quod filius legitimatus contra voluntatem patris ad hereditatem pervenire non poſſit (✠1), hic autem filio favet tacita patris voluntas (2). Immo defendi poteſt in propoſita ſpecie (Defin. præced.) conditionem, ut filius in ea tantum parte ſuccedat, quam pater volet, proprie adjectam non fuiſſe ipſi legitimationi, ſed potius ejus effectibus, & executioni: quo caſu facilius admittitur tacita voluntas, & facilius præſumitur (✠3); dum enim actus, qui inſtar cauſſæ eſt, ſubſiſtit præſumtio eſt, etiam ſubſiſtere effectus (4).

(✠1) *D. Decıſ.* (*Defin. præc.*) *ref. D. Nomis* §. *Neque obſtant contraria.*

(2) *D. L.* 3, *D. L.* 8. *ff. de jure codicillorum* (29. 7.)

(✠3) *D. Decıſ. refer. D. Nomis, & d.* §.

(4) *L. Nihil dolo* 129 §. 1, *L. Cum principalis* 178. *ff. de R. J, argum. a contrario ſenſu.*

DEFINITIO V.

Quid ſi conſtet de interinatione reſcripti Principis legitimationem concedentis?

Immo neque irritam pronunciandam eſſe legitimationem cenſuit Senatus, licet de interinatione reſcripti non conſtaret, quæ tamen neceſſaria videtur (1); tum quia nihil obſtat, quominus legitimatio poſt obitum patris, & teſtatoris interinetur (2); tum quia non temere defendi poſſit, neceſſariam non eſſe interinationem, quoties in reſcripto adſunt clauſulæ de plenitudine poteſtatis, & ex certa ſcientia; tum demum, quia lapſus decennii præſumtionem interinationis inducit (✠3).

(1) *Argum. L. Eas, quæ* 5. *cod. de temporib. in integrum reſtitutionis* (2. 53), *Reg. conſtit. lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1 §. 15.

(2) *Fab. cod. de natural. liber. lib.* 5. *tit.* 16. *def.* 5. *num.* 7. *in allegat.*

(✠3) *D. Deciſ.* 23. *junii* 1647. *refer. D. Nomis in cauſſa fratrum de Tamiettis* §. *Verum pro reſtitutione, in fine deciſ.*

DEFINITIO VI.

Filius legitimatus plerumque excludit ſubſtitutum

Filius legitimatus ſubſtitutum excludit, quamvis teſtator filios legitimos, & naturales vocaverit (✠1). legitimati enim, ſive per ſubſequens matrimonium, ſive per Principis reſcriptum vere, & proprie legitimi ſunt (2). Excipi tamen debet caſus, quo teſtator ad fideicommiſſum vocaverit filios ex legitimo matrimonio procreandos, vel filios vere legitimos (3); quamvis enim legitimatus poſſit dici legitimus, juris tamen fictione potius talis eſt, quam natura: neque ex legitimo matrimonio natus poteſt appellari. Atque eadem diſtinctio adhibenda eſt in quæſtione, utrum per legitimationem filii deficiat fideicommiſſi conditio, ad quod quis vocatus fuit, ſi primo inſtituti ſine liberis deceſſerint; vel enim conditio ita concepta eſt: *ſi ſine liberis naturalibus, & legitimis deceſſerit*: vel ita: *ſi deceſſerit ſine liberis ex juſto, & legitimo matrimonio procreatis.* In primo caſu deficit conditio, non autem in ſecundo (✠4).

(✠1) *Novel.* 12. *cap. Dubitatum* 4. *circa finem, D. Deciſ.* 5. *januarii* 1661. *ref. D. Demazzetis in cauſſa Arbaudi contra Cordariam* §. *Senatus auditis.*

(2) *D. Novel.* 12. *Cap.* 4. *prop. fin.*

(3) *Theſ. dec.* 196. *num.* 4 ✠

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Demazzettis, & d.* §., *Fab. cod. de condit. inſert. lib.* 16. *tit.*

Digitized by Google

tit. 25. def. 19. Naturalium enim, & legitimorum appellatio legitimatis apprime convenit, ſed diei nequeunt ex juſto, & legitimo matrimonio progeniti. Quare in prima ſpecie teſtatoris voluntas legitimatos quoque complectitur, non in ſecunda.

DEFINITIO VII.

Filius legitimatus in primogeniis, & fideicommiſſis præfertur filio poſtea nato ex juſtis nuptiis.

In ea quæſtione, quæ magno animorum æſtu a pragmaticis tractari ſolet, an filius legitimatus præferendus ſit in primogeniis, vel fideicommiſſis alteri filio, qui poſtea ex legitimo matrimonio natus ſit, placuit Senatui affirmantium ſententia (✠1), quæ his argumentis nititur 1. Quia hæc eſſe videtur mens teſtatoris fideicommittentis, cum hic primogenitus vere legitimus ſit, & æque capax ſucceſſionis 2. Quia teſtator ſemper præſumendus eſt, ſe velle juri conformare (2): jure autem inſpecto, filius legitimatus per ſubſequens matrimonium ad ſuccedendum admittitur, non tantum a tempore legitimationis, ſed & a die conceptionis (3); finguntur enim a conceptione legitimi fuiſſe, ſicut cenſentur ingenui nati, qui ab Imperatore natalibus reſtituti ſunt (4). Capacitas autem ſuccedendi eo tantum tempore conſideranda eſt, quo eſt neceſſaria (5). An idem dicendum ſit de filio per reſcriptum Principis legitimato, colligi poteſt ex iis, quæ ſupra diximus (Defin. II).

(✠1) *D. Deciſ.* 4. *Aprilis* 1730. *refer. D. Guillier in cauſſa concurſ. Perlaſco §. His non obſtantibus, & ſeqq.*

(2) *L. Heredes mei* 57. §. 1. *ff. ad Sen. conſ. Trebell.* (36. 1).

(3) *L. Cum quis a muliere* 10. *cod. hoc tit. de naturalib. liber.* (5. 27).

(4) *L. Interdum* 2. *ff. de natalib. reſtituendis* (40. 11).

(5) *L.* 1. §. 1, *L. Poſt conſanguineos* 2. §. *Proximum* 6. *ff. de ſuis, & legitim. heredib.* (38. 16)

DEFINITIO VIII.

Legitimati non ſuccedunt in feudis: utique nati ex matrimonio rite contracto, licet nullo.

Filii legitimati, ſi feudorum conſuetudines attendantur, a feudis repelluntur, ſive cum legitimis concurrant, ſive ſoli ſint (1): niſi expreſſa hujus effectus mentio facta ſit in legitimationis reſcripto: quo caſu eorum dumtaxat feudorum capaces ſunt, qui a Principe legitimationem concedente dependent, & quidem tantum in defectum agnatorum, quibus Princeps nocere velle non præſumitur (2). Filius autem natus ex matrimonio, nullo quidem ob dirimens impedimentum, ſed legitime in facie eccleſiæ contracto, atque ab Eccleſia approbato, ad feudum admittitur (✠3); hic enim filius vere legitimus eſt, utpote progenitus a parentibus, quos inculpatus error, & bona fides venia dignos facit (4).

(1) *Naturales filii, licet poſtea fiant legitimi ad ſucceſſionem feudi, nec ſoli, nec cum aliis admittuntur: feudor. lib.* 2. *tit.* 26. §. 4. *verſic. Naturales.*

(2) *L. Reſcripta* 7. *cod. de precib. Imperat. offerend.* (1. 19.), *atque ita deciſum refert Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 100. *num.* 20. ✠

(✠3) *D. Deciſ.* 4. *april.* 1730. *refer. D. Guillier in cauſſa concurſus ſupra bonis Vaſſalli Perlaſchi, §. Videbatur quidem.*

(4) *V. ſupra de jur. perſonar. Tit. IV. defin. II.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS X.

De adoptionibus

DEFINITIO I.

Quæ ſint adoptionis, vel adrogationis requiſita?

Qui adoptandi facultatem a Principe impetrare vult, exprimere debet, ſe ætate minorem eſſe ſexaginta annorum (✠1). Qui alios liberos habet, regulariter adoptare non poteſt, niſi juſta cauſſa aliud ſuadeat, atque filii conſentiant (✠2). Adrogatio autem non niſi ex Principis auctoritate fieri poteſt (✠3).

(1) *L. Si paterfamilias* 15. §. *In adrogationibus* 2. *ff. de adoptionib.* (1. 7.), *Deciſ.* 16. *ſeptembris* 1739. *refer. D. Demorra in cauſſa Angelæ Mo Eſcoffier contra Pellegrinam viduam Giacolettam* § *Subreptam iterum num.* 25., *& ſeqq. ubi Senatus nullam dixit adrogationem; quia pater retinuerat minorem* 60. *annorum ætatem, & filium ex priore matrimonio ſuſceptum: tum & falſo affirmaverat, mortuum fuiſſe patrem adrogantis, nec de utilitate adrogationis edocuerat, prout reſcripto præcipiebatur: demum deerat cauſſa finalis adrogationis.*

(✠2) *D. L.* 15. *ff. de adoptionib; niſi juſta cauſſa aliud ſuadeat, atque filii conſentiant, L. Nam ita* 39. *ff. eod. tit., Deciſ.* 8. *januar.* 1726. *refer. D. Guillier in cauſſa Comit. Robii contra Equit. de Advocatis* §. *Tacuit primum in fin.*

(✠3) *L. Generalis* 2. *ff. de adoptionib.* (1. 7.), *d. Deciſ. ref. D. Guillier* § *Quoad primum.*

DEFINITIO II.

Adrogatio, prætermiſſa cauſſa cognitione, non valet.

In adrogatione cauſſæ cognitio omnino neceſſaria eſt (✠1): hæc autem in eo verſatur, ut ſpectetur ætas tum adrogatoris, tum adrogandi, illius conſilium, facultates, ut conſtet, utrum adrogatio utilis adrogato futura ſit, nec ne (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 8. *januar.* 1726. *refer. D. Guillar, & d.* §. *Tacuit primum.*

(2) *L. Si paterfamilias* 15. §. *In adrogationibus* 2., *& ult., L. Nec ei* 17. §. 1, *& ſeqq. ff. de adoptionib.* (1. 7.)

TITULUS XI.

De patria poteſtate

DEFINITIO I.

Emancipatio quibus ſolemnitatibus fieri debeat?

Emancipatio vetere Romanorum jure per imaginarias venditiones, & intercedentes manumiſſiones celebrabatur. Sed Juſtinianus (1), Imperatoris Anaſtaſii exemplum ſecutus, qui, neglectis fictionibus adhiberi ſolitis, juſſerat emancipari poſſe filios, dummodo facultas ab Imperatore fuiſſet impetrata, ejuſque reſcriptum apud Magiſtratum exhiberetur (2), ſimpliciorem viam emancipandorum liberorum induxit: remiſſa videlicet precum neceſſitate apud Imperatorem, conſtituit, ut emancipatio fiat ſola profeſſione patris apud competentem judicem declarantis, ſe filium e poteſtate ſua dimittere, ſuique juris facere (3). Hinc emancipatio non ex eo inducitur, quod pater dixerit, velle ſe bona negotiatione filii quæſita ipſi pleno jure cedere: nec etiam publico inſtrumento,

mento, cui etiam juſjurandum accedat, quo filius ſui juris factus a patre affirmetur, ſi judicis decretum non adſit; cum enim coram judice, & decreto interpoſito fieri jubetur emancipatio, ita ut actus iſte ſolemnis omnino requiratur (4), in poteſtate privatorum non eſt, huic ſolemnitati derogare ne quidem per juſjurandum, quod ſupplere non poteſt ea, quæ publici juris ſunt (✠5). Quod ſi de emancipatione rite facta dubitetur, pleniores requiruntur probationes, cum de vi teſtamenti a filiofamilias conditi agitur, leviores ſufficiunt in ceteris (✠6).

(1) *L. ult. cod. de emancipat. liber.* (8. 49.)

(2) *L. penult. cod. eod. tit.*

(3) *D. L. ult. cod. de emancip. liber.*, §. *Præterea 6. inſtit. quib. mod. jus patr. poteſtat. ſolvit.* (1. 12.)

(4) *D.* §. *6. inſtit. quibus mod. jus patr. poteſtat. ſolvit.*, *L. Non modo 3. cod. de emancipat. liber.*

(✠5) *Sola de donation. minor. Gloſ. unic. num. 13, & num. 14. in fine, ubi Senatus non tantum emancipationem, ſed & donationem in præmium emancipationis factam irritam declaravit; & merito; corruente enim principali, ſcilicet emancipatione, corruere quoque debet acceſſoria donatio. V. Deciſ. 26. ſeptembris 1650. refer. D. Filippa in cauſſa Annæ, & ſoror. de Gats, in qua traditur, ad probandam emancipationem per teſtes requiri, ut ſint quinque, ad hoc rogati, qui interfuerint emancipationi, & deponant eam factam fuiſſe coram judice, cum decreto, quando agitur de vi teſtamenti a filiofamilias conditi: in aliis autem ſufficere habitationem ſeorſim a patre per plures annos, quod filius nomine proprio exercuerit mercaturam, patre ſciente, nec contradicente*, §. *His tamen non obſtantibus.*

(✠6) *V. d. Deciſ. ref. D. Filippa, & d.* §.

DEFINITIO II.

Nepos conceptus ante emancipationem patris naſcitur in poteſtate avi.

Cum jura ſua unicuique intacta ſervari publice intereſit, ideoque invitus pater plerumque non cogatur filios ſuos emancipare (1), liberum eſt patri, qui filium habebat, atque ex eo nepotem, filium ſui juris facere, nepotem vero retinere, & e converſo, nepote dimiſſo, retinere filium: vel etiam, ſi malit, omnes ſui juris efficere, vel aliquos tantum ex filiis, vel nepotibus, ceteriſque deſcendentibus quos habet in poteſtate (2). Quod ſi avus, nuru prægnante, filium emancipet, non in patris, ſed in avi poteſtate conſtitutus naſcitur nepos (✠3): etenim placuit, conceptionis tempus inſpiciendum eſſe in illis, quæ ad familiam, ejuſdemque jura pertinent (4).

(1) §. *Et quidem 10. inſtitut. quibus mod. jus patriæ poteſtat. ſolvit.* (1. 12.), *L. Non poteſt 31. ff. de adoptionib.*, *& emancipat.* (1. 7.), *L. Nec avus 4. cod. eod. tit.* (8. 49.)

(2) §. *Admonendi 7. inſtitut. hoc tit.* (1. 12.)

(✠3) §. *penult. inſtit. quib. mod. jus patr. poteſtat. ſolvit.*, *Deciſ 14 ſeptembr. 1713. refer. D. Beltramo in cauſſa utrinque Abecclesia* §. *Ut autem cognoſcatur.*

(4) *L. penult. ff. de ſtatu homin.* (1. 5)

TI-

Digitized by Google

TITULUS XII.

De tutelis, ſeu de tutela teſtamentaria legitima, & dativa.

DEFINITIO I.

Tutor dari nequit filio in poteſtate patris conſtituto.

Cum tutelæ munus eo plane conſilio a legumlatoribus inductum fuerit, ut aliquis ſit, qui perſonam, & bona tueatur eorum, qui propter ætatis imbecillitatem nec ſibi, nec rebus ſuis ſupereſſe poſſunt (1), conſequens eſt, tutorem dari non poſſe filio in poteſtate patris poſito (✠2); maxime quia pater præ ſingulari erga filium charitate convenientius præſumitur proſpecturus tum educationi, tum filii bonis, quorum legitimus adminiſtrator eſt (3).

(1) §. 1, & 2, *inſtit. hoc tit.* (1. 13.)

(✠2) *Princip. inſtit. hoc tit., Deciſ.* 22. *april.* 1649. *ref. D. Beccaria in cauſſa Pichi contra Maruccum.*

(3) *L. Cum oportet* 6. *cod. de bon., quæ liber* (6. 61.)

DEFINITIO II.

Tutor a matre datus gerere non poteſt, niſi fuerit a judice confirmatus, prævia inquiſitione.

Mater ex benignitate potius, quam ex ſtricta juris ratione tutorem dare poteſt filiis ſuis (1), maxime ſi eos heredes non ſcripſerit, quamquam ſolet ex voluntate defunctæ confirmari tutor datus a matre filio exheredato, vel præterito (2): ſed, ſive heredem ſcripſerit filium, ſive non, confirmari non debet a judice, niſi prævia inquiſitione, ob fragile mulieris judicium (✠3): quamquam levior ſufficit inquiſitio, cum mater heredem filium inſtituit; quia in hac ſpecie potius præſumendum eſt, eandem filiis ſuis convenienter proſpexiſſe, ne bona, quæ eis reliquit, per tutorem minus idoneum adminiſtrari, atque hinc dilapidari contingat.

(1) *L.* 1. §. 1. *ff. de confirmand. tutor* (26. 3.)

(2) *L. Mulier* 2. *ff. eod. tit., l. Mater* 4. *cod. de teſtamentar. tutel.* (5. 28.)

(✠3) *L. Pater* 4. *ff. de teſtamentar. tutel* (26. 2.), *l.* 1. *cod. de confirmand. tutor.* (5. 29.), *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 14. *num.* 3, *Deciſ.* 19. *junii* 1665. *ref. D. Rolando in cauſſa Medici Franconi contra jugales Comba* §. *Primo ex defectu legitimationis.*

DEFINITIO III.

Extraneus tutorem dare non poteſt pupillo, niſi eum heredem ſcripſerit.

Non idem jus obtinet in extraneo, cui ea tantum conditione licet tutorem pupillo dare, ſi eum heredem ſcripſerit (✠1); nam neque in ipſo viget patria poteſtas, ſicuti in patre, nec naturalis affectio, quemadmodum in matre, ex qua legitima oritur præſumtio, filiis ſuis idoneum tutorem elegiſſe. Confirmandus utique eſt a judice, ſed previa diligenti inquiſitione (2): atque eorum tantum bonorum adminiſtratio ei concedenda videtur, quæ pupillus ab extraneo nominatore habuit, ut indicare videtur jureconſultus, cum ait, confirmandum eſſe tutorem pupillo datum ab extraneo, qui eum heredem inſtituerit, ſi extra ea bona nihil habeat pupillus (3); & probari poteſt exemplo patris naturalis, cui Juſtinianus naturali filio tutorem dandi facultatem quidem tribuit, ſed in iis tantum rebus, quas ſecundum modum a legibus præfinitum ei reliquerit (4).

(✠1) *L. Si patronus* 4. *ff. de confirm. tut.* (26. 3.), *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1676. *ref. D. Gabuti in cauſa utrinque Rivi*, §. *Primo Quia quoad perſonam.*

(2) *L.* 1. §. 1., & 2. *ff. de confirm. tutor.*

(3) *D. l. Si patronus* 4. *ff. eod. tit.*

(4) *L. ult. cod. de confirmand. tut.*(5. 29.)

DEFINITIO IV.

Tutor ob extraneo datus confirmari debet pro bonis, quæ extraneus reliquit, licet pupillus alium tutorem habeat.

Si extraneus tutorem dederit pupillo, qui alia bona habeat, aliumque tutorem, vel teſtamentarium a parentibus datum, vel legitimum, dubitari poteſt, an tutor ab extraneo datus confirmandus ſit. Paulus quidem innuere videtur, in ea tantum ſpecie confirmandum eſſe tutorem ab extraneo datum, qua pupillus alia bona non habeat (1); quia tamen æquitas ipſa demonſtrat, unumquemque poſſe rei ſuæ, quam velit, legem dicere, dummodo nec legibus, nec bonis moribus contrariam (2), non dubium, quin pro rebus ab extraneo habitis confirmandus a judice ſit, ſaltem ut adminiſtrator (✠3); quod leges nullibi prohibent.

(1) *L. Si patronus* 4. *ff. de confirm. tut.* (26. 3.)

(2) *L. Ob res quoque donatas* 20. §. 1. *ff. de pact. dotalib.* (23. 4.), §. *Heres* 10. & *ſeqq. inſtit. de heredib. inſtiuend.* (2. 14.)

(✠3) *D. Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1676. *ref. D. Gabuti in cauſſa utrinque Rivi.* §. *Primo, quia, circa finem.*

DEFINITIO V.

Educatio pupilli credenda eſt illi, quem extraneus pupillum heredem ſcribens nominavit, patre licet invito.

Eadem ratio, qua modo defendimus, tutorem ab extraneo datum impuberi, quem ſcripſit heredem, confirmari debere, quia quiſque poteſt legem rebus ſuis, quam mavult, dicere (defin. præced.), probat, educationem quoque pupilli aliquando ei credi poſſe, quem extraneus, impubere herede ſcripto, elegerit, excluſo etiam, atque invito patre ipſo, ſi juſta cauſſa ita ſuadeat (1); puta ſi pater parum honeſtis moribus inſtructus ſit; dilapidaturus, vel male adminiſtraturus timeatur: judex autem, ut pluries diximus, utilitatem pupillorum præ oculis habere debet, ſpreto etiam patris conſilio, quod pupillo noxium eſſe poſſit (2).

(✠1) *V. Deciſ.* 28. *maji* 1663. *ref. D. Perachino in cauſſa pupilli Nazarii Scotti.*

(2) *L. Utilitatem* 10. *ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.)

DEFINITIO VI.

Tutor a judice dari poteſt, cum teſtamento datus indiget confirmatione, nec eam petit.

Tutelæ dativæ locus ſit, atque dari poteſt a judice tutor pupillo, cum teſtamento datus indiget confirmatione; jus autem ſuum non proſequitur, nec confirmationem petit (✠1); ne diu pupillus indefenſus maneat (2), unde bona ejus diſſipari contingat.

(✠1) *L. Si, ut proponis* 3. *cod. de confirm. tut.* (5. 29.), *Deciſ.* 27. *auguſti* 1641. *ref. D. Abecclefia in cauſſa Gaſtaldi, Milioni, & Brunetti.*

(2) §. *Non autem* 5. *inſtit. de atilian. tutor* (1. 20.)

DEFINITIO VII.

Mater, & avia hodie tutelam liberorum gerere poſſunt, licet pupillo debeant, aut ipſis debeatur.

Mulieres olim a tutela, quemadmodum & a ceteris civilibus, vel publicis officiis excluſas fuiſſe, apud omnes conſtat (1); niſi ſpecialiter a principe fillorum ſuorum tutelam petiiſſent (2); jure novo matri, & aviæ conceſſum eſt, ut tutelam filiorum, aut nepotum gerere poſſint, quin reſcripto principali opus habeant

Digitized by Google

habeant (3), dummodo Senatusconſulti Vellejani auxilio, & ſecundis nuptiis, olim interpoſito jurejurando, nunc ſimpliciter renuncient (4), quæ tamen renunciato moribus, ait Faber, improbata eſt, quia libere debent eſſe matrimonia (5); filiorum, inquam, tum legitimorum, tum naturalium (6); quin alterutri objicii poſſit, quod debitrix ſit, aut creditrix pupilli; naturalis affectio erga liberos ſuſpicionem omnem excludit (✠7), ſaltem dato matri, vel aviæ creditrici, aut debitrici adjuncto, ſi ita judici videatur, qui eam in magnis aſſiſtat, atque obſervatoris loco ſit (✠8). Immo progreſſu temporis eo deventum eſt, ut mater, & avia tutoribus ipſis legitimis præferantur, non vero teſtamentariis (9): ita ut primo loco matri tutela deferatur, atque, ea deficiente, vel tutelam recuſante, ad aviam perveniat; cum utramque ad tutelam ſecundum ordinem Juſtinianus vocaverit (10).

(1) *L. Fœminæ 2. ff. de reg. jur., Fab. cod. quando mulier tutelæ officio lib. 5. tit. 21. def. 1. num. 7. in corp.*

(2) *L. ult. ff. de tutelis (26. 1.)*

(3) *L. Matres 2. cod. quando mulier officio tutelæ (5. 35.)*

(4) *Novel. 94. cap. Quia vero 2., Novel. 118. cap. Ex his autem 5. Auth. matri, & aviæ, & auth. ſeq. cod. quando mulier tutel offic.*

(5) *Fab. cod. eod. tit. lib. 5. tit. 21. definit. 2.*

(6) *Auth. Ad hæc, & l. ult. cod. quando mulier &c.*

(✠7) *D. Auth. Ad hæc, Deciſ. 23. martii 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſallum, §. Favor præcipuus, Deciſ. 13. ſeptembris 1692. ref. eod. D. Torrini in cauſſa Blancardæ contra Blancardum §. Tantus præterea favor, & ſeqq.*

(✠8) *D. Deciſ. in cauſſa Blancardæ, & d. loco.*

(9) *Fab. cod. eod. tit. lib. 5. tit. 21. def. 1. allegat. 8.*

(10) *D. Auth. matri, & aviæ cod. quando mul. offic. tut.*

DEFINITIO VIII.

An mater tutelam aſſumere poſſit, non expectato judicis decreto? Quid ſi minor, aut filiafamilias ſit?

Hinc ſequitur, & receptum eſt, matrem tutelam aſſumere poſſe, etiam non expectato judicis decreto, ſaltem ſi tutrix teſtamento data fuerit, cum tutelæ munus ad ipſam non tam jure deferatur, quam pietatis intuitu (✠1). Immo nec repellendam matrem eſſe placuit, quamvis ætate minor ſit, & filiafamilias, ſi judicium defuncti pro ſe habeat (✠2). Quamquam recte facturum putat Faber judicem, ſi non aliter eam velit confirmare, quam ſi ſatiſdet, maxime ſi filiafamilias ſit, quæ difficilius ſolvendo eſſe poteſt: niſi pater ſatiſdationem expreſſe remiſerit (✠3). Sed ſatius eſt, pupillo utilius, & regulis generalibus juris magis conveniens, curatorem interim matri adjungi, donec ad legitimam ætatem pervenerit (✠4), ne pupillus ejus opera regi teneatur, quæ rebus ſuis gerendis per ætatem idonea non reputatur (5).

(1) *Deciſ. 22. junii 1735. ref. D. Demorra in cauſſa Cotti contra Angleſium. §. Fruſtra etiam; Deciſ. 20. novembris 1770. refer. D. Galli in cauſſa fratr. de Pettardinis contra Patruum, & nepotem Gromi num. 95.*

(✠2) *Fab. cod. d. tit. lib. 5. tit. 21. def. 1. num. 8. in corp., d. Deciſ. 23. martii 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſallum, e d. §. Favor præcipuus.*

(✠3) *Fab. cod. d. lib. 5. tit. 21 def. 3.,*

(✠4) *Deciſ. 22. martii 1673. ref. D. Rolando in cauſſa utrinque Trucchi. §. Quæ tamen dominis; utilitatem enim pupillorum potiſſimum præ oculis habere debet judex, l. Utilitatem pupillorum 10.*

Digitized by Google

ff. de confirmand. tut. (26. 3.), *ſpreto etiam patris conſilio.*

(5) *L.* 1., *& paſſim ff. de minoribus* (4. 4.)

DEFINITIO IX.

Mater ad ſecundas nuptias tranſiens nec ex agnatorum conſenſu, & judicis auctoritate tutelam gerere poteſt, niſi ex reſcripto Principis, vel conjugis voluntate

Unus eſt caſus, quo mater tutrix eſſe nequit filiorum ſuorum, cum ſcilicet ad ſecundas nuptias tranſit (1). Neque mulieri ad ſecundas nuptias convolanti ſuffragatur agnatorum, & cognatorum omnium conſenſus, aut judicis auctoritas, qui prævia inquiſitione eam tutricem elegerit (2), quod enim mater virile tutelæ officium gerere poſſit, privilegium eſt ab Imperatoribus indultum (3), quod extra limites ab ipſis conſtitutos judici protrahere non licet: unde ſequitur, nullam eſſe judicis ſententiam, ipſo jure, quamvis nemo ab ea provocaverit: atque in hoc caſu alius tutor pupillo dari debet, agnatis, & cognatis vocatis, & quidem ſumtibus, & diligentia matris, tum ut in eo coerceatur, quod contra legum ſanctionem tutelam aſſumere præſumſit; tum quia ad ipſius officium, & pietatem ſpectat, ut liberis ſuis impuberibus tutorem petat (4). Excipiendus tamen caſus eſt, quo mulier a Principe impetraverit, ut per ſecundas nuptias filiorum tutela non privetur, vel quo tutrix teſtamento fuerit a prædefuncto conjuge data (5).

(1) *V. titul. VIII. ſupra de inceſt., & inutilib. nupt. defin. XXVIII.*

(2) *Fab. cod. eod. tit. lib.* 5. *tit.* 21. *defin.* 2.

(3) *Auth. matri, & aviæ cod. quando mulier. offic. tutel.* (5. 35.)

(4) *Fab. d. defin.* 2. *num.* 10., *& ſeq. in corp.*

(5) *D. tit. VIII. ſupra defin. XXIX.*

DEFINITIO X.

Mater non cogitur tutelam filiorum ſuſcipere.

Quod de matris, vel aviæ tutela diximus, obtinet, ſi ipſa ſponte eligat: ſi autem tutelam, ſive a marito, ſive a judice delatam ſuſcipere nolit, nullo jure cogitur, nec tenetur aliquam excuſationis cauſſam allegare, aut probare (✠1); Juſtinianus enim matri quidem beneficii inſtar indulſit, ut tutrix filiorum ſuorum eſſe poſſit, ſed cogendam non juſſit (2): neque beneficium in odium mulieris retorquendum eſt; maxime quia hinc videtur libera ſecundarum nuptiarum facultas auferri, quæ cum tutela conciliari nequit (3), niſi ex privilegio, quod non indiſtincte conceditur (defin. præced.). Neque objiciatur, ibi eſſe debere tutelæ onus, ubi commodum eſt ſucceſſionis (4); hæc enim regula locum quidem habet in agnatis, & cognatis, quos ideo lex tutelæ ſubjecit, quia ſperant emolumentum ſucceſſionis; non vero in matre, cui pietatis intuitu, & ex præſumta affectione liberorum ſuorum tutela permittitur (✠5). Atque ex his tradit Faber, matrem, quæ tutelam filiorum ſuſcepit, libere poſſe eam abjicere, ſive ætate minor fuerit, ſive major, cum hujuſmodi onus aſſumpſit: quin neceſſarium ſit beneficium reſtitutionis in integrum (6), quia invita non poſſit cogi beneficio uti (7).

(✠1) *Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1646. *reſ. D. Filippa in cauſſa Munier, Arnulfi, Arnulfæ, & Cantæ.* §. *Et adverſus dominam in princip. deciſion.*

(2) *D. Auth. matri, & aviæ, cod. quando mulier tutelæ officio* (5. 35.)

(3) *Auth. Sacramentum cod. eod. tit, Fab. cod. eod. tit. lib.* 5. *tit.* 21. *defin.* 1.

(4) *Auth. Sicut hereditas cod. de legitima tutela* (5. 30.)

(✠5) *D. Auth. Ad hæc cod. quando mulier*

Digitized by Google

mulier tutel. offic., d. Decíſ. 17. ſeptembris 1646. ref. D. Filippa, & d. loco.

(6) *Fab. cod. Quando mulier tut. offic. lib. 5. tit 21. defin. 1.*

(7) *L. Beneficium 69. ff. de reg. jur. V. Juriſprud. Tom. 1. §. 1444, & 1445. pag. 397.*

DEFINITIO XI.

Clerici (exceptis, epiſcopis & monachis) tutelam conſanguineorum gerere poſſunt.

Quemadmodum mater, & avia tutelam ſuſcipere poſſunt liberorum, ſi velint (1), ita & clerici tutelam conſanguineorum, ſi ſponte conſentiant, & intra quatuor menſes, ex quo vocati ſunt, apud competentem judicem talem adminiſtrationem ſe propria voluntate ſuſcepiſſe declarent; exceptis tamen epiſcopis, & monachis (✠2); officium enim pietatis eſt, eorum, qui ſanguine conjuncti ſunt, curam gerere (3), a ceteris autem abſtinere debent, ne ob aliena negotia a divino cultu abſtrahantur.

(1) *Auth. Matri, & aviæ cod. quando mulier offic. tutel.* (5. 35.)

(✠2) *Novel. 123. cap. Deo autem 5., Fab. cod. lib. 5. tit. 21. defin. 1. num. 4. in allegat.* ✠, *dummodo tamen idonee caveant Sentent. Senat. 17. novembr. 1768. ref. D. Valperga. V. pratica legale part. 2. tom. 1. cap. 53. §. 5, Decíſ. 18. maji 1656. ref. D. Bellino in cauſſa Virlæ contra Communit. Sancti Sebaſtiani.*

(3) *Cap. ult. diſtin. 86.*

DEFINITIO XII.

Noverca tutrix dari non poteſt a marito liberis prioris matrimonii: vitricus poteſt.

Noverca liberis prioris matrimonii dari non poteſt a marito tutrix (✠1); quod enim ſpeciali jure leges matri, & aviæ conceſſerunt, pietatis, & charitatis intuitu, protrahi nequit ad novercam, quæ a tutela magis removenda videtur, quam alia quæcumque mulier; præterquam quod enim tutela natura ſua virile munus eſt (2), ſpecialis ſuſpicionis cauſſa in eam cadere videtur, quam mariti nominatio non tollit, qui efficere non poteſt, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant (3). Aliud in vitrico obtinet, quem nullibi leges a tutela privignorum repellunt (4). Quare tum teſtamento, tum a Magiſtratu tutor poteſt nominari, niſi ex quibuſdam circumſtantiis timeatur, ne male adminiſtraturus ſit pupilli facultates. Quinimmo non tantum tutorem dari poſſe a judice cenſuit Sabaudus Senatus, ſed etiam pupilli educationem ipſi committendam, ſi agnatis, & cognatis ita videatur; nec quidquam cauſſæ ſit, cur judex eorum ſequi non debeat voluntatem (5).

(✠1) *Decíſ. 12. junii 1680. ref. D. Balegno in cauſſa Perſendæ contra Rolatum §. 1. Quia, juncto. §. Nec obſtant contraria.*

(2) *L. Tutela 16., l. ult. ff. de tutelis, (26. 1.) l. 1. cod. quando mulier tutelæ officio fungi poſſit (5. 35.)*

(3) *L. Quod bonis 15. §. 1. ff. ad leg. Falcid. (35. 2.), l. Teſtandi 13. cod. de teſtamentis (6. 23.)*

(4) *L. Ult. cod. de contrar. judic. tutelæ (5. 58), l. Nonnumquam 32. §. 1. ff. de adoptionib. (1. 7.), l. 2. cod. de interdic. matrimon. (5. 6.)*

(5) *Fab. cod. ubi pupillus educari debeat lib. 5. tit. 30. defin. unica.*

DEFINITIO XIII.

Cura bonorum abſentis datur etiam feminæ, & infanti ad ſuccedendum proximiori.

Exceptio traditæ de mulieribus a tutela, vel cura repellendis præterquam matre, & avia (defin. VII.) regulæ quædam eſt in cura bonorum abſentis; cum enim curatio hæc nihil aliud fere ſit, quam præoccupatio ſucceſſionis, ſolet hæc

cura deferri iis, qui proxime vocantur ad ſucceſſionem; quamvis feminæ ſint, vel infantes ad ſuccedendum proximiores (1). Hinc, cum ſpecies proponeretur de fratre, qui propter longam ab ſentiam mortuus putabatur, cuique tutor teſtamentarius datus fuerat, Senatus cenſuit, tutorem cogendum ad teddendam rationem adminiſtrationis, & reliqua ſolvenda ſorori, media tamen cautione per eam præſtanda de reſtituendis omnibus, ſi ita contingeret judicari; quia, cum ſoror non modo eſſet proximior ad ſuccedendum, ſed etiam ſubſtituta fuiſſet a patre, jute poterat petere curam fratris, quamvis cura virile munus ſit, eo fundamento, quod regula hæc in ea muliere fallat, quæ proximior eſt ad ſuccedendum (✠2).

(1) *Fab. cod. qui tutores dare, darive poſſint lib. 5. tit. 20. defin. 4. num. 11. in corp., & num. 12. in allegat.*

(✠2) *Deciſ. 8. martii 1663. ref. D. Demazzettis in cauſſa Creſti contra Creſtum in princip.*

DEFINITIO XIV.

Creditor, & debitor tutelam gerere non poſſunt, excepta matre, & avia; nec non tutore teſtamentario.

De creditore, & debitore regula generalis eſt a Juſtiniano conſtituta, utrumque a tutela repelli, quia timendum eſt, ne pupilli utilitatibus ſuas præponant, atque in ejus perniciem tutoria auctoritate abutantur (1). Nec inter eſt, an magnum, an modicum ſit debitum, vel creditum (✠2), quia lex inter hæc non diſtinguit, & perverſæ adminiſtrationis ſuſpicio ſemper adeſt (3): niſi minimum ſit, cujus nulla in jure ratio habetur (4). Sed fallit ex communi ſententia regula hæc in matre, & avia (defin. IX), atque in tutore, aut curatore teſtamentario, quem defunctus ſciverit debitorem, vel creditorem (✠5), quia nulla ſuſpicio in eum cadere poſſe videtur, cujus fidem teſtator probavit (6).

(1) *Auth. Minoris debitor cod. hoc tit.* (5. 28.)

(✠2) *Deciſ. 13. febr. 1692. ref. D. Bergeria in cauſſa Baragni contra Longis §. Quoad primum, & ſequ.*

(3) *L. De pretio 8. ff. de public. in rem actione* (6. 2.)

(4) *L. Scio 4. ff. de in integr. reſtitut.* (4. 1.), *l. Res bona fide 54. ff. de contrahend. emtion.* (18. 1.)

(✠5) *Deciſ. 22. martii 1673. ref. D. Rolando in cauſſa utrinque Trucchi §. Contra vero dictum, in fine.*

(6) *Fab. cod. qui tutor., aut curator. dare lib. 5. tit. 20. defin. 1. argum. l. 1. §. penult., & ult., l. Qui a patre 3., l. Si filio puberi 6. ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.) *l. Amiciſſimos 36. ff. de excuſationib.* (27. 1.)

DEFINITIO XV.

Tutorem a patre datum judex ex legitima cauſſa repellere poteſt.

Leges paternæ quidem voluntati admodum favent, ſi tamen de ea certo conſtet, nec dubium ſubſit, patrem forte deceptum fuiſſe (✠1) utilitati enim pupillorum potius, quam teſtamenti ſcripturæ, aut patris voluntati judex morem gerere debet (2).

(✠1) *Deciſ. 13. ſeptembris 1692. ref. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Blancardum §. Senatus decidendam.*

(2) *L. Utilitatem 10. ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.)

D₂.

Digitized by Google

DEFINITIO XVI.

Cognati hodie æque ac agnati ad tutelam vocantur. Quo ordine?

Poſtquam Juſtinianus agnatorum, ſeu eorum, qui per maſculos conjuncti ſunt, & agnatorum, qui per feminas junguntur, differentiam ſuſtulit, æqualiter utrique ad ſucceſſionem vocatis (1); cognati æque ac agnati legitimam tutelam ſuſcipere debent (✠2), ſi tamen idonei ſint, nec proximior ſit femina (3), vel niſi jure municipali cognati in aliquo caſu ad ſucceſſionem non admittantur (4), cum ex noviſſima Juſtiniani conſtitutione eodem ordine ſuſpiciatur tutela, quo acquiritur hereditas (5). Hic autem eſt ordo, quo agnati, & cognati tutelæ ſuſcipere debent. Si unus tantum proximior ſit, ipſe ſolus tutor eſt, ſicuti ſolus habet ſucceſſionis emolumentum (6): quod ſi plures in eodem gradu ſint, omnes tutelam ſuſcipiunt (7); quia omnes æque ad hereditatem vocantur (8).

(1) *Novel.* 118. *cap.* 1.

(✠2) *D. Novel.* 118. *cap. Ex his autem* 5., *Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1646. *ref. D. Filippa in cauſſa Munier, Arnulfi, Arnulfæ, & Cantæ.* §. *Hoc poſito.*

(3) *D. Novel.* 118. *cap.* 5., *l.* 1. §. 1. *ff. de legitim. tutorib.* (26. 4.), *Si proximior agnatus impubes ſit, curatorem interim dandum eſſe tradit Modeſtinus, l. Non ſolum* 10. §. *Etſi libertus* 7. *ff. de excuſationib.* (27. 1.)

(4) *V. Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 7. §. 5.

(5) *D. Novel.* 118. *cap.* 5.

(6) *Princip. inſtitut. de legit. agnat. ſucceſſ.* (3. 2.)

(7) *L. Si reliquero* 8, *& l. ſequ. ff. de legitim. tutor.* (26. 4.)

(8) §. *Si plures ſint* 5. *inſtitut. de legitim. agnat. ſucceſ.* (3. 2.) *De his vide Juriſprud. tom.* 1. §. 1462., *& ſeqq. pag.* 402.

DEFINITIO XVII.

Si proximior conſanguineus excuſetur, vel removeatur, an tutelæ dativæ locus fiat?

Si proximior agnatus legitimam excuſationis cauſſam habeat, aut ex juſta aliqua ratione removeatur, Romano jure inſpecto, legitimis tutoribus dimiſſis, tutor, aut curator a judice dari debet, quemadmodum, excuſato, vel remoto patroni filio, nepoti tutelam deferendam non placuit, ſed dativæ locum fieri (1), cujus juris ea ratio afferri poteſt, quod interim verum ſit, proximiorem gradum conſaguineorum ſubſiſtere, quo tantum deficiente, alii vocantur; quamvis ex accidenti tutelæ incapax ſit proximior conſaguineus. Atque addi poteſt, deficere rationem legis, quæ eos tantum vocat ad tutelam legitimam, quos proxime vocat ad ſucceſſionem. Si vero duo ſint conſanguinei in eodem gradu, quorum unus legitimam excuſationis cauſſam habeat, hoc excuſato, onus tutelæ in alterum recidet (✠2); quia in hoc caſu locum habent & verba, & legis ratio; nec quæ unum ex conſanguineis a tutelæ munere excuſat legitima cauſſa, alteri favere poteſt, aut debet, quem jura ad tutelam vocant.

(1) *L. Tutela* 3. §. *Quæri poteſt* 8. *ff. de legitim. tutorib.* (26. 4.) *l. Non ſolum* 10. §. *Si libertus* 7. *ff. de excuſationibus* (27. 1.)

(✠2) *D. Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1646. *refer. D. Filippa in cauſſa Munier, Arnulfi, Arnulfæ, & Cantæ, in fin.*

DEFINI-

Digitized by Google

DEFINITIO XVIII.

An mater avo paterno in tutela præferatur?

In ea quæſtione, utrum mater, quæ in tutela filiorum ſuſcipienda potior eſt omnibus conſaguineis (1), ipſi quoque avo paterno præferatur, placet diſtinctio inter nepotem in poteſtate avi conſtitutum, atque emancipatum. Si de nepote agatur, qui ſit in poteſtate avi, certum eſt, ejus tutelam matri nequaquam permitti (✠2), quia illi, qui in alterius poteſtate eſt, dari non poteſt tutor (3); atque potior ſemper eſſe debet cauſſa poteſtatis patriæ, quam tutoriæ (4). Si vero de nepote agatur ex filio emancipato, poſt emancipationem concepto, vel alia ratione extra avi poteſtatem conſtituto, mater avo præferenda videtur in tutela; tum quia generaliter ſtatuit Juſtinianus, ut mater quibuſcumque tutoribus legitimis præferatur, quin paternum avum exceperit (5); tum quia hic locum habere poteſt ea ratio a Juſtiniano tradita (6), ut idem ordo ſervetur in tutela, qui in ſucceſſione (7).

(1) *Auth. Matri, & aviæ cod. quand. mul. tutel. offic. &c.* (5. 35.)

(✠2) *Princip. inſtitut. de tutel* (1. 13.), *d. Deciſ. 13. ſeptembris 1692. referente D. Torrini in cauſſa Blancardiæ contra Blancardum. §. Tantus præterea, ubi adjicitur, ita alias judicaſſe Senatum, nimirum 10. februarii 1649. ref. D. Barberis in cauſſa Vialis contra Vialem, Fab. cod. de legit. tut. lib. 5. tit. 17. defin. un. num. ult. in allegat., ubi tradit tandem ita ſæpius judicaſſe Senatum, & lib. 8. tit. 33. de patria poteſtate defin. 3.*

(3) *L. Si filiusfamilias 33. ff. de teſtam. milit.* (29. 1.), *juncta l. Sic eveniet 21. ff. ad leg. Jul. de adulter.* (48. 5.)

(4) *Fab. cod. de patria poteſtate d. def. 3. num. 8, & ſeqq. in corpore*

(5) *Auth. Matri, & aviæ cod. quando mulier tutelæ officio.*

(6) *D. Novel. 118. cap. Ex his autem 5.*

(7) *D. Novel. 118. cap. 1.*

DEFINITIO XIX.

An mater, quæ tutelam filiorum dimiſit, eam rurſus ſuſcipere poſſit?

Matri, quæ tutela per ſecundas nuptias privata fuit (defin. IX.), tametſi vidua fiat, jus denuo ſuſpiciendi filiorum tutelam competere non videtur; leges enim binubam matrem ſtatim a tutela repellunt (1); nec ullibi eam denuo admittendam cavent; & merito quidem, nam per repetitam viduitatem non tollitur omnino iniqua de ipſius adminiſtratione ſuſpicio, maxime ſi ex ſecundo conjugio prolem ſuſceperit, quæ ſuperſtes ſit: ex peculiaribus tamen rerum adjunctis, poſt mortem ſecundi matrem poſſe reaſſumere tutelam pronunciavit Sabaudus Senatus, ſi modo nullos ex ſecundo marito liberos habeat: quamquam & in hoc caſu requirendam Principis auctoritatem ſentit Faber, ne tanta vis legibus fieri videatur (2): atque facilius admitti denuo poteſt, ſi teſtamento tutrix data fuerit, maxime ſi nulli ſint legitimi tutores. Quod ſi mater tutelam legitimis tutoribus ſponte dimiſerit, non poteſt ad illam regredi, invito legitimo tutore (✠3); leges enim ludibrio habere videretur mulier, quæ, poſteaquam alterius gratia legum beneficio renunciavit, denuo illud imploraret in alterius diſpendium.

(1) *Auth. Eiſdem pœnis cod. de ſecund. nupt.* (5. 9.)

(2) *Fab. cod d. lib. 5. tit. 21. defin. 2. num. 11. in allegat.*

(✠3) *Deciſ. 23. junii 1642. ref. D. Piſcina in cauſſa Annæ Durandi, & Randoni. §. His non obſtantibus, & ſequ., ubi & idem traditur de ea, quæ moroſa fuit in petenda tutela, & interim alius tutor datus eſt.*

DEFINITIO XX.

Quid ſi mater tutelam ſponte dimiſerit, ſed ſub quibuſdam conditionibus, quæ non impleantur?

Non idem erit, ſi mater non pure, ſed ſub aliqua conditione tutelam abdicaverit alterius favore; atque hic in conditione adimplenda ceſſaverit. Hinc, cum ſpecies proponeretur de matre, quæ tutelam pretio etiam clam accepto dimiſerat impuberis patruo, ſub pluribus conditionibus, veluti rationes quot annis reddendi, pecuniam ex reditibus contemporaneé inveſtiendi, atque ea lege, ut ipſa educationem liberorum retineret, deficientibus hiſce conditionibus, ea maxime, quæ educationem filiorum reſpicit, utpotequæ gravioris momenti eſt, matri reſtituendam eſſe tutelam, Senatus pronunciavit, quamvis ad alias nuptias interim convolaſſet, per ſecundi tamen viri obitum ſolutas, potiſſimum quia patruum onerabant plures ſuſpicionis cauſſæ, veluti paupertatis, & non omnino diligentis adminiſtrationis (✠1). Neque obeſſe viſa eſt matri tutelæ nundinatio, (tutelam pro duplis centum patruo remiſerat), ob quam tutor non tantum a tutela removendus traditur, veluti ſuſpectus, ſed & graviter puniendus (2); ſiquidem cenſuerunt Patres, magis hinc ſuſpectum fieri dantem, quam accipientem; quia in dante præſumtio ſit, cum velle pupillorum bona in ſuos uſus convertere, quæ præſumtio in accipientem non cadit. Quamquam, ut omnis fraudis ſuſpicio tolleretur, decretum fuit, ut mater de acceptis erga pupillos ſe oneraret, ſalvo jure contra dantem, prout ei competere poſſet (✠3).

(✠1) *Deciſ.* 13. *ſeptembris 1692. ref. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Abbatem Blancardum Sororium. §. Senatus decidendam.*

(2) *L. In eos* 9. *ff. de tutelis* (26. 1.)

(✠3) *D. Deciſ. ref. D. Torrini. §. Nec ipſam pariter, in fine deciſionis.*

DEFINITIO XXI.

Uter præferri debeat ex pluribus tutoribus datis a diverſis judicibus, originis, & domicilii?

Quemadmodum tutelæ legitimæ locus non fit, niſi deficiente teſtamentaria (1), ita nec locum plerumque habet tutela dativa, niſi nulli ſint agnati, aut cognati, qui hoc munus ſubeant (2). Datur autem tutor ex communi fere populorum uſu a judice ordinario (3). Apud omnes quidem conſtat, tutorem dari poſſe a judice originis, vel domicilii (4), vel etiam loci, in quo poſita ſunt bona (5), ſaltem ſi loca admodum diſſita ſint, & ita expediat pupillo, ex cujus utilitatibus omnia æſtimari debent (6); ſed, cum regulariter unus tantum tutor detur (7), dubitatio oritur, uter præferendus ſit ex tutoribus, ſi unus a judice originis, alter a judice domicilii tutor nominatus fuerit. In hac autem quæſtione, ſi Fabro credimus, præventioni locus eſt, niſi utilitas pupillorum aliud ſuadeat (8). Sed regulæ generalis inſtar potius conſtituendum eſt, ex pluribus tutoribus datis a judice originis, & domicilii præferendum eſſe electum ab eo judice, qui, ſingulis rebus penſatis, magis idoneus eſt curandis pupilli utilitatibus (✠9); dummodo ſubjiciatur imperio judicis, a quo datus fuit (10); cum judex, quicumque is ſit, in eligendo, vel confirmando tutore præcipue ſtudere debeat pupillorum utilitati (✠11).

(1) *L. Si quis* 11. *ff. de teſtamentar. tutel.* (26. 2.)

(2) *Princip. inſtit. de Attilian. tutor.* (1. 20.)

(3) *V. Jurisprud. tom.* 1. §. 1530., *& ſeqq. pag.* 417.

(4) *L.* 1. §. *ult.*, *l. Jus dandi* 3., *l. Divi* 24. *ff. hoc tit. de tutorib. dat. &c.* (26. 5.), *Fab. cod. ubi petant. tutor. vel curator.*

curator. lib. 5. tit. 19. deſin. unic. in princip.

(5) *L. Pupillo 27. ff. hoc tit. de tutorib. dat. &c. ubi de pupillo, qui bona habeat Romæ, & in provinciis.*

(6) *Fab. d. deſin. unic. in fin.*

(7) *§. Penult. inſtit. de curatorib.* (1.23.)

(8) *Fab. d. deſin. unic. num. 3. in corp., & in fin.*

(✠9) *Sentent. Senat. 17. martii 1753. reſ. D. Deaſte in cauſſa pupilli Morelli.*

(10) *Fab. cod. ubi petant. tutor. lib. 1. tit. 19. d. deſin. unic. allegat. ult.*

(✠11) *L. Utilitatem 10. ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.), *Deciſ. 13. ſeptembris 1592. reſ. D. Torrini in cauſſa Blancardæ contra Blancardum. §. Senatus decidendam.*

DEFINITIO XXII.

Tutela non finitur, niſi curatoribus poſt pubertatem conſtitutis. An tutor interim quædam gerere poſſit, & debeat?

Tutela pubertate quidem finitur, ſaltem ſi curatores ſint conſtituti, etenim, ut ſcripſit Ulpianus, officium tutorum non niſi conſtitutis curatoribus finem accipit (✠1), non tamen deferenda eſt adminiſtratio, ſaltem quoad negotia priori tutelæ connexa, niſi conſtituto curatore, & redditis rationibus, nec deferi poſſunt, quin pupillus damnum patiatur, puta ſi defendendus in judicio (✠2).

(✠1) *L. A tutoribus 33. §. 1. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.,* (26. 7.), *Deciſ. 15. aprilis 1733. reſ. D. Guillier in cauſſa fratr. de Aribaldis contra prætendentes. §. Tranſeamus ad ratiocinia.*

(✠2) *L. Ita autem 5. §. Si tutor 5. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor. l. Si tutor. 13. ff. de tutel., & rationib. diſtrahend.* (27. 3.), *l. unic. cod. ut cauſſæ poſt pubert. adſit tutor* (5. 48.), *Fab. cod. eod. tit. lib. 5. tit. 29. deſin. 2., Deciſ. 9. junii 1673. reſ. D. Balbis in cauſſa Moleua contra Zuccam. §. Senatus tamen, Deciſ. 14. decembris 1644. reſ. D. Barberis in cauſſa Cagnolis contra Comit. Curbi. §. Nec viſum fuit, ubi deciſum fuit, tutorem gerere poſſe, prout quæſtio ferebat, Deciſ. 16. januar. 1635. reſ. D. Pergamo in cauſſa Fangiæ contra Poliagum. §. Nam quoad primam, in princip. deciſion.*

TITULUS XIII.

De confirmando tutore.

DEFINITIO I.

Tutor legitime datus a patre non indiget confirmatione.

Regula generalis eſt, non egere confirmatione tutores, qui patris legitima diſpoſitione fuerint nominati; quippe paternum judicium legitime demonſtratum; confirmationis neceſſitatem excludit: dummodo datus ſit tutor, quibus oportet, & quomodo, & ubi oportet (✠1): quare ſufficit judici exhiberi patris teſtamentum, quo tutorem deſignavit, ad hoc, ut tutor legitime adminiſtret (2).

(✠1) *L. 1. §. 1. ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.), *Sentent. Senat. 25. maji 1759. reſ. D. Calza in cauſſa Corteſe contra Taverna, Sentent. Senat. 28. januar. 1754. reſ. D. Dani in cauſſa Boſia contra Godano.*

(2) *V. Pratica legale part. 2. tom. 1. cap. 51. §. 13, & 14.*

DEFINITIO II.

Quid ſi poſt patris teſtamentum mutata ſint adjuncta vel pater quædam ignoraverit?

Hæc tamen regula exceptionem habet, ſi mutati ſint poſt teſtamentum tutoris mores, aut minutæ facultates, aut inimicitiæ cum patre exarſerint, quibus ſuſ-

ſuſpecta fiat tutoris fides (1): vel pater ignoraverit, quæ eum removere potuiſſent, ne illi, quem elegit, filiorum tutelam committeret (✠2); quamvis enim magni facienda ſit patris voluntas, prævalere tamen debet utilitas pupillorum (3)

(1) *L. In confirmando* 8., *& ſeqq. ff. hoc tit. de confirmand. tutor.* (26. 3.)

(✠2) *D. Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1692. *ref. D. Torrini in cauſſa utrinque Blancardi.* §. *Senatus decidendam.*

(3) *D. l. Utilitatem* 10. *ff. hoc tit.*

TITULUS XIV.

Qui petant tutores, vel curatores.

DEFINITIO I.

Mater, & conſanguinei proxime ad impuberis ſucceſſionem vocati tutorem petere tenentur.

Cum pupillorum maxime interſit, ne ſint abſque tutore, qui perſonæ, & bonorum curam gerat, merito per leges petendi tutoris neceſſitas impoſita illis eſt, qui ex naturali pietate, vel ſpe ſucceſſionis ſponte hoc officio fungi deberent: futurum alioquin, ut in deſidiæ pœnam ſucceſſione priventur (1). In primis igitur tutorem pupillo petere jubetur mater, quæ nolit, vel ob tranſitum ad ſecundas nuptias non poſſit, filiorum ſuorum tutrix eſſe (2) matri autem non tantum legitimis liberis ſuis, ſed & naturalibus tutoris petendi neceſſitas a legibus impoſita eſt, quippe etiam illorum educationi, & utilitati proſpicere debet (3). Deficiente matre, hoc onus ad aviam tranſit (4). Jure demum noviſſimo huic oneri petendi tutoris ſubjiciuntur agnati omnes, & cognati, qui proxime ad ſucceſſionem impuberis vocantur (5), & quidem idonei ad pupillum tuendum. Quare munere ſuo functa non judicatur mater, ſi eum petierit, qui ex juſta cauſſa legibus probata ab hoc onere ſuſcipiendo ſe excuſet, aut ad illud aſſumi jura prohibeant: niſi, excuſatis, et remotis his, idoneos alios in eorum locum ſubſtitui curaverit; quamvis non ex dolo, ſed ex imperitia eos judici nominaverit, qui tutores eſſe nolunt, vel non admittuntur (6). Sane quod de matre hic dictum eſt, ad aviam, & conſanguineos protrahendum eſſe dubitare non ſinunt jura (✠7), & ratio legis, quæ pupillorum utilitati proſpicere voluit.

(1) *L. Si minores* 2. §. *Quæ autem* 2. *ff. hoc tit.* (26. 6.), *L. Sive ingenua* 2. §. *Si mater* 23. *ff. ad S. C. Tertyllian.* (38. 17.), *l. Sciant* 10. *eod. de legitim. heredib.* (6. 58.)

(2) *D. l.* 2. §. 1., *&* §. 2. *ff. hoc tit.*

(3) *Matres naturalibus etiam filiis . . petendorum tutorum neceſſitati ſubjaceant. l. ult. eod. hoc tit.* (5. 31.)

(4) *Quid ſi nepotibus? Similiter non petendo punitur, d. l. Sive ingenua* 2. §. *Filiis autem* 28. *ff. ad Senatusconſultum Tertyllian.*

(5) *D. l. Sciant* 10. *eod. de legitim. heredib.*

(6) *D. l.* 2. §. 1. *ff. hoc tit.*, *d. l.* 2. §. *Sed etſi* 38. *ff. ad Senat. conſult. Tertyl.*

(✠7) *D. l.* 2. §. 1. *ff. hoc tit.*, *d. l.* 10. *cod. de legitim. heredib*, *Deciſ.* 18. *maji* 1646. *ref. D. Pergamo in cauſſa fratr. de Scarronis, Viglianæ, Ulienghæ, & Mechi.* §. *Et hac eadem ratione, ubi traditur, conſanguineos non excuſari, niſi tutorem petierint cum effectu, & curaverint, ut datus tutor inventarium conficiat, & effectu adminiſtret ex l. ult.* §. *Perſonis etiam* 2. *cod. de adminiſ. tutor.* (5. 37.)

DEFINITIO II.

Intra quod tempus tutor pupillo peti debeat?

Conſanguineis in ſecundo gradu po-

ſitis

ſitis currit anni tempus poſt annum, ex quo proximior conſanguineus tutorem petere neglexit, ſi jus ſtrictum ſpectemus (1); ſed, inſpecta æquitate illa, quæ pœnas interpretatione minuit, quantum fieri poteſt (2), aliquibus placet conſanguineo ſequenti in gradu non currere annum, ſini poſt defunctum proximiorem (✠3).

(1) *L. Sciant* 10. *cod. de legitim. heredib.* (6. 58.)

(2) *L. Perſpiciendum* 11. *ff. de pœn.* (48. 19.), *l. Factum* 155. §. *ult. ff. de reg. jur.*

(✠3) *Deciſ.* 18. *maji* 1646. *ref. D. Pergamo in cauſſa fratr. de Scarronis, Vilianæ, Ulienghæ, & Mechi.* §. *Huic autem aviæ, fer. in princip. Deciſ.*, *V. Juriſprud. tom.* 1. §. 1578., *& ſeqq. p.* 428.

DEFINITIO III.

Matre a ſucceſſione ob non petitum tutorem excluſa, filii, & agnati ad eam veniunt jure proprio. An legitima matri ſalva ſit?

Mater, quæ tutores impuberibus filiis non petierit, ſicut jam innuimus (defin. I.) in deſidiæ pœnam eorum inteſtata ſucceſſione privatur (1). Conſanguinei autem, proxime ad ſucceſſionem vocati, qui huic muneri deſuerint, non tantum ſucceſſione inteſtata, ſed & ea, quæ jure ſubſtitutionis ad ipſos perventura eſſet, privandos decretum eſt (2). Hic tamen ſingulari jure receptum fuit, ut legitima hereditas ab iis, tamquam ab indignis ablata, non cedat fiſco, ſed, excluſa matre, ad agnatos perveniat (3), adeoque ad ipſius filios, qui jure proprio tamquam proximiores, & defuncti fratres admittuntur (✠4): & conſequenter, agnatis, vel cognatis proximis excluſis, iis acquiritur, qui proximum poſt hos in ſucceſſione locum habent. An vero mater negligens integra privetur ſucceſſione, an ſaltem legitima ei ſalva ſit, diſputatur. Plures eam legitima privandam putant, quia leges generaliter, & indiſtincte loquuntur (5). Alii legitimam ei relinquendam exiſtimant commiſerationis ratione, in ſolatium liberorum amiſſorum, atque matris culpam ſatis coercitam exiſtimant, ſi integra filii ſucceſſione privetur, quam alioquin habuiſſet. Sane, cum hodie fere apud omnes gentes obtinuerit, ut hujuſmodi pœnæ, quæ non in reipublicæ læſæ ſatisfactionem, ſed potius ob commodum privatorum a legibus imponuntur, quantum fieri poteſt, emolliantur, non ſine fundamento defendi poteſt, legitimam in hac ſpecie adhuc matri relinquendam eſſe, ſicuti ſalva eſt matri, quæ, cum filiorum ſuorum tutrix eſſet, ad ſecundas nuptias, neque petito tutore, neque redditis rationibus, neque reliquis perſolutis convolavit (6).

(1) *L. Minores* 2. §. *Quæ autem* 2. *ff. hoc tit.* (26. 6.), *l. Sive ingenua* 2. §. *Si mater* 23. *ff. ad Senat. conſult. Tertyl.* (38. 17.)

(2) *L. Sciant* 10. *cod. de legit. hered.* (6. 58.)

(3) *D. l. Sive ingenua* 2. §. *ult. ff. ad Senat. conſult. Tertyl*

(✠4) *Deciſ.* 20. *decembris* 1747. *ref. D. Falcombello in cauſſa Caſaſſa contra Vittonum.* §. *His tamen, & finalibus num.* 17., *&* §. *Quare ſucceſſionem num.* 27., *ubi ideo frater ſecundi matrimonii, tamquam uterinus, & proximior, admiſſus fuit. Novel.* 118. *cap. Si igitur* 3, *Deciſ.* 18. *maji* 1646. *ref. D. Pergamo in cauſſa fratrum de Scarronis.* § *Secundo excludebantur, ubi & de fratre uterino, atque additur, cum admitti, licet tempore mortis pupilli tantum conceptus fuiſſet, quia natus reputatur, cum de illius commodo agitur, l. Qui in utero* 7. *ff. de ſtat. homin.* (1. 5.)

(5) *D. l* 2. §. 2. *h. tit.*, *d. l.* 2. §. *Si mater* 23. *ff. ad S. C. Tertyl.*

(6) *V. Supra tit. VIII. de inceſt. & ſecund. nupt. defin. XXXI.*

TIT.

TITULUS XV.

De curatoribus ad bona, & ad lites minorum, vel pupillorum.

DEFINITIO I.

Minore invito curator ad lites datur, ſive ille actor ſit, ſive reus.

Minori invito dari poteſt curator a judice ad litem (✠1). Nec intereſt, an minor ſit actor, an reus, cum non habeat legitimam perſonam ſtandi in judicio (2): atque ideo non valet ſententia contra minorem indefenſum lata (3).

(✠1) §. *Item inviti* 2. *inſtit. de curatorib.* (1. 23.), *Fab. cod. in quib. caſib. tutor habent &c. lib.* 5. *tit.* 22. *defin. unic.*, & *tit.* 27. *defin.* 2., *Sola de citationib. gloſ.* 22., *Deciſ.* 20. *jun.* 1644. *ref. D. Barberis in cauſſa fratr. de Meynardis contra communit.*, & *exactores loci Ormeæ.* §. *Quoad judicium*.

(2) *L. In rebus* 2. *cod. qui legitim. perſon. ſtand. in judic. hab.* (3. 36.)

(3) *L. Contra pupillum* 54. *ff. de re judicat.* (42. 1.)

DEFINITIO II.

An invito minori generatim curator detur?

Quamquam juri Romano magis conſentanea videtur eorum ſententia, qui minoribus omnibus generatim curatorem dandum, etiam invitis, defendunt (1), recepta tamen apud nos, & probata uſu fori ſententia eſt, ex qua minori invito curator non datur extra caſus exceptos, videlicet, qui prodigalitatis nullum præbuerit indicium, nec ulla lite implicatus ſit, neque ſolutionem accipere debeat, aut rationes a tutore præteritæ adminiſtrationis (✠2).

(1) *V. Jurisprud. tom. II.* §. 28., & *ſeqq. pag.* 15.

(✠2) *Fab. cod. in quib. caſib. &c. lib.* 5. *tit.* 22. *defin. unic.*, *ubi tamen ſubjicit, curatorem datum non niſi cauſſa cognita removeri poſſe*, *Deciſ.* 20. *junii* 1644. *ref. D. Barberis in cauſſa fratrum de Meynardis contra communit.* & *exactores loci Ormeæ.* §. *Quoad judicium*, *ubi definitum fuit, valere judicium geſtum cum curatore electo a judice*, licet regulariter *curator non detur, niſi petenti.*

DEFINITIO III.

Maritus eſſe poteſt curator ad lites uxoris & legitimus eſt procurator pro dote, & paraphernalibus.

Leges veteres non tantum uxori amenti maritum curatorem dari vetuerunt (1); ſed etiam ſponſæ (2), immo & uxori in bonis paraphernalibus (3); ne hinc diſſidia facile oriantur inter eas perſonas, quæ mutua arctiſſima benevolentia jungi debent: ſed poſterioribus legiſlatoribus placuit, bonorum paraphernalium adminiſtrationem marito concedere, ſi mulier ſanæ mentis ſponte conſentiat (4): quod deinde jus confirmavit Juſtinianus (5). Quare poteſt maritus mulieri conſtitui curator ad lites (✠6), & legitimus uxoris procurator in judicio eſt pro dote, & paraphernalibus (✠7).

(1) *L. Virum* 14. *ff. de curat. furioſ.* (27. 10.)

(2) *L.* 1. §. *ult. ff. de excuſation.* (27. 1)

(3) *Maritus, etſi rebus uxoris ſuæ debet affectionem, tamen curator ei dari non poteſt, l. Maritus* 2. *cod. Qui dare tut.* (5. 34.)

(4) *Nullo . . . . . . modo muliere prohibente virum in paraphernis ſe volumus immiſcere. L. Hæc lege* 8. *cod. de pact. conv.* (5. 14.)

(5) *L. Ult. cod. eod. tit.*

(✠6) *Deciſ.* 19. *Aug.* 1644. *ref. D. Vercel-*

Vercellis in cauſſa utrinque Penſa fere in med.

(✠7) *Deciſ.* 8. *febr.* 1673. *ref. D. Torrini in cauſſa Bovis contra Gentam*, §. *Dubitatum tamen fuit*, *l. Maritus* 21. *cod. de procuratorib.* (2. 13.)

DEFINITIO IV.

Curator minoris ſolus eligere non poteſt procuratorem, ſeu curatorem ad lites.

Cum minoris curator ſolus non agat, ſed auctoritatem præſtet agenti minori (1), qui animi judicio præditus eſt, licet non penitus perfecto, conſequens eſt, curatorem ad lites, ſeu procuratorem non poſſe eligi a ſolo curatore bonorum, ſed minoris quoque conſenſum requiri (✠2).

(1) *L. In negotiis* 5. *ff. de reg. jur.*

(✠2) *Sentent. Senat.* 23. *januar.* 1734. *ref. D. Bianchis in cauſſa Elva contra prætendentes.*

DEFINITIO V.

Judex originis, vel domicilii curatorem ad lites minori plerumque dat, non judicii.

Curatorem ad lites minoris, vel etiam furioſi dare poteſt, non judex litis, ſed originis, vel domicilii (✠1), niſi forte minor in judicium vocatus, vel ante litis conteſtationem, præſtita tamen ſatiſdatione de in judicium ſiſtendo, judicatumque ſolvendo, vel, lite conteſtata per ſe, non per procuratorem, furioſus, aut demens evaſerit: atque ideo negotium, aut judicium coram judice jam cœptum ſit, & res integra eſſe deſierit (✠2); quia per in jus vocationem, & præſtitam de judicato ſolvendo ſatiſdationem, nec non per litis conteſtationem minor videtur ſubjici judicis auctoritati (3), a cujus officio conſequenter pendere debet, ut curator litis conſtituatur. Si autem procurator jam conſtitutus fuerit a minore, pergit hic litem proſequi. Pro judice quidem litis ea facit ratio, quod melius ipſe cognoſcere poteſt, quis in eo loco idoneus ſit ad minorem defendendum: quia tamen ex receptis juris regulis non ideo quis alterius jurisdictioni ſubjicitur, quod ibi judicium ſubire debeat, niſi ratione ipſius ſingularis judicii, curator autem ab eo judice dandus eſt, qui præeſt minori, merito conſtitutum eſt, ut a judice originis, vel ſaltem domicilii curator detur, ſicuti & tutor ab eodem judice eligendus eſt, non ab eo, ubi bona poſita ſunt (4); quia facilius eſt, ut in hiſce locis inveniatur, qui de negotiis minoris inſtructus ſit, atque melius eum defendere poſſit. Neque ab hac Romani juris definitione diſſentit jus Regium, dum ſtatuit, minore poſt citationem legitime factam curatorem ad lites non eligente, jus eligendi ad Magiſtratum, vel judicem devolvi, coram quo lis pendet (5); id enim cautum non legitur, niſi fortaſſe ad certam litem, adſcitis vel minore, vel in perſona parentum, conjunctorum aut vicinorum furioſo, mente capto, eorumque ſimilibus contumacia in eligendo interceſſerit (6), jus enim Regium ita ſemper interpretandum eſt, ſi fieri poſſit, nec reſiſtant verba, ut a Romano, communi omnium gentium jure, non diſſentiat (✠7).

(✠1) *L. unic. cod. ubi petant. tutor.* (5. 32.), *l.* 1. *ff. ad municipalem* (50. 1), *Deciſ.* 25. *januarii* 1736. *ref. D. Dani in cauſſa patris, & filii Aſteſani contra fratres Brunettos.* §. *Neque auctoritas n.* 36.

(✠2) *L. Sancimus* 28. §. 1. *cod. de admin. tut.* (5. 37.), *d. Deciſ.* 25. *janu.* 1736. *ref. D. Dani*, *& d.* §.

(3). *L. Si quis* 7., *l. Ubi acceptum* 30. *ff. de judic.* (5. 1.)

(4) *V. Juriſprud. tom.* 1. §. 1532., *& ſeqq. pag.* 417.

(5) *Reg. conſtit. lib.* 3. *tit.* 3. §. 15.

(6) *Ut colligi poteſt &* §. 16. *ibid.*

(✠7) *Verba ſunt d. Deciſ.* 25. *januar.* 1736

Digitized by Google

1736. ref. D. Dani §. Hac in re num. 39.

DEFINITIO VI.

Quod ſit officium curatoris ad lites, & quæ ei incumbant onera?

Curatoris ad lites minorum, & ſimilium officium idem eſt ac eorum, qui procuratores vocari ſolent (1). Poteſt ergo ea facere, quæ procuratori competunt, nec ad aliud tenetur, quam ut minorem in judicio defendat; nec cautionem ullam ex vi officii ſui præſtare cogitur (✠2), quæ nullibi præſcripta eſt, niſi aliquando a judice, inſpecta conditione perſonæ, & natura negotii curatorem hunc ad ſatiſdandum cogi æquum ſit (✠3). Neque inventarium facere tenetur, niſi inſtrumentorum, & documentorum litis: præterquam ſi datus proponatur litibus abſentis, qui alium non habeat curatorem; tunc enim ſatius eſt, ut inventarium rerum conficiat, vel ſaltem omnium inſtrumentorum; ne alioquin contingat, ut neceſſarias defenſiones ignoret, & omittat: quo caſu, ſi dolus, aut negligentia probetur, jurari poterit contra ipſum in litem (4).

(1) *Fab. cod. qui tutor. aut curator. dar. &c. lib. 5. tit. 20. defin. 4.*

(✠2) *Fab. d. defin. 4, & d. defin. 6. tit. 5. tit. 40., d. Deciſ. 25. januarii 1736. refer. D. Dani in cauſſa Aſteſani contra Brunettos. §. Ad cautionem num. 40.*

(✠3) *D. Deciſ., & d. §. Ad cautionem Fab. cod. lib. 5. tit. 20. defin. 4. num. 9. in corp.*

(4) *Sola de legitimatione perſon. gloſ. 8. num. 4, & gloſ. 9. num. 1. pag. 358.*

DEFINITIO VII.

Curator ad lites an omnes cauſſas agere poſſit?

Curator ad lites datus, quin expreſſum fuerit, in quam rem datus ſit, in omnes controverſias datus intelligitur (1): ſed ſi curator pro una cauſſa ſpecialiter datus proponatur, eodem munere fungi in aliis non poteſt (✠2), ne fines mandati egrediatur. (3).

(1) *L. Qui habet 3. §. ult. ff. de tutelis (26. 1.)*

(✠2) *L. Quod dicitur 4. ff. eod. tit., Deciſ. 16. junii 1732. ref. D. Nomis in cauſſa Parati contra concurſum Mariani §. Hinc quartam, juncto §. ult.*

(3) *L. Diligenter 5. ff. mandati* (17. 1)

DEFINITIO VIII.

Curator dandus eſt pupillo, qui judicio cum tutore agere debeat.

Cum nemo in rem ſuam auctor eſſe poſſit, nec rei ſimul, & actoris perſonam ſuſtinere (1), ſi tutori cum pupillo judicio experiendum ſit, curator dari debet, qui pupillum defendat; in eo videlicet caſu, quo debitor, aut creditor factus fuerit tutor poſt tutelam (2): vel de matre, aut avia agatur (✠3), quas ob debitum, vel creditum a tutela non removeri conſtitutum eſt (4).

(1) *§. Ult. inſtit. de auctoritat. tutor.* (1. 21.)

(2) *Novel. 72. cap. Sed & ſi quis 2.*

(✠3) *Sentent. Senat. 4. decembris 1734. ref. D. Nomis in cauſſa Santena*

(4) *Auth. ad hæc cod. quando mul. offic. tutelæ (5. 35.)*

DE-

DEFINITIO IX.

Quale ſit officium curatorum, qui pupillis aliquando dantur?

Curatorum, qui interdum pupillis dantur, puta cum tutor minus idoneus eſt, non tamen doloſus; vel excuſationem temporariam habet (1), vel quoties pupillo cum tutore teſtamentario, vel poſt tutelam ſuſceptam debitore, aut creditore facto, vel cum matre, aut avia tutrice judicio agendum eſt (2), curatorum, inquam, horum officium eſt tutorem in adminiſtratione adjuvare, prout a judice decretum fuerit; neque enim eadem ſemper curatoribus, qui tutori minus idoneo adjunguntur, facultas conceditur: ſed major, & amplior, aut reſtrictior, prout æquitas poſtulat. Hinc, cum proponeretur mater tutrix, quæ contra pupillum jura jactabat, cenſuit Senatus, curatorem potius ei adjungendum eſſe, qui adeſſet inventario, & invigilaret adminiſtrationi matris, tum & pupillum in judicio tueretur, non tamen ipſe ſe adminiſtrationi immiſceret (✠3).

(1) §. *Interdum* 5. *inſtit. de curatorib.* (1. 23.)

(2) *Novel.* 72. *cap. Sed &, ſi quis* 2.

(✠3) *D. ſentent. Senat.* 4. *decembris* 1734. *refer. D. Nominis in cauſſa Santena.*

TITULUS XVI.

De curatoribus furioſo, prodigo, & aliis extra minores dandis.

DEFINITIO I.

Curatores furioſis, & ſimilibus dantur a judice ordinario, vel domicilii.

Curatores furioſis, prodigis, & ſimilibus dantur ab iiſdem judicibus, a quibus dantur curatores minorum ( ), nimirum a judice originis, vel domicilii (2); ſi tamen fingatur, prodigus, qui in diverſis ditionibus bona poſſideat, ex communi ſententia curator ab eo magiſtratu dandus eſt, ubi majorem partem bonorum poſſidet (✠3).

(1) §. *Furioſos quoque* 3. *inſtit. de curatorib.* (1. 23.)

(2) *V. ſupra Titul. XII. de tutel. Defin. XXI.*

(✠3) *Fab. cod. de juriſdict. lib.* 3 *tit.* 12. *defin.* 41. *niſi ex comitate inter finitimas nationes aliud obſervetur. V. & ſentent. Senat.* 23. *maii* 1744. *in cauſſa Gorani Mediolanenſis.*

DEFINITIO II.

Cura bonorum muti, ſurdi, & ſimilium defertur proximioribus conſanguineis.

Cura bonorum muti, ſurdi, aliove perpetuo morbo laborantis, quo fiat, ne rebus ſuis supereſſe poſſint, ex fori æquitate dari ſolet conſanguineis proximioribus, ut ibi ſit incommodum curationis, ubi eſt commodum ſucceſſionis (1); licet enim hiſce morbis laborantes aliquando teſtamentum condere poſſint, facile tamen contingit, ut præ morbo a teſtamento condendo abſtineant. Hinc, cum inter duos fratres de cura alterius fratris fatui diſceptaretur;

Digitized by Google

taretur; ſenatus curam uni in ſolidum adiudicavit, quia hic videbatur ex paterno teſtamento exemplariter fatuo ſubſtitutus. Nec obſtare viſum eſt, quod, fatuo reſipiſcente, evaneſcere poteſt ſubſtitutio; quia reſipiſcentiæ vix ulla erat ſpes (✠2): atque alias ſenatus cenſuit, cogendum fratrem ad ſuſcipiendam curam ſororis morbo caduco laborantis, quamvis conſanguineus eſſet, non germanus (✠3); quia etiam conſanguineus frater agnatus eſt (4).

(1) *Argum. §. Furioſis 3. inſtit. de curatorib.* (1. 23.), *L. Ne lucrum 5. cod. hoc tit.* (5. 70.)

(✠2) *Deciſ. 13. februarii 1769. refer. D. Damilano in cauſſa utrinque Roſano.*

(✠3) *Deciſ. 16. decembris 1645. refer. D. Piſcina in cauſſa utrinque Piſtivini.*

(4) *§. 1. inſtit. de legitim. agnator. ſucceſſion.* (3. 2.)

DEFINITIO III.

Quid de jure patronatus, quod patri prodigo, & interdicto competat?

Cum prodigus poſt interdictionem nihil amplius agere queat, ita ut nullus omnino ſit contractus ſine curatore ab eo geſtus, (1) nec obligetur ejus fidejuſſor (2), nec contractus firmetur jurejurando (✠3), ſi filius patris prodigi curam a Principe obtinuerit, quæcumque jura patri competentia in filium, velut legitimum adminiſtratorem, translata cenſentur. Hinc, cum de jure patronatus patri competente quæſtio eſſet, placuit Senatui, clerici præſentationem ad filium ſpectare, patre excluſo; qui ob morum nequitiam merito timebatur minus convenienter electurus (✠4). Sed ſi prodigi patris curator extraneus eſſet, ad filium potius, vel agnatos hujuſmodi jus devolveretur, qui, patre excluſo, ad illud vocantur, quippe quorum maxime intereſt, ut juſta electio fiat; licet enim jus patronatus tamquam res ſpiritualis conſideretur, tranſit tamen, veluti quædam acceſſio, cum univerſitate bonorum (5).

(1) *L. Si curatorem 3. cod. de in integr. reſtitut.* (2. 22.)

(2) *L. Is, cui bonis 6. ff. de verb. oblig.* (45. 1.)

(✠3) *Deciſ. 14. februarii 1731. refer. D. Blavet in cauſſa Leuroni contra Annabert, & Turrionum, §. Aliter tamen Senatui.*

(✠4) *Sentent. Senat. 9. ſeptembr. 1734. refer. D. Bianchis in cauſſa utrinque Bagnaſci.*

(5) *Cap. Ex literis 7. extra de jure patronat.* (3. 38.), *L. Quædam 62. ff. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.), *Fab. cod. famil. erciſc. lib. 3. tit. 25. def. 10.*

DEFINITIO IV.

An valeant contractus geſti cum prodigo notorio, antequam publica auctoritate bonis ei interdictum ſit?

An contractus geſti cum prodigo notorio, cui tamen bonis nondum interdictum ſit, valeant, an viribus deſtituantur, quæſtio eſt non parum intricata; in qua ideo ſcinduntur interpretes, & pragmatici. Quidam valere putant, atque Ulpiano fidunt, ajenti, furioſum utique ipſo jure eſſe ſub cura agnatorum, prodigum vero tunc, cum bonis eis interdictum eſt (1); quod & alibi innuit, cum docet, non poſſe obligari prodigum, cui bonis interdictum eſt (2): ex quo a contrario ſenſu inferunt, recte obligari prodigum nondum judicis ſententia interdictum. Qui vero contractus geſtos a prodigo notorie tali, vel cujus vitium ei, cum quo contraxit, perſpectum eſt, Ulpiano quoque fidunt aſſerenti, lege XII tabularum (adeoque ipſo jure) prodigo interdici bonorum adminiſtrationem (3). Poſterior ſententia magis placuit Sabaudo Senatui, robore ſcilicet cavere contractus cum eo initos, qui notorie prodigus ſit quamvis nulla interdictio, ne dum cauſſæ co-

cognitio præceſſerit (4); tum quia nec ulla cauſſæ cognitione, nec probatione indigent, quæ notorie vera ſunt (5); tum quia ſibi imputare debet, qui ſponte contraxit cum perdituro, nec excuſare ſe poteſt, quod alterius prodigalitatem non cognoverit; quiſque enim ſcire præſumitur conditionem ejus, cum quo contraxit (6); maxime ſi alterius contrahentis conditio omnibus in civitate nota ſit (7). Eandem ſententiam, quoties occaſio ſe obtulit, amplexus eſt ſenatus pedemontanus, imo & eam extendit ad caſum, quo, etiamſi notoria non ſit prodigi effuſio, cognita tamen fuerit alteri contrahenti (✠8); ita ùt decretum interdictionis etiam in hac ſpecie retrotrahatur, & vim habeat, ſaltem officio judicis, ſi non legis poteſtate, infirmandi contractus; quia & in hoc dolus contrahentis redarguitur, ex quo puniri meretur.

(1) *Ulpian. in fragment. tit.* 12. §. 1.

(2) *L. Is, cui bonis 6. ff. de verbor. obligat.* (45. 1.)

(3) *L. 1. ff. hoc tit.* (27. 10)

(4) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 40. *defin.* 7. *num.* 2., & 3. *in corp.*

(5) *Argum. L. Cum ſex menſes* 55. *ff. de ædilit. edict.* (21. 1)

(6) *L. Qui cum alio* 19. *ff. de reg. jur.*

(7) *L. Regulæ* 9. §. *Sed facti* 2. *ff. de jur.*, & *facti ignorantia* (22. 6.), *L. Sed ſi pupillus* 11. §. *Proſcribere* 3. *ff. de inſtit. act.* (14. 3.)

(✠8) *Sentent. Senat.* 29. *martii* 1753. *refer. D. Mazzetti in cauſſa Bonard.*, *Sentent. Senat.* 7. *maii refer. D. Vialio in cauſſa Molineri*, & *poſtremo in Deciſ.* 28. *martii* 1763. *refer. D. Sclarandi in cauſſa prodigi Simondetti contra Bergard*: §. *Quod quidem inconcuſſum in fine deciſ.*, *Deciſ.* 30. *ſeptembris* 1773. *refer. D. Cavalli in cauſſa Bugnis contra Riccæ, Galleani, & alios per tot.*

DEFINITIO V.

Quid ſi contrahens cum prodigo bonæ fidei ſit, & vir frugi? Quid de prodigi confeſſione?

Neque emtori ſuffragari cenſuit Senatus, quod is, qui cum prodigo notorio contraxit, atque ab eo emit, vir frugi, & honeſtate morum præditus probaretur, nec hiſce contractibus cum perdituris, aut iniquo pretio aſſuetus; aut quod prodigus, dum adhuc penderet judicium diſcuſſionis ſuper illius bonis, jurato declaraverit, eo tempore, quo vendidit, adhuc ipſi ſuperfuiſſe bona, ex quibus omnibus creditoribus ſatisfieri poſſet; nam, præterquamquod ignorantia nunquam præſumitur eorum, quæ omnes ſciunt, vel ſcire poſſunt (Defin. præced.): prodigitatis in emtore ſcientia ſatis probari Senatui viſa eſt ex pacto in inſtrumento emtionis adjecto, quo ſibi conſuluit emtor, ut bonorum pretium ad dimittendos creditores brevi manu verteretur, eoſque præcipue qui hypothecam haberent; quod pactum ſtatim fregit, dum prodigo venditori eo ipſo ingentem pecuniæ quantitatem ſolvit, & non longe a die celebrati contractus aliam egregiam iterum quantitatem tradidit (✠1). Quod vero pertinet ad confeſſionem a prodigo emiſſam, qua proteſtatus fuerat, ſibi tempore contractus reliqua fuiſſe bona, quibus credita exſolveret, reſponſum fuit, eadem facilitate, qua prodigus exitioſos ſibi contractus celebraverat, etiam approbaſſe, & ratos habuiſſe, ac proinde, ſuſpecto ipſo contractu, eadem laborare ſuſpicione de illius ſinceritate confeſſionem ſubſecutam: adeoque nullam mereri fidem (✠2).

(✠1) *Deciſ.* 28. *martii* 1763. *refer D. Sclarandi in cauſſa Simondetti contra Conſtantinum* §. *Venditorem*, & *ſeqq.*

(✠2) *D. Deciſ. Sclarandi in cauſſa Simondetti contra Conſtantinum* §. *Alterum effugium in fine.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

Excuſare non poteſt ignorantia poſt interdictionem.

Cum non proſit allegatio ignorantiæ, quoties de prodigo notorio agitur (Def. IV), multo minus excuſare poteſt ignorantia, ſi interdictio ſecuta fuerit decreto judicis, & more ſolito publicata; publico enim programmate, & voce præconis jubente judice prohiberi ſolet, ne cum eo, qui prodigus ſit, contrahatur (1): publicatio autem hæc fieri debet in loco domicilii, & aliquando etiam indicta pœna contra eos, qui cum prodigo contraxerint (✠2). Hinc, cum proponeretur minor, & prodigus interdictus a Senatu cum publicatione interdicti in loco domicilii, & prohibitione contrahendi cum ipſo ſub pœna centum aureorum, & nullitatis contractus, Senatus nullum dixit contractum, & mutuum, quin excuſare potuerit allegata ignorantia, aut obtenta ab interdicto licentia poſt legitimam ætatem judicio ſiſtendi; quia hinc erui nequit conceſſa facultas alienandi (3); ſed omnino requiratur ejuſdem magiſtratus ſententia declarans prodigum ſanos mores recepiſſe (✠4).

(1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 40. def. 7.*

(✠2) *Deciſ. 14. februarii 1731. refer. D. Blavet in cauſſa Leuroni contra Anabert, & Turrionum in princip.*

(3) *Argum. L. Eos, qui 3. cod. de his, qui veniam ætatis (2. 45), L. Si actor 10. cod. de appellat. (7. 62).*

(✠4) *D. Deciſ. in cauſſa Leuroni contra Anabert, & Turrionum refer. D. Blavet num. 15.*

DEFINITIO VII.

Quid ſi prodigus in diverſis ditionibus bona habeat?

Jus interdicendi bonis, cum de prodigo agitur, ſpectat ad judicem loci, in quo major bonorum pars ſita eſt (✠1).

(✠1) *Fab. cod. de juriſdiction. omn. judic. lib. 3. tit. 12. defin. 41, Sentent. Senat.* 10. *april.* 1741 *in cauſſa Comit. Gorani mediolanenſis, cui a Senatu mediolanenſi bonis interdictum fuerat; & quærebatur, an mos gerendus eſſet literis Senatus mediolanenſis, quibus petebatur, ut ſententia ibidem lata executioni mandaretur pro bonis in hac ditione ſitis: atque Senatus noſter, cum jam tractatus tranſactionis præceſſiſſent, iiſdem ſtandum arbitratus eſt; firmata tamen regula de majore bonorum parte.*

DEFINITIO VIII.

Sententia pro furioſo indefenſo lata non valet.

Cum furioſus animi judicio penitus deſtitutus ſit, nihil agere poteſt, ne quidem ſui favore (1). Hinc definitum, non valere ſententiam latam favore furioſi, qui in judicio a curatore defenſus non fuerat (✠2), nec immerito, licet enim pro furioſo lata ſententia fuerit, attamen, ſi a curatore defenſus fuiſſet, forſitan utiliorem obtinuiſſet ſententiam.

(1) *L. In negotiis 5. ff. de reg. jur.*

(✠2) *L. Furioſo 9. ff. de re judicat.* (42. 1.), *Deciſ. 29. april. 1672. refer. D. Viliono in cauſſa Gaudini contra Comit. Porronos a ſancto Martino per tot.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO IX.

Prodigus, licet ad ſanos mores redierit, ipſo jure non recuperat bonorum liberam adminiſtrationem.

Prodigi, quibus bonis interdictum fuit, a curatoris imperio non eximuntur, nec libere contrahere poſſunt, licet ad ſanos mores redierint; ſed impetrare debent judicis decretum, quo ipſis tamquam res ſuas bene gerentibus adminiſtratio bonorum reſtituatur (✠1), tum quia unumquodque eo modo ſolvi debet, quo colligatum fuit (2), tum quia incertum eſt temporis momentum, quo quis a vitio prodigalitatis revertatur, atque contingere poteſt, ut morum integritatem ſimulet, quo a moleſto curatoris imperio ſe ſubducat. Judicis autem ſententia, ſi proprie loquamur, prodigus a curatorum poteſtate non dimittitur, ſed judex declarat, ceſſaſſe vitium, quo ceſſante, prodigus liberam recipit bonorum adminiſtrationem (✠3).

(✠1) *D. Deciſ. 14. februarii refer. D. Blavet in cauſſa Leuroni contra Anabert, & Turrionum num. 15, Sent. Senat. 2. ſeptembris 1771. refer. D. Cavalli in cauſſa Abeli contra Terzi.*

(2) *L. Nihil tam naturale 35. ff. de reg. jur.*

(✠3) *D. Deciſ. reſ. D. Blavet num. 18.*

TITULUS XVII.

De curatore bonorum debitoris, & abſentis bonis dando.

DEFINITIO I.

An ſalarium debeatur tutoribus, vel curatoribus?

Curatori bonorum debitoris ſalarium dari æquum eſt, habita ratione perſonæ, & qualitatis laboris (✠1) exemplo curatoris dati bonis abſentis, vel jacentis hereditatis, cui dandum jubet regia lex (2), cura hæc nec publicum munus eſt, nec ex amicitia ſuſcipitur. Sed iis, qui ex legis præſcripto rerum alienarum curam gerunt, quales ſunt tutores, & curatores, ſalarium non debetur; niſi ſermo ſit de iis perſonis, quæ ſolitæ ſunt locare operas ſuas, aut niſi contraria invaluerit conſuetudo (✠3), ſicuti nec datur illis, qui ex amicitia aliena negotia gerunt, mandatariis nimirum, & negotiorum geſtoribus (4).

(✠1) *Deciſ. 23. januarii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Marchioniſſæ de Caretto contra Meliſſanum in fin.*

(2) *Reg. conſtitut lib. 3. tit. 4. §. 13.*

(✠3) *Deciſ. 13. Novembris 1648. refer. D. Filippa in cauſſa Rectorum SS. Trinitatis Taurini contra Pauperes S. Georgii.*

(4) *L. 1. §. ult., L. Salarium 3. ff. mandati (17. 1).*

DEFINITIO II.

An hypotheca competat debitori, vel creditoribus in bonis curatoribus?

Si Romanum jus inſpiciamus, deneganda profecto eſt hypotheca debitori, nec non creditoribus in bonis curatoris debitoris bonis dati, tum quia nulla afferri poteſt lex, quæ de hoc nominatim caveat,

quæ

Digitized by Google

quæ tamen omnino neceſſaria eſſet, & quidem apertiſſime, cum hic agatur de onerando tum curatore, tum & iis, qui forte ab eodem bona comparaverunt (1): tum quia Ulpianus, de vetere creditorum privilegio agens, in cujus locum ſucceſſit hypotheca, negat, illud competere adverſus curatores bonorum (2). Nec deeſt ratio, cur hypotheca denegetur adverſus hujuſmodi curatores, quæ tamen conceditur contra eos, quibus minorum, prodigorum, & ſimilium cura credita eſt (3); hi enim ob ætatis defectum, vel animi, aut corporis vitium in ea cauſſa ſunt, ut ſibi proſpicere nequeant, nec bona ſua tueri, aut in adminiſtrationem curatoris inquirere. Quare conveniens fuit, ut leges ipſorum indemnitati conſulerent per privilegium, vel tacitam hypothecam: ſed creditores, quorum præcipue negotia gerit curator, & pacto expreſſo ſibi conſulere poſſunt, & propriæ indemnitati conſulere. Neque aliud placuit Paulo aſſerenti, non tantum furioſo, & prodigo, ſed & ceteris privilegium competere in bonis curatoris, quamvis in edicto prætoris ſpecialis eorum mentio non fiat (4); de iis enim intelligendus eſt Juriſconſultus, qui prodigis, & furioſis aſſimilantur in bonorum adminiſtratione, quales ſunt amentes, muti, ſurdi, aliique perpetuo gravi morbo laborantes, quo rebus ſuis ſupereſſe nequeant; hos quippe ſententia, & ratio prætorii edicti complectitur, quamvis deſint verba: non autem de curatoribus, de quibus diſputamus, quorum longe diverſa conditio eſt. Uſu tamen fori, quicumque rationes reddere tenetur adminiſtrationis, habet bona obligata pro ipſa ratione reddenda, & reſtitutione reliquorum (5): maxime ſi adminiſtrator in dolo ſit, ſed hypotheca hæc jure prælationis non gaudet (✠6). Atque hinc cenſuit Senatus, hypothecam competere abſenti in bonis agnatorum, qui res abſentis vendiderant, præter earumdem rerum vindicationem contra tertios poſſeſſores (✠7).

(1) *Argum. L. Arrianus ait* 47. *ff. de obligat., & action.* (44. 7).

(2) *L. Idem privilegium* 22. §. 1. *ff. de reb. auctor. judic. poſſid.* (42. 5).

(3) *L. Dabimuſque* 19. §. 1., *L.* 20, 21, & 22 *ff. de reb. auct. jud. poſſid. L. Et mulieri* 15. *ff. de curat. furioſ.* (27. 10).

(4) *D. L.* 15. §. 1. *ff. de curat. fur.*

(5) *Theſaur. lib.* 2. *quæſt.* 84. *num.* 7, *& ult.*

(✠6) *Deciſ.* 20. *decembris* 1680 *refer. D. Torrini in cauſſa concur. fratrum Laugier contra prætendentes.*

(✠7) *Deciſ.* 24. *martii.* 1731. *refer. D. Nomis in cauſſa Julianæ de Groſſis contra particulares Montis Barcarii.*

DEFINITIO III.

Curator abſenti datur, cum dubium eſt, utrum adhuc vivat.

Curator abſenti dandus eſt, quoties conſtat eum adhuc vivere, vel certa non eſt illius mors; in dubio conſultius eſt bonorum curatorem admittere, quam ejus bona legitimis heredibus concedere (✠1); quia nulla legitimis heredibus infertur injuria, ſi bonorum poſſeſſio ipſis differatur, dum adhuc incertum eſt, utrum ad ea jus habeant: contra grave damnum abſenti imminere poſſet, ſi nimis feſtinanter, diſſipaturis forte conſanguineis, adjudicarentur bona (2).

(✠1) *Deciſ.* 26. *Martii* 1749. *ref. D. Boggio in cauſſa Amatis, & Mino* §. *Eſſo autem in conjecturis num.* 25., *Deciſ.* 17. *novembris* 1751 *ref. D. Buzano in cauſſa De Surdis contra de Chironis, & de Galletis* §. *Altera petitio.*

(2) *Argum. L. Semper in dubiis* 56. *ff. reg. jur.*

BE-

Digitized by Google

DEFINITIO IV.

An mors abſentis per ſolam famam probetur?

Abſentis mors favore poſſidentis per ſolam famam probatur (✠1); hic quippe melioris conditionis habetur, atque in dubio pro eo pronunciatur (2). Sed, cum mors abſentis ſit fundamentum intentionis conſanguineorum, qui bona illius ſibi adjudicari poſtulant, plene ipſis probanda eſt (✠3).

(✠1) *Deciſ.* 10. *Septembris* 1780 *refer. D. Raſini in cauſſa Vernoni contra Vibertum.*

(2) *L. In eo* 33, *L. Nemo* 126. *§. ult., L. In pari cauſſa* 128. *ff. de R. Jur.*

(✠3) *L.* 1, *& paſſim ff. de probat.* (22. 3), *Fab. cod. eod. tit. lib.* 4. *tit* 14. *def.* 2, *D. Deciſ. (defin. præced.) ref. D. Boggio, & d. num.* 25.

DEFINITIO V.

Cura bonorum abſentis defertur proximis in ſucceſſione conſanguineis.

Curam bonorum abſentis deferendam eſſe proximis in ſucceſſione conſanguineis communis ſententia eſt (✠1); quia eorum magis intereſt bona conſervari, qui defuncto abſente ea acquiſituri ſunt, præſtita tamen ſatiſdatione de reſtituendis bonis, eorumque fructibus, ſi abſens revertatur, & de fideliter adminiſtrando (✠2) admittitur tamen juratoria cautio, ſi conſanguinei jurato profiteantur, ſe fidejuſſores non inveniſſe (✠3), prout in aliis quoque caſibus ſervatur (4).

(✠1) *Fab. cod. de curator. furioſ. lib.* 5. *tit.* 40. *defin.* 1, *&* 10, *Deciſ.* 20. *febr.* 1732. *refer. D. Bianchis in cauſſa de Cornaliis, & Bonioli contra Tempia §. Sic firmato, Deciſ.* 17. *decembris* 1686 *refer. D. Rolando in cauſſa concur. Merlo in fine, Deciſ.* 12. *maii* 1732. *refer. D. Cavalli in cauſſa Advocati Galli contra Neptem §. Præterea univerſa bona, Sent. Senat* 17. *februarii* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa utrinq. Pancalbi, ubi de cura abſentis contendentibus fratribus conſanguineo, & utrinque conjuncto, Senatus utrique curam mandavit, quia ex teſtamentis aſcendentium uterque ad ſucceſſionem abſentis æque vocabatur.*

(✠2) *D. Deciſ.* 17. *decembris* 1686. *D. Rolando, Deciſ.* 7. *februarii* 1730 *in cauſſa Leurotti contra fratres Carazzi ref. D. Guillier.*

(✠3) *Deciſ.* 12. *maii* 1769. *refer. D. Paoletti in cauſſa ſororum Galliardi contra Guaſſonam, & Barberis §. Curam bonorum abſentis poſt. num.* 15.

(4) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 251, *& ſeq.*

DEFINITIO VI.

Cura bonorum abſentis datur etiam feminæ, & infanti.

Cura bonorum abſentis demandari poteſt etiam feminæ, modo proximior ſit, & habilis; atque infanti (✠1), tum propter ſpem ſucceſſionis, tum quia cura hæc potius cuſtodia, quam adminiſtratio eſt, & quaſi ſucceſſionis præoccupatio (2). Hinc, cum proponeretur abſens a longo tempore, qui prius tutorem acceperat, juſſit Senatus hunc rationes reddere adminiſtrationis ſororibus abſentis, eiſque curam dimittere (✠3). Si autem hujuſmodi cura infanti demandetur per eaſdem perſonas abſentis bona adminiſtrabuntur, per quæ geruntur negotia ipſius pupilli (4); nihil vetat, quominus ei, qui bonis curator datus eſt, alius tutor, vel curator detur: quemadmodum & olim obtinebat, cum legitima unius pupilli tutela alteri pupillo, tamquam proximo agnato, deferebatur, quod jus abrogavit Juſtinianus (5).

(✠1) *Deciſ.* 26. *martii* 1749 *refer. D. Boggio in cauſſa Thereſiæ Mino Amatis contra Matrem §. Verumtamen num.* 13, *D. Deciſ. refer. D. Guillier in cauſſa Leuconi, Sent. Senat.* 7. *mart.* 1746. *ref. D. Boggio in cauſſa utrinq. Robetta, ubi*

cura

tura abſentis ſororibus conceſſa fuit, injuncta ex more ſatiſdatione.

(2) *Fab. d. defin.* 1. *lib.* 5. *tit.* 40 *de curator. furioſ.*

(✠3) *Deciſ.* 8. *martii* 1663. *refer. D. Demarzettis in Cauſſa Creſti contra Creſtam*

(4) *Fab. ibid. num.* 4, *& ſeqq. in corp.*

(5) *L. ult. cod. de legit. tut.* (5. 30).

DEFINITIO VII.

Cum de abſentis vita dubitatur, cura bonorum datur illi, qui potiore jure inſtructus eſt, vel bona poſſidet.

Si de abſentis vita adhuc dubitetur, & plures diverſo jure hereditatem abſentis ſibi vindicent, cura bonorum illi danda eſt, cujus jus potius eſſe conſtat (✠1); in dubio ſequimur, quod veroſimilius eſt: potiſſimum ſi alter ex contendentibus jam in poſſeſſione bonorum conſtitutus proponatur; quia in pari cauſſa melior eſſe debet poſſidentis conditio (2), & facilius datur retentio, quam immiſſio (3). Hinc, cum invicem contenderent patruus abſentis nepotis a novemdecim annis, veluti proximior, & extraneus, tamquam heres ſororis ejuſdem abſentis, quem ante ſororem defunctum allegabat, & per teſtes probaverat; quem tamen adhuc in vivis ſupereſſe patruus affirmabat. Senatus cenſuit, extraneum ſororis heredem in bonorum poſſeſſione manutenendum, cum jam curator conſtitutus eſſet, patruo tantum viam relinquens probandi vivum adhuc eſſe nepotem (✠4).

(✠1) *Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1680 *refer. D. Raſini in cauſſa Vernoni contra Vibertum.*

(2) *L. In pari cauſſa* 128. *ff. de Reg. Jur.*

(3) *L. Cum de indebito* 25. *ff. de probationib.* (22. 3), *Junct. L. Cujus per errorem* 53. *ff. de reg. jur.*

(✠4) *D. Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1680. *refer. D. Raſini.*

DEFINITIO VIII.

Quæ facere poſſit curator bonorum abſentis datus?

Cum abſentis curator ſolam fere bonorum cuſtodiam habere videatur (1), regulæ generalis inſtar ſtatui poteſt, curatorem abſentis bonis datum ea tantum facere poſſe, quibus melior fiat abſentis conditio, non vero deterior, adeoque vendere tantum res, quæ deteriores fiunt, non ceteras (✠2), locare etiam prædia, ſi ita expediat, exemplo curatoris bonorum debitoris, & ſimilia; quia, non ſicut curator jacentis hereditatis perſonam defuncti repræſentat, ita & curator abſentis, qui potius procurator videtur (3), ut ex eo patet, quod nullus ſit locus curatori, ſi abſens procuratorem in provincia reliquerit (4); atque hinc colligit Faber, curatorem abſentis non poſſe petere reſtitutionem in integrum, nec abſentis nomine tranſigere (5).

(1) *L. Inter bonorum* 48. *ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(✠2) *Deciſ.* 18. *febuarii* 1764. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Regio contra Luiſetti §. Quæſtionem hanc, Deciſ.* 26. *martii* 1749. *refer. D. Boggio in cauſſa Amatis, & Mino §. Neve vero num.* 21. *Hinc Senatus condemnavit poſſeſſores bonorum, qui poſt quinquennalem abſentiam ea emerant ab agnatis, etiam ad reſtituendos fructus, quia in mala fide præſumebatur, eum non poſſet ob abſentiam tam modici temporis abſens fato functa reputari, Deciſ.* 24. 1732. *refer. D. Nomis in cauſſa Julianæ de Groſſis contra particulares Montisbarcarii, V. & Conſuſ. D. Advocati Gen.* 21. *april.* 1755. *ſubſcr. Cavalli in cauſſa Panealii contra Caſtagna, ubi traditur, abſentis curatorem non poſſe vendere ejus bona, niſi ex neceſſaria cauſſa: quod ſi neceſſitas urgeat, duorum conſanguineorum interventum, & conſenſum requiri, tum & judicis decretum, nec valere diviſionem a fratribus præſentibus factam,*

Digitized by Google

ctam, niſi a curatore judicis auctoritate conſtituto probata fuerit.

(3) *D. L.* 48. *ff. de adminiſtrat.*, *&* *peric. tutor.*, *Fab. cod. de curat. furioſ. lib.* 5. *tit.* 40. *defin.* 11.

(4) *L. Is, qui reipublicæ* 39. *ff. ex quib. cauſſ. major.* (4. 6), *Fab. d. tit. de curator. furioſ. defin.* 9.

(5) *Fab. d. defin.* 11. *num.* 8. *in corp.*

DEFINITIO IX.

An curator abſentis hereditatem abſenti delatam adire poſſit.

In quæſtione, an curator abſentis nomine poſſit adire hereditatem, ſive teſtamentariam, ſive legitimam, placuit Senatui diſtinctio inter hereditatem, quæ locuples appareat, atque eam, quæ ære alieno gravata non injuria timeatur: ita ut illam abſentis curator adire poſſit; quia hinc melior fit abſentis conditio, non alteram contraria ratione (✠1); niſi enim curatori hæc concedatur facultas, graviſſimum immineret damnum abſenti, quod avertendum æquitas ipſa demonſtrat (✠2). Hinc jure definitum fuit, curatorem abſentis poſſe ejuſdem nomine agnoſcere fideicommiſ ſum, & conſequenter in curatorem transferri actiones omnes, quæ fideicommiſſario præſenti competerent (✠3). Immo plures ſunt, qui putant, ſi hereditas delata ſit abſenti, qui per diverſas regiones vagetur, nec ſciri poſſit, ubi reperiatur, poſſe conſanguineos, imo & amicos pro eo comparere, quamvis nullum habeant mandatum, & petere ejus nomine bonorum poſſeſſionem: ex quo, effectu inſpecto, abſens tamquam verus heres habebitur, quamvis ſubtilitate nominis heres a bonorum poſſeſſore differat (4).

(✠1) *D. Dec.* (*def. præc.*) *ref. D. Boggio, & d. §., Fab. cod. de jur. delib. lib.* 6. *tit.* 11. *defin.* 39. *num.* 23. *in corp.*

(✠2) *D. Dec.* (*def. præc.*) *ref. D. Sclarandi §. Ceterum ſi in propoſita.*

(✠3) *D. Decif. refer. D. Boggio, & d. §., Cum eadem fideicommiſſi, ac hereditatis ratio ſit, princ. inſtit. de fideicommiſſar. hereditat.* (2. 23.)

(4) *L.* 1., *&* 2. *ff. de poſſeſſ. heredit. petitione* (5. 5.), *Abecclef. obſerv.* 155. *num.* 15., *&* 16.

DEFINITIO X.

Curator abſentis poteſt jurare de calumnia, reſpondere poſitionibus, fateri aditionem hereditatis.

Curator abſentis poteſt exercere in concurſu creditorum quaſcumque actiones (✠1), jurare de calumnia (2): reſpondere poſitionibus (3), (ſaltem ſi habeat ſpeciale mandatum, cum liti tantum, non omnibus bonis datus eſt), atque etiam interrogatorio, an abſens heres ſit, nec ne (4), & conſequenter fateri aditionem hereditatis, ſi curator abſentis dixerit: credo meum principalem eſſe heredem defuncti (5): qui enim reſpondet ſe credere, affirmare videtur, quemadmodum negare exiſtimatur, qui ſe non credere affirmat (6).

(✠1) *Reg. Conſtit. lib.* 3. *tit.* 4. §. 14., *&* 18., *Decif.* 17. *decembris* 1686. *refer. D. Rolando in cauſſa concurſ. Merlo in fine.*

(2) *Abecclef. obſerv. forenſ. part.* 1. *obſerv.* 61. *num.* 29., *auth. Principales §. Sed ſi quis* 2., *L. Cum & judices* 2. *§. Sin autem* 3. *cod. de jurejur.* (2. 59.)

(3) *Sola de legitimat. perſon. Gloſ.* 8. *num.* 3. *pag.* 358., *Theſaur. decif.* 17. *in fin.*, *L. Jusjurandum* 17. *§. ult. ff. de jurejurand.* (12. 1.)

(4) *Abecclef. obſerv.* 155. *num.* 10.

(5) *Abecclef. d. obſ.* 155. *num.* 13. ✠

(6) *Reg. Conſtit. lib.* 3. *tit.* 15. §. 9.

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Curator abſentis bonis datus ſatiſdare debet, ſe diligenter, & fideliter adminiſtraturum.

Abſentis curator jurejurando ſpondere debet, ſe fideliter, diligenter, & cum abſentium utilitate geſturum (1); non tamen cautionem datis fidejuſſoribus præſtare, ſi jus Romanum inſpiciamus, a quo nullibi præſcribitur, ſed in foro paſſim receptum eſt, ut non tantum extraneus, qui curator abſentis bonis detur, ſed & agnati ſatiſdare debeant (✠2): ita ut nec aliter conſanguinei admittantur (Definit. V.) (3): eo videlicet fundamento, quod ſatiſdare debeat, quicumque habet adminiſtrationem, atque jure regio cautum, ut tum ſatiſdare, tum & cetera præſtare teneantur hujuſmodi curatores, quæ ab aliis exiguntur, ſi tamen non liti tantum, ſed & bonis dati ſint (4). Juratoriam tamen cautionem aliquando admitti ſuperius diximus (d. Defin. V.)

(1) *Decret. penes Solam de legitimation. perſonar. verſiculo* Occorrendo che *pag.* 353.

(✠2) *Fab. cod. de curat. furioſ. lib.* 5. *tit.* 40. *defin.* 6., *&* 10., *Deciſ.* 17. *decembr.* 1686. *ref. D. Rolando in cauſſa concurſ. Merlo in fine.*

(3) *V.* §. 206., *& ſeqq. in corp.*, *& in allegat. tom. II. Juriſprud.*

(4) *Reg. Conſtit. d. lib.* 3. *tit.* 4. §. 13.

DEFINITIO XII.

Quo tempore abſens in dubio mortuus judicetur?

Abſentis morte finitur ejus cura, dummodo ejus mors certa ſit. Si autem de ejus morte dubitetur ob longam abſentiam, diſſentiunt interpretes, quod ſpatium temporis præterlabi debeat, antequam abſens fato functus exiſtimetur. Sunt, qui putant, curationem abſentis finiri anno trigeſimo ſexto non ab abſentia, ſed a nativitate: alii abſentem pro mortuo habent poſt annum ſeptuageſimum, argumento ducto a computatione, quæ fit uſusfructus legati ad detrahendam falcidiam (1). Sed vulgo placet, annum centeſimum expectandum eſſe, quaſi hic finis ſit longævi hominis vitæ, ut ex eo colligi ſolet, quod uſusfructus collegio, vel univerſitati relictus ad centum annos duret (2). Prima opinio a veroſimili aliena eſt; cum experientia conſtet, frequentiſſime contingere, ut hominis vita ultra trigeſimum ſextum annum extendatur. Veroſimilior quidem ea eſt, quæ ætatem ſeptuaginta annorum communem eſſe vitæ hominis metam conſtituit, ſaltem quatenus paucillimi ſunt, qui ultra progrediuntur. Sed, præterquamquod male deducitur ex Ulpiano (3), qui diverſas iniens computationes, pro diverſitate ætatis legatarii, cui relicta ſunt alimenta, ad annos tantum ſexaginta quinque vitam hominis producit, dum ab annis ſexaginta dumtaxat quinque annorum rationem haberi vult; exiguus eſt eorum numerus, qui ad hanc perveniant ætatem. Quare præſumtio hæc ſatis firma eſt, ut certo judicio locum præbeat. Quæ autem centeſimum annum expectandum docet, a veroſimilitudine abhorret, & a regulis juris, quæ ea inſpiciunt, quæ frequenter contingunt: non quæ bis, aut ſemel accidere poſſunt (4). Cum ergo nulla poſſit certa regula hic conſtitui, quæ omnibus, & ſingulis caſibus aptetur, ſatius eſt, ſingulos caſus contingentes ex adjunctis diligenter perpenſis definire, ita ut modo poſt longius, modo poſt brevius temporis ſpatium abſens pro mortuo habeatur, pro rerum, & perſonarum adjunctis (✠5): perperam enim generalis regula fingitur, ubi nihil certum eſt, ſed ab adjunctis omnia pendent.

(1) *L. Computationi 68. ff. ad leg. falcid.* (35. 2.)

(2) *L. An uſusfructus 56. ff. de uſufructu* (7. 1), *L. Si uſusfructus municipem 8. ff. de uſuf. leg.* (33. 2.)

(3) *In d. L. Computationi 68. ff. ad legem Falcidiam.*

(4) *L. Jura 3., & L. ſeq. ff. de legib.* (1. 3.)

(✠5) *Deciſ. 3 ſeptembris 1761. refer. D. Gavutio in cauſſa Monial. Viſitat. S. Mariæ Pinerolii contra Juſtinum Nanam, ejuſque filiam §. Illam ſiquidem in fine deciſ.*

DEFINITIO XIII.

An homo præſumendus ſit vivere centum annis?

Parvi autem facta eſt a Senatu præſumptio illa, qua creditur homo vivere centum annis; etenim jura loquuntur de uſufructu municipibus legato (1), atque inter tot cives facile contingere poteſt, ut unus, aut alter ad eam ætatem perveniat. Proinde non temere jureconſulti uſusfructus finem univerſitati relictum ad illud uſque tempus protraxerunt. Sed ſi ferendum ſit de cujusque ſingularis hominis vita judicium, præſumptio potius ſumi debet ab iis, quæ communiter contingere ſolent, non quæ raro admodum eveniunt (2): ſufficere tamen aliquando poteſt præſumptio hæc, cum de retinenda jam adepta bonorum cuſtodia agitur (✠3): cum in dubio melior ſit poſſidentis conditio (4).

(1) *L. An uſusfructus 56. ff. de uſufruct.* (7. 1), *L. Si uſusfructus 8. ff. de uſufruct. legat.* (33. 2.)

(2) *D. L. Jura 3., & L. ſeq. ff. de legib.* (1. 3.)

(✠3) *Fab. cod. de curat. furioſ. lib. 5 tit. 40. def. 4., d. Deciſ. refer. D. Gavutio, & d. §. Illam ſiquidem in fin. Deciſ.*

(4) *L. In eo 33, L. Nemo 126. §. ult., L. In pari cauſſa 128. ff. de reg. jur.*

TITULUS XVIII.

De ſatiſdatione tutorum, & curatorum.

DEFINITIO I.

Si unus ex pluribus tutoribus ſatiſdationem offerat, ut ſolus gerat, huic creditur adminiſtratio, niſi aliter ſatiſdare malit.

Tutores teſtamentarii, vel a majoribus magiſtratibus ex inquiſitione dati cavere non tenentur (1): niſi tamen plures dati ſint a teſtatore, vel a magiſtratu, atque unus ex illis cautionem offerat de indemnitate pupilli: cautionem offerenti ſolida bonorum adminiſtratio creditur, niſi alter malit ſatiſdare, & ſolus gerere (2); quod ideo inductum, quia difficile eſt, ut tutela a pluribus convenienter geratur (3). Porro jus hoc ad eum caſum protendi cenſuit Senatus, quo mater, & patruus teſtamento tutores dati fuerint, ſi patruus ſatiſdationem offerat, ut ſolus gerat; ita ut non ſufficiat matri dotium ſuarum hypotheca, & juratoria cautio (✠4). Sane mater nullibi invenitur in hac re excepta.

(1) *Princip. inſtit. de ſatiſdat. tutor. vel curator.* (1. 24.), *Fab. cod. de tutorib., vel curatorib., qui ſatiſ. non deder. lib. 5. tit. 25. defin. 1.*

(2) *§. 1. inſtit. hoc tit. de ſatiſdat. &c. L. Teſtamento 17., & duab. ſeqq. ff. de tutel.* (26. 1.)

(3) *L. Si plures 3. §. Apparet 6. ff. de admin., & peric. tutor.* (26. 7.)

(✠4) *Deciſ. 22. martii 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſallum §. His tamen non obſtantibus.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO II.

Mater, quæ juret, ſe non invenire poſſe fidejuſſores, admittitur ex ſola juratoria cautione ad tutelam filiorum.

Mater (idem de avia), quæ tutelam filiorum ſuorum ſuſcipere velit, cum teſtamento vocata non eſt, prout poteſt (1), ſi juret, ſe non inveniſſe fidejuſſores, adhibita licet omni diligentia, admittitur ad tutelam filiorum ex ſola cautione juratoria, & hypotheca dotium ſuarum (✠2), matri favet affectionis præſumptio erga filios, quæ ſuadet, ut a generali regula recedatur: atque ideo admittitur in ſubſidium juratoria matris cautio in uſufructu (3). Neque intereſſe viſum eſt, utrum mater teſtamento fuerit deſignata, an a judice electa (4): quia in utroque caſu militant allatæ rationes: neque utrum mater dives ſit, & ſolvendo, an vero egena, & pupillus ingens habeat patrimonium; quia hæc præſumptionem, quæ matri favet, nullatenus evertunt (5). Immo placuit, fidejuſſionem remitti poſſe matri locupleti (6), quamvis alias regula ſit a jure probata, cautionem, quæ a lege decernitur etiam ab eo præſtandam eſſe, qui notorie ſolvendo eſt; quia in matre præter divitias concurrit naturalis affectionis præſumptio, dummodo tamen mater ſanis moribus, & frugi ſit (7).

(1) *Auth. Matri, & aviæ cod. quand. mulier offic. tutel.* (5. 35.)

(✠2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 21. *num.* 4., *&* 5. ✠, *Oſaſc. deciſ.* 153, *Sentent. Senat.* 30. *julii* 1740. *refer. D. Blavet in cauſſa Bigamonti Strada, Sentent. Senat.* 3. *ſeptemb.* 1754. *refer. D. Balegno in cauſſa Prati, Malabaila, & Foſſati.*

(3) *Theſaur. ibid. num.* 5. ✠, *Oſaſc. deciſ.* 151.

(4) *Theſaur. ibid. num.* 7. ✠

(5) *Theſaur. ibid. d. num.* 5. ✠

(6) *Theſaur. d. num.* 7. ✠

(7) *Theſaur. ibid. num.* 7. *in fin.*

DEFINITIO III.

Juſjurandum a tutore, vel curatore præſtandum ad tutelæ ſubſtantiam non pertinet.

Tutores, & curatores, antequam adminiſtrationi ſe immiſceant, jurejurando ſolemniter interpoſito ſpondere utique debent, ſe ex fide omnia geſturos (1): hoc tamen juſjurandum non videtur ad tutelæ, vel curæ ſubſtantiam pertinere, ita ut eo prætermiſſo nulla ſint, quæ a tutore, vel curatore geſta fuerint; cum enim illud favore minorum inductum ſit, ut metu perjurii adminiſtratores in officio contineantur, legum beneficium non debet in ipſorum odium detorqueri (2). Hinc pronunciavit Senatus, valere actum collationis curæ, omiſſo licet jurejurando; tum etiam geſta deinceps a curatore, ſimul tamen jubens, a curatore præſtari (✠3).

(1) *Novel.* 72. *cap. ult., unde ſumta auth. Quod generaliter cod. de curator. furioſ.* (5. 70.)

(2) *L. Quod favore* 6. *cod. de legibus* (1. 14), *L. Nulla juris* 25. *ff. eod. tit.* (1. 3.)

(✠3) *Sent. Senat.* 17. *martii* 1751. *ref. D. Rovero in cauſſa Giorſetti contra Baldè, & Riva, V. Concluſ. dell'Officio del sig. Avvoc. Generale del* 1749. *ſottoſcritte Cavalli in cauſſa Balli contra Roſſo.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS XIX.

De inventario a tutoribus, & curatoribus conficiendo.

DEFINITIO I.

Omiſſio rerum levioris momenti non vitiat inventarium.

Quamvis tutoribus, & curatoribus neceſſitas immineat, quæcumque ad pupillos, aut minores pertinent, in inventario deſcribendi: ita ut alioquin nullum ſit, & viribus omnino careat (1); non tamen ipſis imputatur, aut inventario officit, licet quædam res levioris momenti omiſſæ fuerint (✠2); tum quia facile hæc poſtea adjici poſſunt, tum quia ſæpe accidit, ut caſu fortuito intereant, vel ignorentur; tum quia, ex trito axiomate, de minimis non curat prætor (3).

(1) *L. Tutores* 24. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37), *V. Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 8. §. 10, & 11.

(✠2) *Deciſ.* 7. *junii* 1760. *refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Viluoni, & Ricca* §. *Quoad mobilia*.

(3) *L. Scio* 4. *ff. de in integr. reſtitut.* (4. 1), *L. Res bona fide* 54. *ff. de contrahend. emtion.* (18. 1.)

DEFINITIO II.

An præſumptio, qua creditor res in inventario deſcriptas pupilli eſſe, contrarias probationes admittat?

Cum nemo tam ſtultus inveniatur, ſi Juſtiniano credimus, ut patiatur, in inventario tutelæ, vel curæ deſcribi res ſuas, tamquam pupilli, aut minoris ſint, idcirco placuit Juſtiniano huic aſſertioni omnino ſtandum eſſe (1): hæc autem ſanctio cum ſola præſumtione nitatur, putant aliqui, contraria probatione elidi poſſe (2): negant alii, quorum ſententiæ olim adhæſit Senatus, atque ideo fidejuſſorem tutoris non admiſit ad probandum contrarium eo fundamento, quod præſumtio hæc ſit juris, & de jure, quæ contrariam probationem non recipit (✠3). Quamquam præſumptio juris, & de jure contrariam probationem aliquando recipit, nimirum vel per confeſſionem patris, vel per indirectum (4).

(1) *L. ult. cod. arbitr. tutel.* (5. 51).

(2) §. *Item verbor. in fin. inſtit. de inutilib. ſtipulat.* (3. 20):

(✠3) *Deciſ.* 20. *junii* 1644. *ref. D. Beccariæ in cauſſa Mariæ Meruli contra Carehiottum.*

(4) *Fab. cod. de probat. lib.* 4. *tit.* 14. *defin.* 4. *alleg.* 2, *Oſaſc. deciſ.* 101 *num.* 25., 33, 34, & 35, *V. Juriſprud. tom.* 11. *pag.* 236. §. 846, & *ſeqq.*

DEFINITIO III.

Tutor ante completum inventarium gerere non debet, niſi neceſſitas urgeat.

Cum ex legum ſanctione inventarii confectio adminiſtrationem præcedere debeat (1), tutor ante confectum inventarium nihil gerere debet (2): adeoque nec contractus firmare auctoritate ſua, nec in judicio experiri debet, quia nonniſi perfecto inventario tutor ex omni parte legitimus eſt (3); niſi de iis rebus agatur, quæ dilationem non patiuntur, quas idcirco interim fieri conceſſum eſt (4): aut quæ fieri neceſſario debent, priuſquam inventarium conſcribatur; puta ſi adeunda ſit hereditas pupillo delata, atque propterea rationes petat tutor ab eo, qui defuncti bona adminiſtravit (5), ut ſcire poſſit, an utilis, an potius noxia futura ſit hereditas: aut demum de iis rebus ſermo ſit, quibus nullum pupillo damnum immineat (6).

(1) *L. ult.* §. 1. *cod. arbitr. tutelæ* (5. 51), *L. Tutores* 24. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37).

(2)

(2. D. *L. ult. §. 1. cod. arbitr. tutel.*

(✠3) *Deciſ. 23. januarii 1732. refer. D. Guillier in cauſſa Peyronæ Viduæ Serafini contra Monaſterium S. Petri Savilian, & alios §. Nec officere.*

(4) *L. Tutor 7. in fine princ. ff. hoc tit.* (27. 2.)

(5) *L. Ariſto 28. ff. de acquir. her.* (29. 2.)

(6) *Fab. cod. de tut. vel curat., qui ſat. non ded. lib. 5. tit. 25. def. 1.*

DEFINITIO IV.

An nulla, & irrita ſint geſta a tutore ante completum inventarium?

Immo licet minus recte agat tutor, qui ante completum inventarium pupilli nomine contrahit, aut contrahendi pupillo auctoritatem præſtat, ita ut in pœnam legis incurrat, nempe ut juretur contra ipſum (1), in litem, & tamquam ſuſpectus removeri poſſit (2), vim tamen habent contractus utriuſque ſpeciei (✠3).

(1) *L. Tutor 7. ff. de adminiſtrat., & petic. tutor.* (26. 7).

(2) *L. ult. §. 1. cod. arbitr. tutel.* (5. 51).

(✠3) *Deciſ. 7. junii 1760. refer. D. Cavalli in cauſſa Muſſotti, Viltoni, & Ricca §. Omiſſo autem, Deciſ. 20. decembr. 1689. ref. D. Malherba in cauſſa utrinque Pochettini §. Ad id, quod dicebatur.*

DEFINITIO V.

Tutor ante confectum inventarium audiri in judicio poteſt pro pupillo acturus, vel excepturus.

Tutor, nec dum confecto inventario, ſi audiri in judicio poſtulet pro pupillo acturus, vel excepturus, repelli non debet (1); tum quia ab ipſo die ſuſceptæ tutelæ periculum adminiſtrationis ad tutorem ſpectat (2); tum quia Jureconſulti non tradunt, nihil agere tutorem poſſe ante inventarium, ſed nihil eum gerere oportere (3). Quæ loquendi formula demonſtrat, non poſſe impune adminiſtrare ante inventarium, ſecus futurum, ut contra eum juretur in litem, & removeatur tamquam ſuſpectus, imo & cum infamiæ nota; non vero nulla eſſe, & irrita, quæ ab ipſo in judicio geſta fuerint (4). Si tamen nec de inventario conſtaret, nec de delatione tutelæ, difficilius ſuſtinerentur geſta a tutore in judicio (✠5).

(1) *Fab. cod. qui legitim. perſon. ſtandi in judic lib. 3. tit. 5. defin. unica.*

(2) *D. L. Tutor 7. §. 1. ff. h. t.* (27. 2), *ubi tutor jubetur officio ſuo confeſtim fungi.*

(3) *Nihil itaque gerere ante inventarium factum eum oportet D. L. Tutor 7. ff. hoc tit.*

(4) *Theſaur. lib. 3. quæſt. 6. num. 2.*

(✠5) *Deciſ. 19. junii 1673. refer. D. de Balbis in cauſſa Molettæ contra Zuccum §. Senatus ex eo tamen in princ. deciſ. Legitima enim tutelæ delatio baſis eſt, qua tutoris auctoritas nititur. Si ergo deficiat, vel non appareat, vix eſt, ut actus geſti vim habere judicentur: niſi forte ſingularia rerum, vel perſonarum adjuncta aliud ſuadeant.*

DEFINITIO VI.

An inventarium ex voluntate teſtatoris omitti poſſit?

Jure quidem communi inſpecto teſtator cavere poteſt, ne tutor inventarium conficiat, vel ut ab eo conficiendo immunis ſit, ſi malit (1); cum aliquando interſit, ne ſecreta patrimonii pupillaris pandantur, ne forte a creditoribus urgeatur, & prematur pupillus (2). Quare in hiſce caſibus tutor adminiſtrationem ſine inventario ſuſcipere poteſt (✠3). Quamquam poteſt judex non obſtante teſtatoris prohibitione, vel remiſſione tutorem cogere, aut inventarium conficiat, ſi ita poſtulet pupilli indemnitas, atque ſecuritas (4), cum pupilli utilitatem curare debeat, ſpreto etiam patris judicio (5). Quia tamen facile contingere poteſt, ut ſimplicitate ſua, vel etiam ex tutoris improbitate, vel alia quacumque cauſſa teſtator deceptus fuerit: aut etiam in [illegible] ejus immutentur tutoris electi mores; atque hinc graviſſimum immineat pupillis

lis damnum, ſi inventarium omittatur, cautum fuit Regiis ſanctionibus, ut prohibitio, aut remiſſio hæc nullius omnino ſit roboris, quamvis mater, aut avia tutrix electa proponatur: ita ut tutor in hac ſpecie non confecto inventario iiſdem ſubjiciatur pœnis, quæ jure communi ſtatuuntur in eos, qui temere inventarium omittunt (6).

(1) *L. ult. §. 1. cod. arbitr. tutel. (5. 51).*

(2) *Fab. cod. de jur. deliberand. lib. 6. tit. 11. defin. 43.*

(✠3) *D. Deciſ. 7. junii 1760. refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Vilioni, & Ricca §. Omiſſo autem, Sola decret. de minorib., & quitatione part. 1. Gloſ. unic. num. 13, & 14 pag. 141.*

(4) *Fab. d. defin. 43. alleg. 1.*

(5) *L. Utilitatem pupillorum 10. ff. de confirmand. tutor. (26. 3).*

(6) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 9. §. 5, quæ tamen præteritis hic caſibus non dant formam, ſed tantum futuris.*

DEFINITIO VII.

Quæ ſit pœna tutoris non conficientis inventarium?

Tutor, vel curator inventarium omittens a tutela, vel cura tamquam ſuſpectus removeri poteſt (1), & contra ipſum juratur in litem, quanti intereſt pupilli intra illud tempus confectum non fuiſſe inventarium (✠2).

(1) *L. ult. §. 1. cod. arbitr. tutel. (5 51).*

(✠2) *L. Tutor 7. ff. de adminiſtrat., & pericul. tutor. (26. 7), D. Deciſ. 7. junii 1760 refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Vilioni, & Ricca §. Omiſſo autem, V. Theſaur. lib. 3. quæſt. 6. num. 6, Oſaſc. Deciſ. 58. num. 19, & 20.*

DEFINITIO VIII.

An juretur in litem adverſus tutorem, qui ex levi culpa inventarium omiſerit?

Non poſſe in litem jurari adverſus tutorem, qui inventarium facere neglexerit, niſi ex dolo, vel lata culpa, quæ in civilibus dolo æquiparatur (1), omiſſio hæc contigerit, plures defendunt: contraria ſententia magis olim placuit, nimirum ſpeciale eſſe in actione tutelæ, ut etiam ob culpam levem in litem juretur (✠2), quamvis in aliis caſibus non niſi ob dolum admittatur (✠3). Sane parcendum eſſe tutori, qui præ ſimplicitate, ruſticitate, aut gravi infirmitate inventarium omiſerit: vel qui aliunde probet, quæ, & quanta pupillus habuerit, plerique fatentur (4), quemadmodum nec juratur contra tutorem, qui probet bona ad pupillum perveniſſe, non ad ipſum; nec culpa ſua aliquod damnum contigiſſe (✠5); non enim aliter permittitur, ut minor in litem juret quam ſi de culpa tutoris conſtet, & ſimul de pupilli damno ſaltem dubitetur (6), atque inventarium primi tutoris, ex quo conſtat, quid in bonis pupilli ſit, prodeſt poſteriori, ne adverſus ipſum in litem juretur (✠7).

(1) *L. Magna 226. ff. de V. S.*

(✠2) *L. Alio jure 4. cod. de in lite jurand. (5. 53.), Deciſ. 13. martii 1681. ref. D. Garretti in cauſſa PP. Cartuſianorum contra Paſtam fere in princip., Deciſ. 4. ſeptembris 1682. refer. D. Torrini in cauſſa Martinetti, & Marchet. §. Verum ad excluſionem doli, ubi de matre tutrice agebatur.*

(✠3) *L. In actionibus 5. §. Sed in omnibus 3. ff. de in lit. jur. (12. 3.), d. Dec. ref. D. Garretti in princip.*

(4) *Hæc enim culpa non adſcribuntur, nec jusjurandum in litem admittitur, niſi ex neceſſitate, cum probationes aliunde haberi*

Digitized by Google

beri nequeunt, argum. l. Nummis 3. ff. de in lit. jurand. (12. 3.)

(✠5) *Deciſ.* 14. *novembris* 1672. *ref. D. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem.* §. *Quo vero ad cenſus, fere in fine.*

(6) *D. l. 4. cod. de in lit. jur., d. l. 3. ff. eod. tit.*

(✠7) *D. Deciſ. ref. D. Balegno, & d.* §.

DEFINITIO IX.

Cum juratur in litem, judex ſummam definire debet, ad quam uſque juretur.

Cum jusjurandum in litem defertur, ex Romano jure poteſt judex præfinire certam ſummam, uſque ad quam juretur (1): ex uſu autem in foro recepto debet (✠2), neque permittitur jusjurandum hoc in illis, quæ certam habent æſtimationem (3).

(1) *D. L. 5. §. 1. ff. de in lit. jur.*

(✠2) *Fab. cod. de in lit. jur. lib. 5. tit. 32. defin. 1., Deciſ. 23. novembris 1648. ref. D. Barberis in cauſſa Senatoris Tarini contra Columbatum.* §. *Cenſuit Senatus.*

(3) *Fab. cod. eod. tit. defin. 2.*

DEFINITIO X.

Judex, etiam nondum facto inventario, poteſt alienationem permittere, ſi aliunde inſtructus ſit.

Quamvis regulariter judex bonorum pupillarium alienationem permittere non debeat, quin prius exhibitum fuerit inventarium, ut ex eo definiat, an neceſſaria, vel utilis ſaltem alienatio ſit; ſi tamen de neceſſitate, vel utilitate aliunde conſtet, nemini dubium eſt, quin decretum alienationis interponere valeat (✠1); quæ enim non generaliter, ſed ob determinatum finem requiruntur, ceſſant, ſi finis ille alia via obtineatur, quia lex de re ipſa ſollicita præſumitur, non de modo (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 7. *junii* 1760. *ref. D. Cavalli in cauſſa Maſſeti, Vilıni, & Ricca.* §. *Sequitur inde, in fine.*

(2) *Argum. l. Magis puto 5. §. In primis 11. ff. de reb. eorum, qui &c.* (27. 9.)

DEFINITIO XI.

Quid de libro rationum, & inſtrumentis pupillaribus?

Non tantum in litem jurari poteſt contra tutorem, qui inventarium prætermiſerit, ſed etiam contra eum, qui librum rationum non confecerit de datis, & receptis, vel librum, aut inſtrumenta pupillaria dolo non exhibeat (✠1), quemadmodum, & ob eandem cauſſam jurari poteſt contra doloſum tutoris heredem (2); pupilli æque intereſt librum rationum confici, vel inſtrumentum exhiberi, ac inventarium fieri.

(✠1) *Deciſ.* 18. *maji* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Gillis contra Patruum.*

(2) *L. 1., & 2. cod. de in lit. jurand.* (6. 53.)

TI-

TITULUS XX.

Ubi, & apud quem pupillus educari debeat.

DEFINITIO I.

Pupillus, ſi nihil obſtet, educari debet apud eum, quem pater elegit.

Pupillus apud eum educandus eſt, quem pater elegit: quemadmodum & ita alendus eſt pupillus, ſicuti pater teſtamento cavit (✠1); optimum enim, niſi aliud conſtet, præſumitur, quod pater pro filiis conſilium inivit propter ſingularem affectionem, qua liberos proſequitur (2). Quia tamen ignorare potuit pater, quæ eum, ſi cognoviſſet, deterrere potuiſſent, ne educationem liberorum ſuorum alicui committeret, vel forte quædam poſt mortem patris emerſerunt, ex quibus timendum eſt, ne minus honeſte, vel minus tuto apud eum pupillus educetur, quem ipſe nominavit, puta ſi currupti ſint hujus mores, vel inimicitiæ exarſerint, vel ob aliorum mortem proxime ad ſucceſſionem vocetur, cauſſa cognita, poteſt judex a patris voluntate recedere (✠3), ut pupilli indemnitati, & ſaluti proſpiciat (4).

(✠1) *L. Officio judicis* 2. §. *ult. ff. hoc tit.*, (✠ 27 2) *Deciſ.* 16. *martii* 1650. *ref. D. Barberis in cauſſa Tornatoris contra Rumbum* §. *Et quoad primum.*

(2) *L. Amiciſſimos* 36. *ff. de excuſat.* (27. 1.)

(✠3) *L.* 1. §. 1. *ff. hoc tit.* (27. 2.), *d. Deciſ. ref. D. Barberis.* §. *Et ſicuti dicitur.*

(4) *L Utilitatem.* 10. *ff. de confirmand. tutor.* (26. 3.)

DEFINITIO II.

Judex non niſi ex diligenti cauſſæ inquiſitione recedere debet a patris voluntate. Quid de matre?

Cum magna ſit paterni conſilii præſingulari in filios affectione præſumtio (defin. præced.), non facile debet judex, voluntate patris poſthabita, pupilli educationem in alium tranſferre, ſed omnibus perſonarum adjunctis diligenter perpenſis, vocatis etiam pupilli conſanguineis, æſtimandum eſt, an patri potius obſequendum ſit, nec ne. Sane contingere poteſt, ut tutius educetur pupillus apud eum, qui ad ſucceſſionem vocatur, ſi vir probatis moribus ſit, atque ſingulari affectione in pupillum propenſus, quam apud alium (1). Quare receptum in foro eſt, prudentis judicis arbitrio definiendum, ſingulis inſpectis adjunctis, cui credenda ſit pupilli educatio (✠2). Atque idem fere dicendum de matre potiſſimum, quæ filium heredem inſtituerit, quamquam rata haberi non debet matris, quæ filium exheredem fecerit, voluntas, niſi prævia judicis inquiſitione conſtiterit, eam filii educationi convenienter proſpexiſſe; quemadmodum obſervatur, cum filio exheredato mater teſtamento tutorem deſignavit (3). Atque, cum pupilli educatio præcipua tutelæ pars ſit (✠4), quæ matri conceduntur ratione tutelæ, etiam ratione educationis ſunt intelligenda.

(1) *D. l.* 1. §. 1. *ff. hoc tit.* (27. 2.)

(✠2) *D. Deciſ.* 16. *martii* 1650. *ref. D. Barberis in cauſſa Tornatoris contra Rumbum.* §. *Ideo quum hoc fuiſſet Senatui arbitrium*, *Deciſ.* 22. *martii* 1683. *ref. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſallum.* §. 1. *Favor præcipuus.*

(3) *Titul. XII. ſupra de tutel. defin.* 11.

(✠4) *Deciſ.* 5. *februarii* 1661. *ref. D. Leone in cauſſa Dominicæ Feſtæ contra Petrum Cattocium.* §. *Poſita præmiſſorum veritate num.* 8.

DEFINITIO III.

Extraneus, qui pupillum inſtituerit, cavere poteſt, apud quem educari debeat.

Ex his ſponte ſequitur, rationem etiam habendam eſſe electionis factæ ab extraneo, qui pupillum heredem inſtituerit, quemadmodum poteſt in eodem caſu tutorem eligere (1). Quare, cum proponeretur nepos a patruo heres inſtitutus, qui eum educandum juſſerat ſub cura extranei, cenſuit Senatus, obſequendum eſſe teſtatoris voluntati, quamvis ſuperſtes eſſet pupilli pater; atque extraneus, cui cura commiſſa erat, ad ejus ſucceſſionem vocaretur; quia pro extraneo ſtabant vitæ bonitas, & optimæ qualitates magiſtratui notæ, nec habebat ſpem proximam ſucceſſionis, ſed remotam poſt plures alios, & maxime poſt parentes pupilli (✠2).

(1) *Supr. tit. XII. de tutel. defin. 3.*

(✠2) *Deciſ. 28. maji 1663. ref. D. Petracchini in cauſſa Nazerii Scotti pupilli heredis, & Abbatis Scotti.*

DEFINITIO IV.

Matri etiam binubæ educatio pupilli permitti poteſt.

Si neque pater, nec alius elegerit, apud quem educandus ſit pupillus, ejus educatio matri committenda eſt: dummodo ad ſecundas nuptias non convolaverit, ſeu, ut leges loquuntur, vitricum non ſuperinduxerit (✠1); quippequæ omnium fide dignior ad educationem filiorum videtur (2) propter ſingularis affectionis præſumtionem. Imino poteſt liberorum educatio matri a Judice permitti, quamvis ſecundas nuptias inierit (✠3), cum non raro contingat, ut convenientius educandus ſit filius apud binubam matrem, quam apud extraneos, maxime ſi vitricus ipſe tutor ſit, quemadmodum per leges poteſt (4). Sane facilius matri binubæ educatio liberorum permittetur, ſi tutrix fuerit, & in tutela perſeveret, ut poteſt, ex Principis indulgentia (✠5); cum tutelæ præcipua pars, & veluti acceſſorium educatio ſit (defin. præced.). Maxime ſi Principis reſcripto hæc facultas ex abundanti conceſſa fuerit. An vitrico pupilli educatio interdum credi poſſit alibi expendimus (6). Neque obſtare poteſt matri ſpes ſucceſſionis, aut tranſitus ad ſecunda vota; quia præſumtio inſidiarum, quæ ex ſpe ſucceſſionis oritur, tollitur per fortiorem aliam præſumtionem affectionis maternæ erga prolem ſuam (7): ſuſpicio autem, quam pariunt ſecunda matris vota, elidi poteſt, ſi tum ipſa, tum vitricus probatis moribus ſint (✠8)

(✠1) *L. 1. cod. hoc tit. (5. 49.), d. Dec. 16. mart. 1650. ref. D. Barberis in cauſſa Tornatoris contra Rumbum. §. & quoad primum.*

(2) *Ita Juſtinianus in Novel. 22. cap. Ejuſdem quoque 38.*

(✠3) *D. Deciſ. 22. martii 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſalum. §. 1. Favor præcipuus.*

(4) *L. Mater 2. cod. de interdic. matrim (5. 6.), L. Si pater 3. cod de contrar. judic. tut. (5. 58.), V. tit. XII. de tutel. defin. XII.*

(✠5) *D. Deciſ. 5. februarii 1661. ref. D. Leone in cauſſa Teſta contra Cattocium. §. Contrarium tamen V. ſupra de tutel. tit. XII. defin. IX.*

(6) *V. Iuriſprud. tom. 2. §. 325., &. 326. pag. 83.*

(7) *L. Alimenta 11. cod. de negot. geſt. (2. 19.), L. Neſennius 34. ff. eod. tit. (3. 5.)*

(✠8) *D. Deciſ. ref. D. Leone. §. Pro matre etiam num. 9.*

Digitized by Google

DEFINITIO V.

Quid ſi mater iniquæ educationis ſuſpecta ſit?

Sed hæc de filiorum educatione matri committenda exceptionem habere poſſunt, ſi mater iniquæ educationis ſuſpecta ſit (✠1), puta ſi impudice vivens etiam iis luxurioſe vivendi occaſionem præſtitura timeatur. Ex quo plures inferunt, educationem prolis illegitimæ non eſſe matri concedendam, (niſi corruptos mores in melius mutaverit), vel ſi hæretica ſit, aut gravibus vitiis dedita, quæ facile pupilli animum inquinare poſſint (2). Atque ideo reſcripſit Alexander Imperator, ſi contentio ſit inter cognatos, & tutores de pupilli educatione, Judicem æſtimare debere, apud quem pupillus educandus ſit, inſpecta perſonarum qualitate, & conjunctione (3). Quod ſane non tantum preſtare debet Judex, cum agnati, & tutores diſſentiunt, ſed & cum in eum forte conſentiunt, quem minus idoneum ad inſtruendos pupilli mores cognoſcat, vel ſuſpicetur ejus vitæ inſidiaturum (4).

(✠1) *D. Deciſ. 16. martii 1650. ref. D. Barberis in cauſſa Tornatoris contra Rumbum. §. Secundo non habet.*

(2) *Sicut enim ex hactenus actis patet, leges in hoc tutelæ argumento certam omnino regulam non conſtituunt, ſed pupillorum utilitatem in omnibus inſpiciendam jubent. L. Utilitatem 10. ff. de confirm. tut.* (26. 3.), *l. 1. cod. hoc tit.* (5. 49.), *l. 1. §. 1. ff. hoc tit* (27. 2.)

(3) *L. 1. cod. hoc tit., Theſaur. quæſt. for. lib. 3. quæſt. 26. num. ult.* ✠, *ubi, cum mater, avia paterna, & patruus de educatione contenderent, Senatus mandavit pupillam reponi in Monaſterio.*

(4) *L. 1. §. 1. ff. hoc tit.*

TITULUS XXI.

De alimentis pupillo præſtandis.

DEFINITIO I.

Quæ preſtari pupillo debeat alimentorum quantitas?

In taxanda alimentorum quantitate generalis ſtatuitur regula, ſequendam eſſe patris, qui pupillum heredem ſcripſerit, voluntatem, dummodo patrimonii pupillaris vires non excedat (1): ſi autem pater alimentorum quantitatem non conſtituerit, poteſt tutor propria auctoritate ex æquo, & bono, inſpectis pupilli conditione, & facultatibus, alimenta decernere; quin opus ſit Judicis decreto; ex quo enim impuberis tutela committitur, ea omnia conceduntur tutori, quorum neceſſitatem, vel utilitatem ipſa rei natura demonſtrat (2), ne publicum officium in vacuum deſinat nomen (3). Hinc generaliter in jure traditur, ſumtus omnes, quos tutor fecerit pro pupillo, vel neceſſitate cogente, vel ex legitima, & honeſta cauſſa, ei accepto ferenda eſſe, quamvis Judicis decretum non fuerit interpoſitum, quia juſtitia potius, & naturali æquitate firmitatem habet, quam aliena auctoritate, quod bona fide a tutoribus, vel curatoribus pupillorum, aut minorum gratia impenditur (✠4). Immo tutor aliquando debet propria auctoritate quantitatem alimentorum decernere, judice in conſulto, ſcilicet cum pupilli intereſt, ne ſecreta patrimonii publicentur, & ſuſpectum forte æs alienum pandatur, atque inde a creditoribus moleſtia timeatur (5).

(1) *L. Officio judicis 2. §. ult. ff. hoc tit.* (27. 2.), *V. Juriſprud. tom. 2. §. 339., & ſeqq. pag. 86.*

(2)

(2) *D. L. Sumtus* 3. *eod. de admin. tut.* (5. 37.)

(3) *Longe tamen conſultius agit tutor, & ſibi ipſi conſulit, qui judicem adit, ut quantitatem alimentorum ipſe ſtatuat, ne forte aliquando ipſo imputetur, quod plus in ea impenderit, quam par eſſet.*

(✠4) *D. L. Sumtus* 3. *eod. de adm in tut.* (5. 36.), *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1642. *ref. D. Appiano in cauſſa Philippæ contra Bonſilium.* §. *Quoad quantum.*

(5) *D. L.* 2 *ff. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Pupillus, qui cum tutore moratus eſt, præſumitur ab eo alimenta habuiſſe.

Hinc etiam pupillus, qui cum tutore habitavit præſumitur alimenta ab ipſo habuiſſe, ita ut nec ferendus ſit adoleſcens, qui, cum præſens eſſet, ſtudiiſque eruditus, atque alitus, reſtituere ſumtus tutori recuſet, ſi eos per alium ſe conſecutum non probet: quaſi vento vixerit, aut nullo liberi hominis ſtudio imbui meruerit (✠1).

(✠1) *L. Quod plerumque* 2. *cod. de aliment. pupil. præſtand.* (5. 50.), *Dec.* 1. *junii* 1644 *refer. D. Filippa in cauſſa Moſtonæ contra Moſtonam.* §. *Sed ex eo.*

DEFINITIO III.

An impendi poſſit in alimentis ultra pupilli reditus?

An tutor poſſit plus impendere in alimentis pupilli, quam in ejus bonis ſit, quæſtio eſt ex adjunctis definienda: generatim quidem traditur, pro facultate patrimonii quantitatem alimentorum eſſe decernendam (1): atque reditus, non proprietatem, in alimenta impendi debere (✠2), ne pupillus ad egeſtatem facile deducatur. Quia tamen melius eſt, hereditatem alimentorum cauſſa minus, ut in ſpecie non abſimili ait Ulpianus, quam cogere pupillum, ut fame pereat, ne minor hereditas ad eum perveniat (3): ſi reditus honeſtis, & convenientibus pupilli alimentis non ſufficiant, licet tutori plus impendere, quam in facultatibus eſt (✠4); tum quia non unius patrimonii in decernendis alimentis habetur ratio, ſed & dignitatis natalium (5); tum quia, ſicut æquum non eſt, ut tutor de ſuo pupillum alat (6), ita nec conveniens eſt, ut eum in mendicandi neceſſitatem conjiciat (7).

(1) *L. Cum plures* 12. §. *Cum tutor* 3. *ff. de adminiſtrat.*, *& peric. tutor.* (26. 7.)

(✠2) *L. Jus alimentorum* 3. §. 1. *ff. hoc tit.*, *Deciſ.* 1. *junii* 1644. *ref. D. Filippa in cauſſa Moſtonæ contra Moſtonum.* §. *Sed ex eo.*

(3) *L. Sed ſi is* 5. §. *An autem* 5. *ff. de carbon. edic.* (37. 10.)

(✠4) *L. Quid ergo* 3. *ff. de contrar. tutelæ, & utili act.* (27. 4.), *Fab. cod. de admin. tut. lib.* 5. *tit.* 23. *defin.* 2., *Deciſ.* 23. *junii* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa de Barberis contra Ancinam, & Laja.* §. *Sed cum adverſus*, & §. *Verumtamen, in fine, Sentent. Senat.* 9. *martii* 1771. *ref. D. Galli in cauſſa Groſſi, & Vanetti*

(5) *L. Cum plures* 12. §. *Cum tutor.* 3. *ff. eod. tit.*

(6) *L.* 1. §. *ult. ff. de contrar. tut. act.*

(7) *Fab. d. defin.* 2. *lib.* 5. *tit.* 23.

DEFINITIO IV.

In decernenda alimentorum quantitate ratio habenda eſt ætatis, conditionis, & conſuetudinis regionis, & pretii cibariorum.

Cum quæritur de alimentorum quantitate, in primis inſpici debet ætas pupilli, vel minoris (1); tum conditio in-

Digitized by Google

trinſeca, ſeu valetudo, & extrinſeca, an nobilis ſit, an plebejus (2); nec non conſuetudo regionis, & pretium cibariorum, ſi quantitas alimentorum, prout plerumque fit, pecunia æſtimetur (✠3); nam & conſuetudo regionis tacita quædam lex eſt, quæ etiam invitos cogit (4), & pro diverſo rerum pretio diverſa pecuniæ quantitas aſſignanda.

(1) *L. Jus alimentorum 3. §. Ante oculos 2. & §. Idem 5. ff. hoc tit.* (27. 2.)

(2) *L. Cum plures 12. §. Cum tutor 3., l. Tutor 13. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor* (26. 7.)

(✠3) *Deciſ. 26. januarii 1646. ref. D. Vivaldo in cauſſa Prinetæ de Jolitis contra Scalerium §. 3. Quæſitum, argum. l. Semper 34. ff. de reg. jur.*

(4) *Caute tamen ſe gerere debet judex, ne quid nimis ſtatuat; non enim ita uſui mos gerendus eſt, ut grave damnum pupillus habeat. Uſus ergo regionis cum pupilli utilitate, quantum fieri poteſt, conciliandus eſt, ita tamen, ut primæ ſemper hujus partes ſint.*

TITULUS XXII.

De auctoritate tutorum, & curatorum.

DEFINITIO I.

Unus ex pluribus tutoribus pro indiviſo gerentibus ſolus gerere poteſt.

Quamquam plures tutores ſint, atque omnes, & ſinguli pro indiviſo, & communiter adminiſtrent, valet tamen, quod ab uno geſtum eſt (1): quod propter utilitatem pupillorum, minorum, & ſimilium, qui aliorum opera reguntur, inductum eſt, ne damnum patiantur ex dilatione, quæ ſæpe contingeret, ſi omnes intereſſe deberent. Hinc jure traditum, unum ex pluribus tutoribus poſſe novare, compromittere, transfigere, alienare, & cetera facere, quæ pertinent ad pupilli utilitatem, & bonorum adminiſtrationem (✠2).

(1) *L. Si plures 3. ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor* (26. 7.)

(✠2) *Deciſ. 14. decembris 1650. ref. D. Porta in cauſſa Tornatoris contra Rumbum. §. Mortuo teſtatore, ſer. in fin.*

DEFINITIO II.

Tutor, qui, ſatiſdatione accepta, adminiſtrationem contutori ceſſit, poſt excuſſum contutorem adhuc pupillo tenetur.

Tutor, qui ſatiſdationem accepit, atque adminiſtrationem ſatiſdanti ceſſit (1), immunis non eſt ab obligatione erga pupillum, ſed adhuc tenetur, excuſſo tamen eo, qui tutelam geſſit (✠2). Neque obſtat Ulpianus ajens tutorem, qui ſatis accepit, ſecutum eſſe (3); etenim ſecuritas hæc locum habet quoad contutorem gerentem, qui primus ſolvere tenetur, non vero reſpectu pupilli; cujus adhuc tutor honorarius manet; quippe tutelæ munus non aufertur, ſed tantum transfertur adminiſtratio in tutorem ſatiſdantem (4).

(1) *V. Supra tit. XVIII. de ſatiſdat. tutor, & curator. (defin. 1.*

(✠2) *Argum. L. Si plures 3. §. Ceteri 2. ff. hoc tit.* (26. 7), *Deciſ. 22. martii 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Barberis contra Vaſſallum §. Quamobrem juxta prædictas.*

(3) *L. Teſtamento 17. in fin. princip. ff. de teſtamentar. tutel.* (26. 2);

(4) *D. L. 3. §. 2. ff. hoc tit de admin. & peric. tutor.*

DEFINITIO III.

Tutor ſibi ipſi ſolvere poteſt, & debet, ſi certum, & liquidum ſit creditum.

Cum tutori, maxime ſi pupilli infantes adhuc ſint, ea fere omnia facere liceat

liceat vi officii ſui, quæ pupillus ipſe, ſi ad legitimam perveniſſet ætatem, tamquam bonus pater familias ageret: ita ut, quæ tutor fecit tum in judicio, tum extra judicium, ab ipſo pupillo facta videantur (1): adeoque pupillis per tutores actio quæratur (2); conſequenter poteſt debita certa, &, ut dici ſolet, liquida, non expectato judicis decreto, ſolvere etiam ſibi, ſi creditor patris pupilli fuerit (✠3): quin & ipſi imputaretur, ſi nec ſibi ſolverit, dum poſſet, vel non petierit a prætore, ut decreto ipſius res eo deduceretur, ut pecuniam ſibi debitam conſequi poſſet; ſcilicet uſuris carebit (4).

(1) *L. Si tutor 2. ff. hoc tit. de adminiſtrat. & peric. tutor.* (26. 7).

(2) *L. Etſi tutores 2, L. Si hi 4. cod. Quando ex facto tutoris* (5. 39).

(✠3) *L. Quoties tutor 9. §. Sicut autem 5. ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor. Deciſ. 20. januarii 1734. ref. D. Caſſotti in cauſſa concurſus Marchionis Gattinara §. Quoad dotis ſextantem, fere in medio deciſ.*

(4) *L. Quid ergo 3. §. Uſuras 4, §5, & 6 ff. de contrar. tut. act.* (27. 4).

DEFINITIO IV.

Tutor novare poteſt, tranſigere, compromittere, jusjurandum deferre. An & hereditatem adire?

Poteſt quoque tutor, ſi pupilli interſit, priorem obligationem in aliam convertere, ſeu novare, tranſigere, dummodo ex cauſſa tranſactionis rem immobilem non diſtrahat (1), & compromittere (✠2); adverſario deferre jusjurandum (3), ſi alia probandi via deficiat (4); quod & curatori tum minoris, tum prodigi conceditur (5); quia uterque intelligitur habere mandatum cum libera (6): poteſt & hereditatem pupillo delatam adire, ſi adhuc infans pupillus ſit; alioquin pupilli interventus requireretur (✠7): ſecus ac obtineat in bonorum poſſeſſione, quæ cum jure prætorio deferatur, quo ſubtilitates juris civilis parvi penduntur, a tutore ſine interventu pupilli, etiam infantiam egreſſi, peti poteſt, quamvis non poſſit repudiari (8).

(1) *V. Tit. ſeq. XXIII. defin.* 11.

(✠2) *L. Tutor. 22. ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor* (26. 7), *Deciſ. 14. Novembris 1650 refer. D. Porta in cauſſa Rumbæ, & Tornatoris §. Mortuo teſtatore, fere prope finem.*

(3) *L. Jusjurandum 17. §. Si tutor 2. ff. de jurejurando* (12. 2).

(4) *L. Tutor 35. ff. eod. tit.*

(5) *D. L. 17. §. 2. ff. de jurejur.*

(6) *Sola de jurejurando Glo. 2. num. 26. pag. 399.*

(✠7) *L. Si infanti 18. §. Parente vero 2, & §. ult. cod. de jure deliberandi* (6. 30), *Abeccleſ. obſerv. forenſ. part. 1. obſerv. 155. num. 1, 2, & 3, Fab. cod. de repud., vel abſtin. hered. lib. 6. tit. 12 def. 11., V. de hoc argumento Dec. 3. ſeptemb. 1750. refer. D. Balegno in cauſſa Gentilis, & de Donaudis num* 47, 48, 93, *& ſeqq., & Deciſ. 11. junii 1768. refer. D. Galli inter capit. cathed. Pinerolii, & Carolum Nanam num.* 40.

(8) *L. Tutor 8. ff. de bonor. poſſeſſionibus* (37. 1), *Fab. d. defin. 11., Abeccleſ. d. obſervat. 155. num. 14, 15, & 19.*

DEFINITIO V.

Actio pupillis, & minoribus quæritur per tutores, & curatores.

Quamquam regula ſit romani juris, alterum alteri nec acquirere, nec contrahendo nocere poſſe (1); ab hac tamen ſeveritate in tutoribus, & curatoribus receſſum eſt, quibus datum, ut actiones, pupillis, & minoribus contrahendo acquirant (2), quoties ita exigit pupillorum, vel minorum utilitas (3). Si ergo tutor, vel curator pupilli, vel minoris prædia locaverit, actio locati ipſi pupillo, aut minori acquiritur (4): ſicuti & actio de conſtituta pecunia quæritur pupillo, minori,

nori, atque civitatibus, aut univerſitatibus, quæ pupillorum, & minorum inſtar ſunt, quamvis promiſſio tutori, curatori, vel actori fuerit facta (✠5).

(1) *L. Stipulatio inſt.* 38. §. *Alteri* 17. *ff. de V. O.* (45. 1), §. *Si quis alii* 4, §. *Alteri* 19, & §. 21. *inſtit. de inutilib. ſtipulat.* (3. 20).

(2) *L. Etſi tutores* 2. *cod. quando ex facto tutor.* (5. 39).

(3) *L. ult. eod. eod. tit.*

(4) *L. Si hi* 4. *eod. quando ex facto tut.*

(✠5) *L. Eum, qui* 5. §. *Si actori* 9. *ff. de pecun. conſtit.* (13. 5), *Deciſ.* 13. *maii* 1652 *ref. D. Caroccio in cauſſa Tadei contra heredes Damiani Rubei in princip.*

DEFINITIO VI.

Emta res ex pecunia pupilli, vel minoris pupillo, vel minori acquiritur.

Hinc quoque, ſi tutor, vel curator ex pecunia impuberis, vel adoleſcentis prædia emerit, utilem ei dandam actionem, cujus pecunia fuit, ut rem vindicet, vel pecuniam condicat, in jure traditum eſt (1); pupillorum, & minorum favore receptum, ut res, quas emtas eſſe conſtet ex pecunia alterius, ejus ſint, & ab eo vindicari poſſint una cum fructibus, niſi ipſe malit, uſuras pecuniæ a tutore exigere (2). Nec intereſt, utrum ea pecunia in emtionem prædiorum deſtinata eſſet, nec ne (✠3), cum favor pupillorum, & minorum in utroque caſu locum habeat (4).

(1) *L. Si tutor* 2. *ff. quand. ex fac. tut.* (26. 9).

(2) *L. Si curator* 3. *cod. Arbitrium tutelæ* (5. 51).

(✠3) *Deciſ.* 8. *maii* 1645. *refer. D. Barberis in cauſſa Dionyſiæ Boreliæ contra Caſtaneam per tot.*

(4) *Adeoque locum habere debet vulgatum axioma, diſtinguendum non eſſe, ubi lex non diſtinguit, L. De pretio* 8. *ff. de public. in rem act.* (6. 2).

DEFINITIO VII.

Tutor regulariter donare non poteſt.

Tutoribus ampla adminiſtrandi facultas conceſſa eſt, quatenus utilitas pupillorum exigit (Defin. V): reſtricta vero in ceteris poriſſimum, quæ damnum pupillo facile timentur allatura. Proinde tutor nec mobilia, neque immobilia donare poteſt (1), neque donationes ab ipſo factæ pupillo nocent (2): quamvis judicis auctoritas intervenerit; tutori enim non conceditur adminiſtratio, ut diſperdat; ſed ut ſervet; nec judex contra legum ſanctionem permittere poteſt, ut alter de re alterius pro arbitrio diſponat (3). Potiori ratione non valet donatio tutori, vel curatori a minore facta; quia maxime timendum eſt, ne fraudibus, aut illecebris extorta ſit (✠4).

(1) *L. Lucius Titius* 46. *ff. hoc tit. de adminiſtrat. & peric. tutor.* (26. 7).

(2) *L. Tutor* 22. *ff. eod. tit.*

(3) *L. ult. verſ. Cum autem cod. Si major fact.* (5. 74), *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 14. §. 13.

(✠4) *Deciſ.* 13. *ſeptembris.* 1679 *refer. Rolando in cauſſa concurſ. Blancard.* §. 2. *Quod contractus num.* 15, *Argum. L. Si in emtione* 34 §. *ult. ff. de contr. emt.* (18. 1).

DEFINITIO VIII.

An valeat primogenii inſtitutio facta a minore?

Hinc etiam, cum propoſita fuiſſet Senatui quæſtio de fratre minore, qui favore alterius fratris, ſub cujus tutela erat, primogenium, auctore judice, & adhibito jurejurando erexerat, contemplatione agnationis, & familiæ, Senatus nullum dixit contractum (✠1), pluribus quidem ex cauſſis, ſed præcipue, quia non fuiſſent adhibitæ ſolemnitates legibus municipalibus præſcriptæ, neceſſita-

tis

tis nempe, vel utilitatis, atque interventus propinquorum (2): actus reſpiceret favorem tutoris, quod leges prohibent (3): nec ulla ſufficiens neceſſitatis, vel utilitatis eſſet cauſſa: atque inſuper ſuſpicio eſſet metus reverentialis ex donatione facta fratri majori a minore natu; maxime quia hic ſub illius tutela erat; neque dolus tum ex re ipſa, tum ex propoſito ab hujuſmodi contractu abeſſet, qui ſolus ſufficit ad contractus vim infringendam, ſi eidem cauſſam det.

(✠1) *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1679 *reſer. D. Rolando in cauſſa concurſ. ſuper hereditate D. Blancardi princ. ad num.* 35.

(2) *Decret. penes Solam de alien bonor. minor, & mulier. pag.* 557.

(3) *L. Si in emtione* 34. §. *ult. ff. de contr. emt.* (18. 1).

DEFINITIO IX.

Donationes modicæ, tum quæ fiunt occaſione nuptiarum, pupillis, & minoribus permittuntur ſine decreto.

Excipiuntur donationes modicæ, quas honeſtas, & uſus requirunt in ejuſdem conditionis perſonis (1), tum etiam, quæ occaſione nuptiarum fieri ſolent, atque minoribus permittuntur, quin curatoris, aut judicis auctoritas neceſſaria ſit (✠2): imo jure regio ab omnibus ſolemnitatibus, quæ in ceteris donationum ſpeciebus deſiderantur, immunes ſunt hujuſmodi donationes, ſive titulo dotis fiant, ſive ejus augmenti, aut donationis propter nuptias: dummodo juxta regionis receptas conſuetudines (3); ex quo enim minoribus matrimonium celebrare permittitur, licere quoque eis debet, quod illius veluti acceſſorium eſt, & ſine quo vix contrahi matrimonium poteſt (4).

(1) *L. Cum plures* 12. §. *Cum tutor* 3. *ff. hoc tit. de adminiſtrat., & penul. tutor.* (26. 7).

(✠2) *L. ult. cod. Si major factus* (5. 74), *Deciſ.* 9. *martii* 1682. *reſer. D. Terrini in cauſſa Barellæ contra Barellum in prin. ubi traditum eſt, minorem non tantum ſe valide obligare pro dote, & augmento propter nuptias, quia hoc fit in conſequentiam matrimonii, & potius in vim legis; ſed nec ſtatutum prohibens, ne minor contrahat ſine ſolemnibus, ad hunc caſum extendi, niſi ejus verba ampliſſima ſint.*

(3) *Reg. conſtit. d. lib.* 5. *tit.* 14. §. 13, & 15.

(4) *Argum. L. Cui juriſdictio* 2. *ff. de juriſdictione* (2. 1).

DEFINITIO X.

Tutor a pupillo emere non poteſt, nec cum eo contrahere.

Tutori a pupillo emere non licet (✠1), tum ob fraudis periculum, tum quia nemo in rem ſuam auctor eſſe, ſeu auctoritatem impertiri poteſt (✠2). Atque hinc ſequitur, nec pupillum cum tutore contrahere poſſe (✠3). Quod autem de tutore dicimus, ad curatores, alioſve aliena negotia gerentes extenſum eſt (4).

(✠1) *L. In emtione* 34. §. *ult. ff. de contrah. emtion.* (18. 1), *Deciſ.* 26. *ſeptembr.* 1650. *reſer. D. Pattarino in cauſ. Breſſani contra Angionum in princip.*

(✠2) *L.* 1., *L. Quod dicimus* 7 *ff. de auctoritat. tutor.* (26. 8), *Deciſ.* 15. *ſeptembris* 1740. *reſer. D. Blavet in cauſſa Rabaliati contra Comit. Picconum. poſt num.* 42.

(✠3) *L. Pupillus* 5. *ff. de auctorit. tutor.*, *Deciſ.* 22. *decembris* 1729. *reſer. D. Sclarandi in cauſſa utrinq. Lupi* §. *Quin obſtaret, in fin.*

(4) *D. L.* 34. §. *ult. ff. de contr. emtion.*

DEFINITIO XI.

Confeſſio tutoris, vel curatoris pupillo, vel minori non nocet.

Regula generalis in jure traditur, nec tutoris, aut curatoris, quemadmodum nec procuratoris confeſſionem ſufficere,

Digitized by Google

ut pupillus, minor, vel dominus condemnari poſſit (✠1), atque multo minus nocet alterutrius confeſſio, quæ extra judicium facta ſit (2), quamvis facta fuerit in materia non ſuſpecta (✠3). Neque enim rejicitur tutoris confeſſio ex cauſſa ſuſpicionis, cum tutor potius favere pupillo præſumatur; ſed quia facta ab eo, qui neceſſaria ad confirendum auctoritate deſtitutus eſt (4). Hinc cum quæſtio propoſita fuiſſet de debitore cenſuum, qui a filiis creditoris defuncti conventus inter ceteras ſolutiones defuncto factas unam opponebat, quæ in computationibus inter ipſum, & matrem pupillorum calculatis, & ab ea ſubſcriptis fuerat admiſſa, quam ideo ſemiplene ſaltem probatam contendebat, ita ut deferendum ipſi eſſet jusjurandum, ut vocant, ſuppletivum, cenſuit Senatus, non ſufficere confeſſionem matris tutricis, quæ ex rationum ſubſcriptione erui poterat, ut debitori deferendum eſſet jusjurandum hoc, quia talis confeſſio filiis nocere non potuerit, niſi aliis indiciis de ſolutione conſtaret (✠5); maxime quia ſolutiones ipſi matri non adſcribebantur factæ, ſed defuncto patri: atque mater deinde interrogata, an ſcientiam haberet dictæ ſolutionis, jurejurando interpoſito reſpondiſſet, nihil de ea ſolutione ſcire (✠6). An vero tutor ſtatim audiendus ſit petens reſtitui adverſus propriam confeſſionem, alibi expendimus (7).

(✠1) *L. Certum* 6. §. *Sed & nos ipſos* 4. *ff. de confeſſis* (42. 2), *Deciſ.* 18. *januar.* 1649. *ref. D. Abecclesia in cauſ. Rolandonæ contra Theſauros per totum.*

(2) *Fab. cod. de peric. tut. lib.* 5. *tit.* 24. *def.* 3. *num.* 5: *in corp.*

(✠3) *Deciſ.* 22. *martii* 1673. *refer. D. Rolando in cauſſa utrinque Truchi* §. *Ex quibus apparet.*

(4) *D. L.* 6. §. *pen. ff. de confeſſis.*

(✠5) *Deciſ.* 5. *maii.* 1746. *refer. D. Provana in cauſſa Gilletæ, & Laſcaris in princip.*, & §. §. *ſeqq.*

(✠6) *D. Deciſ. ref. D. Provana in fin.*

TITULUS XXIII.

De prædiis, & aliis rebus minorum ſine decreto non alienandis, ſive de auctoritate tutorum, & curatorum in alienatione bonorum pupilli, vel minoris.

DEFINITIO I.

An tutor, vel curator rem immobilem legatam præſtare poſſit ſine judicis decreto?

In ea quæſtione, utrum tutor, vel curator rem immobilem a teſtatore legatam ſolvere poſſit ſine judicis decreto, diſtinguendum eſt, an res præſtanda legati nomine teſtatoris fuerit, an propria ſit pupilli, vel minoris. In prima ſpecie decretum judicis neceſſarium non eſt; quia non rem ſuam alienat pupillus, ſed teſtatoris ex ejuſdem voluntate. In altera conſuetæ requiruntur ſolemnitates; quia vere rei pupillaris alienatio contingit (1): atque ideo ſi abſque decreto res immobiles pupilli, vel minoris pro ſolutione legatorum datæ fuerint, reſtituendæ ſunt una cum fructibus (✠2).

(1) *L. Magis puto* 5. §. *Si fundus* 4. *ff. hoc tit. de reb. cor.* (27. 9.

(✠2) *Deciſ.* 3. *decembris* 1659. *refer. D. Rolando in cauſſa Franconi contra Jugales Comba* §. *Cenſuerunt Domini*, & *ſeqq.*

DE-

DEFINITIO II.

Tutor ex cauſſa tranſactionis rem immobilem ſine judicis decreto dare non poteſt.

Tutorem ex juſta cauſſa tranſigere poſſe, ſupra diximus (1), dummodo nulla rei immobilis alienatio contingat. Sed ſi ex cauſſa tranſactionis alienanda ſit res immobilis, aut ejus poſſeſſio, non aliter rata eſt tranſactio, quam ſi cauſſæ cognitio, & judicis decretum intervenerit (✠2); quia generaliter leges quamcumque immobilium alienationem prohibent (3).

(1) *V. Titul. præced. XXII de auctorit. tutor. defin. IV.*

(✠2) *L. Lucius 46. §. ult. ff. hoc tit.* (27. 9) *L. Non ſolum 4. cod. hoc tit.* (5. 71), *Fab. cod. eod. tit. lib. 5. tit. 37. def. 1., Deciſ. 11. ſeptembris 1734. refer. D. Demorra in cauſſa Joſephi Braya §. Præterea reſolutum num. 3.*

(3) *D. L. 4, & L. Seq. cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor. &c.*

DEFINITIO III.

Permutatio minori utilis, quamvis facta ſine præſcriptis ſolemnitatibus, ſuſtinetur.

Permutatio rei ad minores pertinentis æque prohibetur tutoribus, & curatoribus, ac venditio, & donatio (1); quia vere & hic alienatio eſt, atque dominii tranſlatio. Quia tamen non idem imminere videtur periculum in permutatione, in qua pro re immobili diſtracta alia immobilis etiam recipitur: idcirco, ſi ea utilis minori ſit, ſuſtinebitur: exemplo deſumpto a fundo dotali, cujus alienatio æque, ac rei ad pupillos, vel minores pertinentis, legibus prohibetur (2); ſi tamen utilis mulieri fuerit, ratam habendam eſſe, reſpondit Scævola (3). Utilitatem vero permutationis dimetimur ex tempore contractus, quo vires exeruit, non ex eo, quo agitur (✠4). Quamquam uſu fori ſpeciale non eſt in permutatione, ut ex utilitate, prætermiſſo licet judicis decreto, ſuſtineatur: ſed idem jus in omnibus contractibus ſervatur (5).

(1) *L. Non ſolum 4. cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor.* (5. 71).

(2) *Princ. inſtit. quib. alien. lic., vel non* (1. 8).

(3) *L. ult. ff. de jure dotium* (23. 3).

(✠4) *L. Cum pro pecunia 24. cod. de ſolution.* (8. 43), *Deciſ. 12. aprilis 1726. ref. D. Cavalli inter Commendam S. Margaritæ, & Severi contra Comit. Viaritium §. Poſita autem, ubi agebatur de rei permutatione ad d. commendam pertinentis.*

(5) *V. infra definit. XX.*

DEFINITIO IV.

Diviſio rerum cum majore communium, majore ad diviſionem provocante, ſine decreto fieri poteſt.

Quamquam diviſio rerum hereditariarum, vel quacumque alia ratione communium regulariter prohibetur pupillis, & minoribus ſine judicis decreto (1), propter periculum inæqualis diſtributionis; niſi res immobiles pro diviſo communes ſint (2); vel unus proprietatem habeat, alter uſumfructum (3), ſi tamen res communes ſint pupillo, aut minori cum majore, atque hic ad diviſionem provocet, nullo opus eſt judicis decreto; cum fruſtra deſideretur, quod denegari nequit (✠4); leges enim æquitate ſuadente conſtituerunt, ut nemo invitus in communione, vel ſocietate detineri poſſit (5), ad vitanda incommoda, & diſcordias, quæ facile ex communione naſcuntur.

(1) *L. Si pupillorum 7. ff. hoc tit. de reb. cor.* (27. 9), *L. Inter omnes 17. cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor.* (5. 71)

(2) *L. Magis puto 5. §. ult. ff. hoc tit. de reb. cor.*,

(3) *L. Sed ſi forte 6. ff. cod. tit.*

(✠4)

(✠4) *D. L.* 1. §. 2, *L. Pupillorum* 7. *ff. hoc tit.*, *de reb. cor. D. L.* 17. *cod. hoc tit. de præd.*, *& al. reb. minor. Deciſ.* 5. *maii* 1676. *refer. D. Raſini in cauſſa Auditoris Quadri contra Martam* §. *Item minor*, *Deciſ.* 12. *martii* 1732. *refer. D. Blavet in cauſſa Advocati Gajoli contra fratr.*, *& ſoror. Roccatagliata poſt num.* 10.

(5) *In communione*, *vel ſocietate nemo compellitur invitus detineri L. ult. cod. commun. divid.* (3. 37).

DEFINITIO V.

Diviſio rerum communium minori, & majori, hoc ad diviſionem provocante, valere poteſt, licet tutor præſens non fuerit, ſi conſanguinei adſtiterint.

Imo diviſionem, majore ad eam provocante, valere pronunciavit Senatus, quamvis curatores, vel tutores diviſioni non interfuiſſent, eorum quippe abſentiam legitime ſuppleri cenſuit ex præſentia cognatorum, & affinium, quos veriſimile erat, minoris defenſionem, vel propter neceſſitudinem, vel propter caritatem non omiſſuros (✠1). Quæ ſententia a Romano jure non abhorret, juxta quod tutoris, & curatoris auctoritas in aliis cauſſis per cognatos, & affines ſuppleri poteſt, veluti in decernendis alimentis (2), pupillove defendendo (3).

(✠1) *Deciſ.* 12. *martii* 1732. *ref. D. Blavet in cauſſa Advoc. Gajoli contra fratres*, *& ſororem Roccatagliata poſt num.* 10.

(2) *L. ult. ff. ubi pupillus educ. deb.* (27. 2).

(3) *L. Hac autem* 5. §. 1. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſion. eat.* (42. 4).

DEFINITIO VI.

Promiſſio alienandi facta a minore nullius roboris eſt.

Cum legum prohibentium ſententia extendatur ad ea omnia, quæ ex ipſa prohibitione neceſſario conſequuntur (1), vel quæ viam pararent legis violationi (2), idcirco promiſſionem alienandi a minore factam nullius eſſe roboris, Senatus pronunciavit (✠3).

(1) *Argum. L.* 1, *&* 2. *cod. ſi major fac. rat. habuer.* (2. 46).

(2) *L. Oratio* 16. *ff. de ſponſalib.* (23. 1).

(✠3) *Deciſ.* 20. *decemb.* 1645. *refer. D. Vercelli in cauſſa monialium S. Claræ Cunei contra præfectum Varronem* §. *Ulterius*, *ſi reſpiciamus*.

DEFINITIO VII.

Hypotheca bonorum immobilium minoribus ſine judicis decreto prohibetur.

Quia pupilli, aut minoris jus diminuitur in re immobili, ejus obligatio ſine judicis decreto prohibetur: ſive naturalis poſſeſſio in creditorem transferatur, ſive penes pupillum, aut minorem permaneat (✠1): licet enim dominium rei, quæ hypothecæ ſubjicitur, penes debitorem maneat; cum tamen, debitore ſuo tempore non ſolvente, creditori concedatur, pignoratam rem diſtrahere, ut ſibi ſatisfaciat (2), ſpecies quædam alienationis dici poteſt obligatio, ſeu oppignoratio.

(✠1) *L.* 1. §. *Et ſunt verba* 2, *L. Si pupillorum* 7, *L. Si fundus* 33. *ff. hoc tit.* (27. 9), *Deciſ.* 30. *auguſti* 1736. *ref. D. Caſſotti in cauſſa loci Pii S. Coronæ & Marchion Phœbi de Adda contra Civit. Mortariæ* §. *Hinc quamvis in præfata, fere prope finem deciſ.*

(2) *L.* 1, *& paſſim ff. de diſtractione pignorum* (20. 5).

DEFINITIO VIII.

Renunciare ſine ſolemnibus non poteſt minor juri ad immobilia, cujus probabilem ſpem habeat.

Cum renunciatio juribus etiam nondum quæſitis, ſed quorum probabilis ſpes ſit,

ſit, parum diſtet a donatione minoribus regulariter interdicta (1), ex legum ſententia inutilis eſt renunciatio hæc ſine conſenſu curatoris, & judicis auctoritate, ſi ad bona immobilia referatur (✠2). Jure tamen, quo utimur, cautum eſt, ut a quacumque ſolemnitate exemtæ ſint renunciationes, quæ fiunt occaſione matrimonii a mulieribus, aut ingreſſus in religionem a perſonis ætate minoribus utriuſque ſexus, licet reſpiciant bona, quæ actu a renunciantibus poſſideantur (✠3): etiamſi non adſint illi, cujus ſucceſſioni renunciant, aut quorum favorem continet renunciatio, dummodo mulieres congruam acceperint dotem (4).

(1) *V. Titul. præced. XXII. def. VII.*

(✠2) *Argum. L. 1. cod. de fund. dotal.* (5. 23), *Deciſ. 19. decembris 1650. ref. D. Vercelli in cauſa Comit. Urbani Alferii, & Comitiſſæ Rotariæ contra fratr. de Purpuratis §. Harum exceptionum, Deciſ. 28. martii 1647. refer. D. Porat in cauſſa Comitiſſæ Solariæ contra Comit. Aſinarium, ubi agebatur de renunciatione legitimæ paternæ a filia ætate minore.*

(✠3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 14. §. 10, & lib. 5. tit. 15. §. 1., V. Tit. præced. defin. IX. Deciſ. 20. martii 1732. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Langunghi contra Ghelleri §. Pro validitate cenſuit Senatus.*

(4) *D. Lib. 5. tit. 15. §. 1. Reg. conſtit.*

DEFINITIO IX.

Actiones ad res mobiles mobilibus, ad res immobiles immobilibus accenſentur.

Si legibus municipalibus nihil ſingulare cautum ſit, aut ſpeciali conſuetudine receptum (1), cum de alienatione bonorum ad pupillos, vel minores pertinentium quæritur, actiones, quæ ad res mobiles competunt, mobilibus rebus accenſeri, ceteras vero immobilibus, a Senatu jam pridem pronunciatum fuit (✠2); ita ut non aliter rata ſit actionum, vel jurium alienatio, quæ ad res immobiles referuntur, quam ſi ex judicis auctoritate, ceteriſque ſolemnitatibus ſervatis peracta fuerit (✠3); Ita ſane poſtulat pupillorum, & minorum favor, quibus legumlatores proſpicere voluerunt.

(1) *Sic in electoratu Saxonico nomina debitorum, ut & actiones ceteræ in generali bonorum mobilium, & immobilium hypotheca comprehenduntur, Fab. defin. 14. lib. 8. tit. 6. num. ult. in allegat., Sic & in Gallia receptum eſt, ut nomina debitorum, & actiones mobilium nomine veniant, Theſaur. lib. 1. Quæſt. 2. num. 3.*

(✠2) *Deciſ. 30. aprilis 1676. refer. D. Gabuti in cauſſa Boniſilii contra Univerſit. Druenti §. Senatus in hoc caſu.*

(✠3) *D. Deciſ. ref. D. Gabuti, & d. §, & Deciſ. 5. maji 1676. refer. D. Raſini in cauſſa Auditoris Quadri contra Martham §. Quæ ſententia, Theſaur. ibid. num. 5, in fin.*

DEFINITIO X.

Cenſus annui inter immobilia recenſentur a minoribus ſine decreto alienari prohibita.

Cenſus annui, ideſt jus annuos reditus ex cenſu percipiendi, licet in pecunia conſiſtant, ſeu pecunia emantur, cum tamen emantur non tamquam pecunia, ſed tamquam ſolidum corpus, & permanens, & certo pretio æſtimatum (1), rebus immobilibus accenſentur, atque ideo alienari, vel hypothecæ ſubjici a minoribus nequeunt ſine ſolemnibus (✠2).

(1) *Clementin. Exivi de paradiſo 1. verſic. Cumque annui reditus extra de verb. ſignificat.* (5. 11.)

(✠2) *Fab. cod de V. S. lib. 6. tit. 19. defin. 11. allegat. ult., Deciſ. 12. februarii 1678. refer. D. Torrini in cauſſa Vivaldæ contra heredes Pontiæ §. Semel quæſito num. 8.*

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Pharmacopolæ officium, taxus, & bancus actuariæ inter immobilia recenſentur.

Pharmacopolæ officium (✠1), taxus (✠2), & bancus actuariæ (✠3) inter immobilia uſu fori recenſentur. Taxus quidem, cujus appellatione continetur tributum Principi ex fundis ſolvendum, cujus pars interdum ex gravi cauſſa in ſubditos diſtrahitur; quia, cum a re ipſa, ſuper qua impoſitus eſt, debeatur (✠4), atque jure ſupremi dominii a Principe percipiatur, fundi veluti pars videtur. Bancus vero actuariæ, quia jus perpetuum, & reale eſt, quod in heredes tranſmittitur (5): atque idem fere dicendum de ceteris officiis, quæ perpetua ſunt, & ad heredes tranſeunt (6).

(✠1) *Sentent. Senat.* 19. *januarii* 1735 *refer. D. Guillier in cauſſa ſororum Au de Chiapette contra Dubon Vittone, Abecedeſ. obſerv.* 134. *num.* 9., & 10.

(✠2) *Deciſ.* 7. *februarii* 1646. *refer. D. Barberis in cauſſa Oceliæ contra Civit. Claraſci in fin. princip.*

(✠3) *Deciſ.* 12. *januarii* 1682. *refer. D. Torrini in cauſſa Maſſonæ contra Reynaldum in princip., ubi tamen cenſuit, Senatus ſtandum eſſe contractui, quia minor pro ejus vi inſtabat.*

(✠4) *Deciſ.* 16. *januarii* 1643. *refer. D. Appiano in cauſſa Præſidis Ruffini contra Præſidem Taparellum* §. *Hiſce tamen non obſtantibus.*

(5) *Reg. diploma* 5. *mart.* 1694.

(6) *Abecedeſ. d. obſervat.* 134. *num.* 9, 10, & 11. ✠

DEFINITIO XII.

Procuræ officium an poſſit ſine ſolemnibus alienari?

Officium procuræ, æque ac bancus actuariæ, inter immobilia recenſendum, videtur, tamen poſſe alienari ſine ſolemnitatibus cenſuit Senatus; tum ob inductam hujuſmodi conſuetudinem, ea ratione innixam, quod res moram non patitur, nec ſervari diu poteſt, quin vileſcat; tum quia proprietas ejus officii potius reſidere videtur penes collegium procuratorum, quamvis heredes pro pretio jus habeant (✠1).

(✠1) *Deciſ.* 11. *ſeptemb.* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa utrinque Rivi. V. Edict. Caroli Emanuelis I.* 25. *julii* 1620. *penes Borel. pag. mihi* 520.

DEFINITIO XIII.

Alienatio rei immobilis, vel mobilis pretioſæ ad minorem ſpectantis nonniſi ex neceſſitate, & judicis auctoritate fieri ex jure Romano poteſt.

Ut valeat alienatio a tutoribus, vel curatoribus facta rei ad pupillos, vel minores pertinentis, rei inquam immobilis, aut etiam mobilis pretioſæ, quæ tempore non depereat, aut deterior fiat, duo requiruntur 1. Ut neceſſaria ſit alienatio, 2. Ut cauſſa alienationis a judice cognoſcatur, & probetur (✠1): atque duas haſce conditiones jam ſervandas præſcripſerat Severus in diſtractione prædiorum ruſticorum, vel ſuburbanorum (2): atque his addi debet tutoris, vel curatoris interventus (3).

(✠1) *D. L. Lex, quæ tutores* 22. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.), *Deciſ.* 1. *novembris* 1650. *refer. D. Nomis in cauſſa Giantetti in princip., Deciſ.* 11. *ſeptemb.* 1642. *refer. D. Piſcina in cauſſa utrinque Meca per tot.*

(2) *L.* 1. §. *Et ſunt verba* 2. *ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9.)

(3) *D. L. Lex, quæ tutores* 22. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.), *D. L.* 1. §. 2., *L. Magis puto* 5. §. *Non paſſim* 9., & *ſeqq. ff. hoc tit. de reb. eor., V. infra Definit. XXI.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XIV.

Ob æs alienum, quod urgeat, alienari poſſunt bona immobilia minorum.

Quod pertinet ad legitimam alienandi cauſſam, Severus, cujus conſtitutioni ſuam accommodavit Conſtantinus (1), unicam memorat; nempe æs alienum creditoribus urgentibus exſolvendum, quod aliunde, quam ex venditione rerum immobilium diſſolvi nequeat. Æs ergo alienum juſtam præbet cauſſam alienandi bona immobilia, quæ ad pupillos, vel minores ſpectent (✠2), ſi tamen creditores urgeant (3); diſtractio enim immobilium, aut mobilium pretioſiorum, quæ ſervando ſervari poſſunt, tantum permittitur ex neceſſitate; neceſſaria autem dici non poteſt alienatio, cum creditores non inſtant, ut obligatio diſſolvatur.

(1) *L. Magis puto 5. §. Non paſſim 9 ff. hoc tit.* (27. 9.), *L. ult. cod. hoc tit.* (5. 71.)

(✠2) *Deciſ. 7. junii 1760. refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Villioni, & Ricca §. In hiſce circumſtantiis, poſt num. 22., Deciſ. 13. februarii 1730. refer. D. Blavet inter Comit. de Piozzo, Vaſſal. de la Torre, fratres Caggios, & Anſaldum §. In inſtrumentis, & ſeq., Deciſ. 21. junii 1669. refer. D. Leone in cauſ. de Beccariis contra Recroſium §. Neque etiam, Deciſ. 20. novembr. 1770. refer. D. Galli in cauſſa fratrum de Pettardinis contra Gromi §. Novum autem. num. 59.*

(3) *L. Lex, quæ tutores 22. cod. de adminiſt. tut. in princ.* (5. 37.)

DEFINITIO XV.

Quid ſi graviores uſuræ ſolvantur, vel pupillos ſit in mora ſolvendi?

Poſſunt tamen immobilia minorum bona alienari, licet creditores non urgeant, ſi tam graves pro ære alieno ſolvantur uſuræ, ut in damno hæreat pupillus, qui longe minores reditus ex fundo percipiat, quam ſint uſuræ, ad quas tenetur (✠1); ne in odium pupilli detorqueatur lex ejus favore lata, contra quam æquitas poſtulat (a): atque hæc ratio probat, etſi non urgeant creditores, nec graviores uſuræ ſolvantur; ſed pupillus ſit in mora ſolvendi, atque majus damnum pupillo timeatur, ſi repente creditores ſimul inſtent, & jus ſuum proſequantur, bonorum alienationem permitti poſſe, & debere (✠3).

(✠1) *L. Magis puto 5. §. Non paſſim 9. in fine ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9.), *d. Deciſ. 13. februarii 1730. refer. D. Blavet in cauſſa Comit. de Piozzo &c. & d. §.*

(a) *L. Nulla juris 25. ff. de legib.* (1. 3.), *L. Quod favore 6. cod. eod. tit.* (1. 14.)

(✠3) *D. Deciſ. 7. junii 1760. refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Villioni, & Ricca §. Ut hæc rite expenderentur poſt num. 11., Argum. d. L. 25., & d. L. 6.*

DEFINITIO XVI.

Bona immobilia minorum alienari non poſſunt ob æs alienum, quod aliunde diſſolvi poſſit.

Cum judex ex officio pupillorum, & minorum utilitati, atque indemnitati proſpicere debeat, nec ampliſſima facultas ipſi a legibus in hac re conceſſa ſit, ſed prudens arbitrium (1), quamvis æs alienum revera diſſolvendum ſit, & creditores urgeant, non ſtatim permittenda eſt alienatio immobilium pupilli, vel minoris, ſed judex inprimis inquirere debet, utrum aliunde diſſolvi poſſit (2), puta ex pecunia numerata, quam pupillus habeat, vel ex nominibus debitorum, vel etiam ex fructibus prædiorum, aut ex aliis reditibus, vel obventionum ſpe (✠3); alioquin neceſſaria dici

dici non poteſt alienatio; prout requiritur (Definit. XIV.).

(1) *L. Magis puto 5. §. Non paſſim 9, & §. Si æs alienum 14. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9),

(2) *L. 1. §. Et ſunt verba 2. ff. hoc tit. de reb. eor.*

(✠) *D. L. Magis puto 5. §. Non paſſim 9. ff. hoc tit., Deciſ. 9. julii 1732. ref. D. Cavalli in cauſſa Bonelli Canaperii, & Sotteri §. Pro minorum ſecuritate poſt num. 6, D. Deciſ. refer. D. Leone 21. junii. 1669. in cauſſa de Beccariis contra Recroſiu m §. 2. Requirit Lex.*

DEFINITIO XVII.

Res mobiles prius alienari debent, quam immobiles ad æs alienum diſſolvendum.

Cum neceſſaria eſt alienatio bonorum minoris ad diſſolvendum æs alienum, mobiles res, & quidem minus pretioſæ, ſi ad æs alienum diſſolvendum ſufficiant, diſtrahi debent potius, quam immobiles: ſervata tamen ea mobilium, & ſuppellectilis quantitate, quæ uſui pupilli neceſſaria eſt, inſpecta ejus conditione:, vel quæ forte alteri in uſumfructum fuerit relicta (✠1); quia immobiles potius intereſt, in pupilli patrimonio conſervari. Atque hæc etiam fuit veterum legumlatorum ſententia, qui, immobilium rerum alienatione prohibita, mobilium etiam pretioſiorum diſtractionem juſſerunt, ut ex iis pecunia redigeretur, in prædiorum comparationem (2).

(✠1) *L. Magis puto 5. §. Non paſſim 9. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9) *Deciſ. 7. junii 1760. ref. D. Cavalli in cauſſa Naſſotti, Vilioni, & Ricca §. In informationibus, & ſeqq. poſt num. 16.*

(2) *L. Lex quæ tutores 22. cod. de adminiſt. tut. in princ.* (5. 37).

DEFINITIO XVIII.

Ea tantum portio bonorum immobilium minus utilium alienanda eſt, vel oppignoranda, quæ æri alieno diſſolvendo neceſſaria eſt.

Sed &, cum immobilium alienatio neceſſaria eſt, quia aliunde debita urgentia ſolvi nequeunt, diligenter inſpicere debet judex, ut ea tantum portio vendatur, aut pro mutuo obligetur, quæ neceſſaria eſt; neque ex modico ære alieno magna poſſeſſio pupillaris diſtrahatur: atque ut vendantur potius res, quæ minorem afferunt utilitatem, & ex quarum diſtractione minus imminet pupillo damnum (✠1). Hiſce cautelis neglectis, nullius roboris eſt alienatio; non enim libera poteſtas, ſed prudens arbitrium judici conceſſum eſt a legibus (Defin. XV), adeoque, limites tributæ ſibi juriſdictionis prætergrediens, nihil prodeſt ejus decretum jure reprobatum.

(✠1) *D. L. Magis puto 5. §. Idem prætor 10. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9), *D. Deciſ. 9. julii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Bonelli, Canaperii, & Sotteri, & d. §. Pro minorum utilitate, poſt num. 6. Deciſ. 21. junii 1669. ref. D. Leone in cauſſa ſororum de Becariis contra Recroſium §. 3. Debebat probari*

DEFINITIO XIX.

An juſtam alienandi cauſſam præbeant ſterilitas prædii, belli calamitates.

Hinc Senatus nullam cenſuit alienationem a tutore factam bonorum immobilium pupilli, adeoque etiam a tertiis poſſeſſoribus reddenda prædia, reſtituto tamen ſimul pretio bonorum, quod verſum conſtaret in pupilli utilitatem; quamvis facta venditio diceretur ob ſterilitatem prædii, imminentes belli calamitates, atque æs alienum diſſolvendum, prævio judiciali decreto (✠1); quod enim per-

pertinet ad fundi ſterilitatem vel belli periculo, ne utilem quidem, ne dum neceſſariam alienationem demonſtrant; cum utique fructuum modo pretium reſpondeat, uti eleganter reſcripſerunt Imperatores (2): quæ ratio etiam belli periculis accommodatur. Æs autem alienum, quod allegabatur, nondum urgebat: proinde juſtam alienandi cauſſam præbere non poterat (Definit. XIII): nullum proinde viſum fuit a judice ſine ſufficienti cauſſæ cognitione interpoſitum decretum (Defin. præced.).

(✠1) *Decis.* 23. *junii.* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa ſororum de Barbettis contra Ancinam, fratres de Barbettis; & de Laya in princip.*

(2) *L. pen. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9).

DEFINITIO XX.

Alienatio bonorum immobilium pupilli permitti poteſt, quoties pupillo utilis eſt, immo valet, licet ſolemnitates omiſſæ fuerint.

Quamquam Romanæ leges unam alienandi res minorum immobiles juſtam cauſſam, æs nempe alienum creditoribus urgentibus, ſolvendum commemorare videntur (1); quia tamen legum ſententia, quæ ad minorum utilitatem perpetuo reſpiciunt (2), alios quoque caſus complectitur, quibus alienatio minori utilis ſit (3), regulæ generalis inſtar apud pragmaticos obtinet, toties alienationis decretum a judice interponi poſſe, & debere, quoties tanta apparet utilitas, & tam manifeſta, ut prudens quiſque paterfamilias abſque ulla hæſitatione rei alienandæ conſilium capturus eſſet (4), ne in detrimentum pupillorum detorqueatur, atque producatur ad ſeveritatem, quod eorum favore legislatores præſcripſerunt (5). Atque regula hæc æquitati, & germano legumlatoribus conſilio apprime conſentanea pluribus Senatusconſultis non uno tempore ſatis fuit confirmata; quibus definitum eſt, valere alienationem ex cauſſa utilitatis, quamvis omiſſum fuerit judicis decretum, ceteræque ſolemnitates jure Romano, vel municipali præſcriptæ; quippe, cum ſint adinventæ ob pupillorum utilitatem, ſupervacaneum ſit inquirere de mediis, cum conſtat legum finem obtentum fuiſſe (✠6), atque inſuper decretis principalibus tradita (7).

(1) *V. Juriſprud. tom.* 2. §. 553, & *ſeqq. pag.* 133.

(2) *L. Utilitatem* 10. *ff. de confirmand. tutor.* (26. 3).

(3) *V. L. Sive generalis* 61. §. 1. *ff. de jur. dot.* (23. 3).

(4) *Voet. in pandectas hoc tit. num.* 8. *circa finem cum pluribus aliis.*

(5) *L. Nulla juris* 25. *ff. de legib.* (1. 3), *L. Quod favore* 6. *cod. eod. tit.* (1. 14).

(✠6) *Decis.* 20. *decembris* 1689. *ref. D. Malherba in cauſſa Pochettini contra Pochettinos* §. *Idcirco cum de utilitate, Decis.* 14. *aprilis* 1734. *ref. D. Nomis in cauſſa Angleſii contra fratres Pellion* §. *Verumtamen quum de utilitate poſt num.* 18.

(7) *Decretum penes ſolam de alien. bonor., min., & mulier. in princip. pag.* 557, *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 3.

DEFINITIO XXI.

Tutoris legitimi interventus neceſſarius eſt in alienatione bonorum immobilium ad pupillos, vel minores ſpectantium.

Alienatio bonorum immobilium pupilli, vel minoris non valet, niſi intervenerit auctoritas tutoris, vel curatoris (1), & quidem legitimi, ideſt teſtamento, vel lege, vel judicis auctoritate ad tutelam vocati (✠2); qui enim auctoritatem non habet, firmare contractum auctoritate, vel conſenſu ſuo non poteſt.

(1) *L.* 1. §. *Et ſunt verba* 2, *L. Magis puto* 5. §. *Non paſſim* 9, & *ſeq. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9).

(✠2)

(✠2) *L. Titium 47. §. A matre datum 3. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor (26. 7). Deciſ. 5. ſeptembris 1737. ref. D. Brucco in cauſſa Advocati de Blandrate contra Marchion. Cevæ §. Cum itaque num. 32, Deciſ. 22. martii 1673. ref. D. Rolando in cauſſa utrinque Truechi §. Quia vulgata, Deciſ. 9. julii 1664. ref. D. Viliono in cauſſa fratr. de Maſſenis contra Maruccum in princip., Deciſ. 21. junii 1669. ref. D. Leone in cauſſa ſororum de Bec cariis contra Recroſium §. Quarto de prædictis.*

DEFINITIO XXII.

Quid ſi tutor, vel curator ad certam cauſſam tantum datus ſit: vel adminiſtratio inter tutores diviſa?

Hinc nullius quoque momenti eſt diſtractio rerum pupillarium, aut ad minorem pertinentium facta ab eo tutore, vel curatore, qui ad aliam certam cauſſam datus ſit, vel cui adminiſtratio judicis imperio fuerit interdicta, aut ab uno ex pluribus, inter quos diviſio adminiſtrationis per partes, vel per regiones facta a judice fuit, ſi de re agatur, cujus adminiſtratio ex facta diviſione ad contutorem pertineat (✠1), quia in ſingulis hiſce caſibus caret tutor poteſtate bona adminiſtrandi (2). Quo etiam fundamento pronunciavit Senatus, alienationem fundi utilioris a matre tutrice factam quamvis teſtamento data facultas fuiſſet alienandi; quia mater ad ſecunda vota tranſierat, retenta quidem tutela ex Principis reſcripto, quod tamen ſubrepſerat, & violaverat, facultas autem alienandi conceſſa intelligenda eſſet, dum vidua, & tutrix permaneret. (✠3).

(✠1) *Deciſ. 19. julii 1747. ref. D. Laurenti in cauſſa fratrum, & ſororum Marchion. de Inciſa contra March. Bellonum §. Non ne curator, V. Quæ diximus Iuriſprud. tom. 2 §. 372, & ſeq. p. 93.*

(2) *L. Vel in partes 4. ff. de adminiſtr. & peric. tutor. (26. 7), L. Si diviſio 2. verſ. In diviſionem cod. de divid. tut. (5. 52) L. ult. cod. de auctoritat. tutor. (5. 59).*

(✠3) *Deciſ. 19. junii 1737 refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis contra Gibellinam, §. His adde poſt num. 65, & §. Nec opitulari poſt num. 76.*

DEFINITIO XXIII.

Judex, non niſi cauſſa diligenter cognita, alienationem permittere debet.

Decretum judicis, quo permittatur alienatio bonorum immobilium pupilli, vel minoris, præcedere debet diligens cauſſæ cognitio (1): eaque prætermiſſa, decretum, tamquam temere, & perperam interpoſitum, nullam vim habet ad confirmandam alienationem (✠2). Hinc reſcripſerunt imperatores, non ſufficere, ſi per procuratorem libello manifeſtetur judici venditio, ſed omnimodo cauſſas alienationis apud acta probanda eſſe, futurum alioquin, ut viribus venditio careat (3); quæ enim decretum deſiderant, cum ſimul cauſſæ cognitionem requirant, ſine qua legitime decretum interponi non poteſt (4), per libellum nequeunt expediri (5). Quamquam alienatio etiam ſine judicis decreto celebrata ſuſtinetur ſi pupillo utilis ſit (Def. XIX).

(1) *L. Magis puto 5. § Non paſſim 9. & ſeqq. ff. hoc tit. de reb. eor. (27. 9), L. ult. cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor. (5. 71).*

(✠2) *D. Deciſ. 19. julii 1747. refer. D. Laurenti in cauſſa fratrum, & ſoror. de Inciſa contra March. de Inciſa §. Quid enim prodeſt, D. Deciſ. 21. junii 1669. ref. D. Leone §. in cauſſa ſoror. de Beccariis contra Recroſium § 4. de prædictis, deciſ. 11. ſeptembris 1734 ref. D. Demorra in cauſſa concur. Ioſephi Braya §. Præterea reſolutum num. 3. in fin., Deciſ. 11. ſeptembris 1643. ref. D. Appiano in cauſſa Malloni contra Allionum §. Et dato non tamen.*

(3) *L. Minorum 6. cod. hoc tit. de præ. & al. reb. minor. (5. 71).*

(4)

(4) *L. Nec quiſpiam* 9. §. 1. *ff. de offic. proconſul.* (1. 16).
(5) *L. Omnia* 71. *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XXIV.

Qua ratione judex ſe inſtruere debeat, utrum permittenda ſit alienatio, nec ne?

Judex, cum de alienandis bonis immobilibus pupillorum, & minorum quæritur, cavere debet, ne tutoribus, & curatoribus nimis facile fidem adhibeat (✠1); quia lucri ſui, vel alterius cauſſa contingere poteſt, ut affirment neceſſariam eſſe venditionem immobilium, quæ tamen prætermitti poteſt. Quare vocandi ſunt pupilli, vel minoris conſanguinei, affines, amici, vicini, vel alii, quicumque ſint, dummodo notitiam rerum pupillarium habeant: vel, ſi nemo inveniatur, aut ſuſpecti ſint, qui inveniuntur, decernere oportet, ut edantur rationes, & ſynopſis bonorum pupillarium: immo etiam, ſi ita expedire judicaverit, advocatum pupillo dare, qui ipſum inſtruat, utrum aſſentiri alienationi, vel obligationi debeat, nec ne (2), ſi ex his alienationem pupillo expedire cognoſcat, decretum interponet, ſine quo nullius momenti alienatio futura eſſet (3).

(✠1) *D. L. Magis puto* 5. §. 11 *ff. h. t. de reb. eor.* (27. 9.), *Deciſ.* 31. *junii* 1669. *ref. D. Leone in cauſſa ſoror. de Becariis contra Recroſium* §. 1. *Requirit lex.*

(2) *D. L.* 5. §. 11. *ff. hoc tit.*, *V. Reg. Conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 3., *ubi ſigillatim modus inquirendi præſcribitur*, *V. decret. penes Solam de alienat. bonor. minor. &c. pag.* 557.

(3) *L. Non eſt vobis* 2., *L. Cum emancipatis* 3. *cod. hoc tit. de præd.*, *& aliis reb. minor.* (5. 71).

DEFINITIO XXV.

Alienatio non valet, ſi judicis decretum interpoſitum non fuerit, vel male interpoſitum, vel ſi ejus forma ſervata non ſit.

Alienatio bonorum immobilium pupilli, vel minoris facta ſine judiciali decreto, quo probata fuerit, nulla eſt, quamvis cetera interſint, quæ ſimul ad vim alienationis leges requirunt, ita ut ne opus ſit in integrum reſtitutione ad eam reſcindendam (✠1); judicis enim decretum præcipua inter ſolemnitates eſt, quæ imo ceteras comprehendit. Parum autem intereſt, utrum judicis decretum omiſſum fuerit, an male interpoſitum, puta per errorem, falſis allegationibus circumventa prætoris religione (2). Atque hinc nec valet alienatio, ſi decreti forma ſervata non fuerit (✠3).

(✠1) *L. Non eſt vobis* 2, *& L.* 3. *cod. hoc tit.* (5. 71), *Deciſ.* 8. *maji* 1690. *ref. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Maſſeriis contra Com. Ponteſpatis* §. *Nec obſtat.*

(2) *L. Etſi præſes* 5. *cod. hoc tit.*, *L.* 1. §. *Ei ſunt* 2, *L. Magis puto* 5. §. *penult. ff. hoc tit. de reb. eor.* (27. 9).

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Gabuti* §. *Et eo magis reſolutum*, *L. Cum hi* 8. §. *Si prætor* 17. *ff de tranſact.* (2. 15).

DEFINITIO XXVI.

Solemnitates alienationis aliæ ſunt extrinſecæ, aliæ intrinſecæ.

Interventus propinquorum, æſtimatio bonorum, & licitatio, quæ ex uſu fori in alienatione bonorum ad minores ſpectantium ſervari debent, ſolemnitates extrinſecæ vocari poſſunt (✠1): quæ autem pertinent ad juſtam alienandi cauſſam, modum ſervandum in qualitate, & quantitate bonorum, ſolemnitatum extrinſecarum nomine non inepte donantur.

(✠1) *Deciſ. 7. junii 1760. refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti, Vilioni. & Ricea* §. *Ceteras nunc venditionis, poſt num.* 38.

DEFINITIO XXVII.

Solemnitates in alienatione bonorum immobilium pupilli, vel minoris municipali jure præſcriptæ ſervari æque debent, ac illæ, quæ Romano jure ſtatuuntur.

Romano quidem jure inſpecto, præter tutoris interventum, juſtam cauſſam, & decretum judicis, prævia cauſſæ cognitione interpoſitum, nullæ præſcribuntur ſolemnitates, ut omnes fere conſentiunt: ſed uſu fori, ſeu jure municipali aliæ inductæ ſunt apud pleraſque gentes. Si autem jure municipali, vel ſtatuto in alienatione bonorum immobilium minoris præſcribantur quædam ſolemnitates, præter eas, quæ jus Romanum requirit, æque ſervandæ ſunt; ita ut, iis omiſſis, nulla ſit alienatio, perinde ac ſi judicis decretum, & ſimilia non intervenissent; utique ſi eadem ſeveritate pro ſubſtantia, ſeu pro forma actus, prout loquuntur pragmatici, præſcriptæ fuerint (✠1), etenim jus municipale eandem vim habet, ac Romanum (2); cum immo Romanum non niſi ex libera principum voluntate vim habeat.

(✠1) *D. Deciſ. 8. maii 1690 refer. D. Gabuti in cauſſa fratr. de Maſſenis contra Comit. Ponteſpatis* §. *Verum omiſſa pro nunc, Deciſ. Senat. Caſal. 24. novembris 1703. refer. D. Biliono in cauſſa utrinq. Mirolio in princip., Deciſ. 11. ſeptembris 1643. refer. D. Appiano in cauſſa Malloni contra Allionum* §. *Primo, quia non fuerunt, in princip. deciſ.*

(2) §. 1. *inſtit. de jure naturali genti, & civil.* (1. 2).

DEFINITIO XXVIII.

Solemnitates, quæ in alienatione bonorum immobilium minoris præſcribuntur, contraria conſuetudine tolli poſſunt.

Solemnitates juris communis, & municipalis in alienandis bonis minorum immobilibus contraria conſuetudine poſſunt abrogari; cum enim conſuetudinis eadem vis ſit, ac legis (1) quemadmodum contraria lege tolli poſſunt, ita nec dubitandum, quin & abrogentur contraria conſuetudine; niſi aliud præſcriptum demonſtretur, dummodo tamen, quia de re graviſſimi momenti agitur, ratione nitatur hujuſmodi conſuetudo, & legitime inducta probetur (✠2).

(1) *L.* 1. *cod. quæ ſit longa conſuetudo* (8. 53), *L. De quibus cauſſis* 32. §. 1. *ff. de legib.* (1. 3).

(✠2) *Deciſ. Senat. Caſal. menſ. ſeptembris 1672. ref. D. Berti in cauſſa Natta contra communit. Tonci* §. *ult., Deciſ. 25 auguſti 1751. refer. D. Rotario in cauſſa Loci Morani Comunæ Montiſferrati, & ejuſdem loci, nec non illius Cunioli municipes, & alios* §. *Quantum vero ad ſolemnitates num.* 14, *ubi de alienandis rebus univerſitatum, quæ eodem jure reguntur, ac minores. Fab. cod. de legib. lib.* 1. *tit.* 5. *defin.* 5. *num.* 52 *in allegat., L. Manumiſſio* 23. *ff. de manumiſ. vindicta* (40. 2).

DEFINITIO XXIX.

Conſanguineus duplicem gerere poteſt perſonam nempe tutoris, & conſanguinei in alienatione probanda bonorum immobilium pupilli.

Quamquam jure romano in alienatione bonorum immobilium pupilli, vel minoris præter tutoris interventum, & judicis decretum non prius interponendum, quam, diligenti adhibita inquiſitione, innoteſcat, juſtam ſubeſſe alienandi

cauſſam, nihil amplius requiritur (1), jure tamen municipali duorum teſtium, atque duorum conſanguineorum interventus, & conſenſus exquirendus a judice eſt, priuſquam permittat alienationem (2). Hinc orta difficultas, an tutor, vel curator, qui pupilli, vel minoris conſanguineus ſit, duplicem gerere poſſit perſonam, nempe tutoris, & conſanguinei; cum autem lex municipalis a jure communi exorbitet, adeoque ſtricte potius ſit interpretanda (3), merito placuit, conſanguineum tutoris ſimul, & conſanguinei perſonam ſuſtinere poſſe (✠4); prout in aliis caſibus id quoque receptum eſt in jure romano, veluti in præſide, qui apud ſe adoptare, & emancipare poteſt (5), & ſimilibus (6). Neque objiciatur, hac admiſſa ſententia, vix quidquam ſupra jus commune a lege municipali requiri: nam, prærerquamquod non ſemper contingit, ut tutor, vel curator conſanguineus ſit, adhuc alterius conſanguinei conſenſus exquirendus eſt; neque legum interpretatio ita neceſſario fieri debet, ut in ſingulis caſibus proprium, & ſingularem omnino ſortiantur effectum.

(1) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 601. *p.* 144.
(2) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 3.
(3) *Argum. L. Præcipimus* 32. §. *ult. cod. de appellat.* (7. 62)
(✠4) *Deciſ.* 21. *maii* 1732. *refer. D. Bianchis in cauſſa fratrum de Angleſio contra Fratr. Pellion.* §. *Nec ullius momenti num.* 7.
(5) *L. Præſes* 1. *ff. de offic. præſid.* (1. 18).
(6) *L. Tutorem* 22. *ff. de his, quæ & indign.* (34. 9), *L.* 1. *ff. de manumiſſ. vindic.* (40. 2).

DEFINITIO XXX.

An conſanguineus teſtis ſimul, & conſanguinei jure regio vices gerere poſſit?

Quemadmodum tutor, vel curator ſimul gerere poteſt perſonam tutoris, vel curatoris, & conſanguinei (Def. præc.), ita conſanguineus duplicem ſuſtinere poteſt perſonam, nimirum conſanguinei, & teſtis de utilitate alienationis, ut ajunt, informantis, non tantum in illis locis, in quibus ex conſuetudine præter conſanguineos duo teſtes adhiberi ſolent, ſed & ubi conjunctim duo teſtes, & duo conſanguinei adeſſe jubentur (✠1); cum enim judex de neceſſitate, vel utilitate alienationis ſe inſtruere aliunde poſſit, teſtium depoſitio neceſſaria non videtur, niſi expreſſe, & ſigillatim præcipiatur. Neque movet exemplum ſtipulationum, aut ultimarum voluntatum, in quibus conditiones conjunctim appoſitæ ſingulæ implendæ ſunt (2), ad diſcrimen earum, quæ disjunctim adjiciuntur, quarum unam ſufficit implere, ex præſumpta alterius contrahentis, vel teſtatoris voluntate; non enim negamus, utramque conditionem adimplendam eſſe, nec dicimus ſufficere duos teſtes, omiſſis conſanguineis, vel viceverſa: ſed defendimus, utramque conditionem per eaſdem perſonas impleri poſſe; ſi & ſimul tamquam teſtes de neceſſitate, vel utilitate alienationis judicem inſtruant, & tamquam conſanguinei eidem præbeant conſenſum. Sane hæc duo longe diverſa ſunt: prius legiſlatorum, aut populi conſuetudinem inducentis conſilio repugnat, non alterum, maxime ubi agitur de lege contraria juri romano, quod tamquam communis juriſprudentiæ fons apud omnes fere gentes exiſtimatur. Ceterum noviſſimo, quo nunc utimur, jure inſpecto, non videntur conſanguinei duplicem perſonam, teſtium, & propinquorum gerere poſſe; quippe diſtincte jubetur, & teſtium depoſitio, utrum cauſſa alienationis neceſſaria, vel utilis ſit: atque inſuper conſanguineorum conſenſus, vel, iis deficientibus, vicinorum exquiri mandatur (3): quæ loquendi formula duplicitatem perſonarum excludere videtur (✠4)

(✠1) *D. Dec ſ. refer. D. Bianchis* (*Defin. præced.*), *& d.* §., *Deciſ.* 7. *junii* 1760 *refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſetti contra Vilignum* §. *At hanc rem*, 10.

num. 4, Deciſ. 5. mart. 1771. refer. D. Friehignono in cauſſa Margaritæ Vaudanæ contra Vaudanum, & Bilionum §. Majoris momenti non erat.

(2) §. *Si plures* 11. *inſtit. de heredib. inſtituend.* (2: 14), *L. Si quis* 29. *ff. de verb. obligat.* (45. 1).

(3) *Reg. conſtit. anni* 1770. *lib.* 5. *tit.* 11. §. 3.

(✠4) *Deciſ.* 20. *novembris* 1770. *refer. D. Galli in cauſſa fratrum de Petterdinis contra Gromi num.* 92. *in allegat.*

DEFINITIO XXXI.

Quibus caſibus de re conſanguineorum agi videatur in alienandis bonis immobilibus pupillorum, & minorum.

Cum jure regio conſenſus, ſeu conſilium conſanguineorum exquiri debent, quoties alienanda judici proponuntur bona minorum immobilia, conſanguineorum, inquam, de quorum re non agatur (1), dubitari poteſt, quibus in caſibus agi videatur de re conſanguineorum; quia autem conditio hæc non alio fine deſideratur, quam ut ab omni ſuſpicione expers ſit eorum conſilium, & aſſenſus, tunc tantum de eorum re agi intelligitur, cum damnum aliquod, vel emolumentum ex alienatione ipſis eſt obventurum; ita ut timeri poſſit, ne ad illud vitandum, vel ad hoc comparandum temere conſenſum denegent, vel nimia præſtent facilitate. Quare pronunciavit Senatus, non obeſſe legitimo conſanguineorum aſſenſui, quod creditores minoris ſint, ſi negotium hoc alienationem, de qua agitur, non afficiat (✠2): ſed contra traditum, rem geri in ea ſpecie, qua venditio rei pupillaris prius facta fuerit privatim, & conſanguinei venditionis fidejuſſores extiterint (✠3).

(1) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 3,

(✠2) *D. Deciſ.* 21. *maii* 1731. *refer. D. Bianchis in cauſſa fratrum de Angleſio contra fratres Peltien* §. *Sicuti quoque num.* 9. *Quamvis enim rem minoris vendi intereſſe poſſit creditoris, quatenus ſolutionem facilius obtinebit, directe tamen ipſius res non agitur, atque interdum nec indirecte: adeoque legis ſolemnitates præſcribentis verba ad hunc caſum extendi non debent.*

(✠3) *Deciſ.* 8. *maii* 1690. *refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Maſſenis contra Comit. Ponteſpatis* §. *Hic autem fuerunt adhibiti; fidejuſſoris enim maxime intereſt, ut a ſuſcepta obligatione ſolvatur promiſſor, quippequo deficiente ipſe tenetur. princ. inſtit. de fidejuſſorib.* (3. 21).

DEFINITIO XXXII.

Subhaſtationes hodie præſcribuntur in alienationibus bonorum immobilium pupilli, vel minoris.

Cum vetere jure noſtro præceptæ non fuerint ſubhaſtationes in rebus minorum, & pupillorum (1), quamvis inducta conſuetudo proponatur, ut præviis ſubhaſtationibus pupillorum, & minorum bona vendantur, quæ alienationis ratio tutior eſt, & minus obnoxia fraudibus, non inde concludi poteſt, ſervandas fuiſſe in hiſce ſubhaſtationibus ſolemnitates, quæ pro ſubhaſtationibus aliorum bonorum immobilium, puta eorum, quæ jure pignoris a debitoribus capta ſunt, præſcribuntur (✠2), ſed ſervandæ fuerunt uniuſcujuſque loci conſuetudines (✠3); ne legum ſanctiones ad ea trahantur, de quibus non cogitavit legislator. Sed jampridem apud nos bonorum ſubhaſtatio præſcripta eſt in hiſce alienationibus (4).

(1) *Decretum apud Solam de alienat. bonor. minor., & mulier. pag. mihi* 557.

(2) *Abeeleſ. part.* 1. *obſerv.* 134. *num.* 5. ✠, *Deciſ.* 18. *maii* 1744. *ref. D. Celebrino in cauſſa utrinq. Careſana num.* 20, *Deciſ.* 7. *junii* 1760. *refer. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti contra Villionum, & Riccam* §. *Verumtamen conſideratum, poſt num.* 47.

(✠3) *Abecceleſia d. loco, Deciſ.* 20 *decembris* 1689. *refer. D. Malherba in cauſſa utrin-*

utrinque Pocchettini §. *Circa defectum*, & §. *Res enim*, *d. Deciſ. refer. D. Cavalli* §. *In his enim*, *poſt num.* 48.

(4) *V. Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11 §. 2, & 3, *ubi in margine allegat. edictum D. Caroli Emanuel. I. anni* 1582.

DEFINITIO XXXIII.

Quid de prævia ſubhaſtationi bonorum æſtimatione?

Quæ de ſubhaſtationibus rerum ad pupillos, vel minores pertinentium modo diximus (Defin. præced.), æſtimationi, quæ ſubhaſtationi prævia fieri ſolet, conveniunt; æſtimatio enim, quemadmodum & ſubhaſtatio, potius conſuetudine inducta eſt, & veluti cautela ad tollendas fraudis, & damni ſuſpiciones (✠1). Quare nihil intereſt, a quo facta ſit, & quomodo, dummodo ab eo facta proponatur, qui valorem bonorum ſcire non immerito præſumatur, quamvis alia occaſione facta fuerit (✠2). Ceterum jure, quo jam pridem utimur, omnis quoque in hac re dubitationis occaſio ſublata eſt; quippe quo cautum, ne aliter minorum bona immobilia a judice vendi permittantur, quam publica auctione, prævia periti æſtimatione (3); atque ne judex prius contractum ſcriptura perfici mandet, decretumque interponat, quam ipſi conſtiterit, legitime eas peractas fuiſſe (4)

(✠1) *Deciſ.* 22. *Martii* 1673. *ref. D. Rolando in cauſſa utrinque Trucchi* §. *Ex quibus apparet*, *prope finem*, *Deciſ.* 25. *auguſti* 1751. *refer. D. Rotario in cauſſa loci Morani contra Municipes*, §. *Tota itaque num.* 8., *d. Deciſ.* (*Def. præc.*) *ref. D. Cavalli in cauſſa Maſſotti* §. *Illud hinc poſt num.* 53 *loquimur de jure vetere ante regias ſanctiones anni* 1729.

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Cavalli* §. *Verum ne quidem poſt num.* 55. *juncto* §. *Sequitur æſtimatio poſt. num.* 52.

(3) *Reg. conſtit. ann.* 1729. *lib.* 5. *tit.* 10. §. 3, *Reg. conſtit. ann* 1770. *lib.* 5. *tit.* 11. §. 5.

(4) *Reg. conſtit. an.* 1729. *ibid.* §. 4, & *an.* 1770. *ibid.* §. 6.

DEFINITIO XXXIV.

Alienatio non jure facta ſuſtinetur, ſi minor velit, eique utilis ſit.

Alienatio non jure facta ſuſtineri poteſt, ſi minor velit, eique utilis ſit; cum in ejus ſit arbitrio, contractus obſervantiam urgere, vel ejus reſciſſionem (✠1): ne in odium minoris detorqueatur, quod illius favore legumlatores induxerunt, quod a naturali æquitate alienum eſt (2). atque ita in foro receptum (Defin. XX).

(✠1) *Deciſ.* 5. *ſeptembris* 1653. *refer. D. Beccaria in cauſſa fratr. de Priola contra Zabaldanum* §. *Neque obſtabat*, *Deciſ.* 29. *auguſti* 1774. *refer. D. Gavutio in cauſſa Croſettæ contra Macrum* §. *In hac re animadvertebunt*, *ubi de venditione bonorum fatuæ facta a curatore ſine ſolemnibus*, *quæ tamen Princeps ſuppleverat*, *ſi utilis probaretur*

(2) *L. Nulla juris* 25. *ff. de legibus* (1. 3), *L. Quod favore* 6. *cod. eod. tit.* (1. 14).

DEFINITIO XXXV.

Res minoris perperam alienata vindicari poteſt una cum fructibus.

Minores, quorum immobilia bona perperam diſtracta fuerint, agere poſſunt contra bonorum poſſeſſores, ut res male alienata ipſis reſtituatur actione reali, ſeu vindicatione (✠1): quæ actio etiam in ipſorum heredes tranſit; cum enim non aliter ex legum ſanctione transferri poſſit dominium rei immobilis, quæ pupilli, aut minoris ſit, quam ex juſta cauſa, & ſervatis ſolemnitatibus, altero deficiente, rei dominium penes eundem pupillum, vel minorem remanet (2), quod in ejus heredes transfertur. Nec tantum reſtituenda eſt res ipſa, ſed etiam ejus fructus, utpote ex re aliena percepti (✠3); fructus

Digitized by Google

inquam, omnes, tum naturales, tum induſtriales, tum civiles, quia in omnibus eadem viget ratio.

(✠1) *L. Magis puto 5. §. Manet actio 15. ff. hoc tit. de reb. cor. (27. 9), L. Non ſolum 4, L. Prædia 8. cod. hoc. tit. de præd.; & aliis reb. minor. (5. 71), Deciſ. 11. auguſti 1642: refer. D. Abecceleſia in cauſſa Machiurlatæ contra Chiappos in fin. princip.*

(2) *D. L. Prædia 8. cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor. &c.*

(✠3) *L. Si contra 2. cod. Si quis ignorans rem minoris (5. 73), Deciſ. 15. ſeptembris 1656. ref. D. Beccaria in cauſſa Pontiæ prope finem.*

DEFINITIO XXXVI.

Quoad tempus reſtituendorum fructuum tenenda eſt diſtinctio inter poſſeſſorem bonæ, vel malæ fidei.

Si autem quæratur, a quo die reſtitui debeant fructus, quos modo reſtituendos eſſe diximus (Defin. præced.), vulgata diſtinctio inter poſſeſſorem bonæ, vel malæ fidei locum habet (1); ita ut etiam primus acquiſitor non niſi a die motæ litis fructus reſtituere teneatur, ſi bona fide rem immobilem minoris perperam acquiſierit (✠2). Hæc autem diſtinctio, ut per ſe patet, potiori ratione recipienda eſt in tertio poſſeſſore, quippequi alienationis vitium facilius ignorat (✠3).

(1) *De qua in §. Si quis a non domino 35. inſtit. de rer. diviſion. (2. 1), V. Juriſprud. Tom. III. §. 653., & ſeqq. pag. 163, ubi de hac re late diſputavimus.*

(✠2) *Theſaur. deciſ. 29. num. 5. ✠, & in additionib. litera C, Deciſ. 11. ſeptembris 1734. ref. D. Demorra in cauſſa concurſ. Joſephi Braya §. Reſciſſa vero num. 8, Deciſ. 30. januarii 1732 ref. D. Provana in cauſſa de Griſeriis contra de Thomatis §. Quo vero ad fructus.*

(✠3) *Deciſ. 23. junii 1732. refer. D. Nomis in cauſſa ſororum de Barbettis contra Phyſicum Aneinam, & alios, §. Sed cum adverſus, poſt. num 4.*

DEFINITIO XXXVII.

Fructus quomodo æſtimentur? An uſuræ fructuum loco dari poſſint?

Fructus autem æſtimari non debent, quanti plurimi aliquando fuerint, ſed ſecundum valorem cujuſque anni, quo conſumi ſolent (✠1); quia valor quanti plurimi non debetur pro iis rebus, quæ periiſſe cenſentur; quæ ideo æſtimationis amplius capaces non ſunt. Sed, quia valor fructuum difficile æſtimatur, electionem dedit Senatus poſſeſſori, utrum dare mallet fructuum æſtimationem, an uſuras ſecundum communem conſuetudinem (✠2).

(✠1) *L. Vinum 22. ff. de reb. credit. (12. 1), Deciſ. 13. novembris 1648 ref. D. Barberis in cauſſa Baranzanæ contra Auditorem Beccariam, & Baronium §. Quoad fructus.*

(✠2) *D. Deciſ. §. Cenſuit Senatus, Fab. cod. de fructibus, & litium expens. lib. 7. tit. 18. defin. 20.*

DEFINITIO XXXVIII.

Alienatione reciſſa, minor pecuniam in rem ipſius verſam reſtituere debet cum uſuris.

Si minor, reciſſa alienatione, poſtulet rem ſibi reſtitui, acceptam pecuniam ſolvere tenetur, ſaltem quatenus in ejus utilitatem verſam fuiſſe conſtat cum uſuris (✠1); ita ut emtor exceptione doli mali ſe defendere poſſit, atque a reſtitutione cum fructibus liberari, ſi minor pretii, atque uſurarum perceptarum ſolutionem detrectet (2): minoribus ſuccurrunt leges, ne propter ætatis imbecillitatem in damno hæreant; non vero, ut cum iniquo alterius diſpendio locupletentur (3).

(✠1) *Abeccleſia part. 1. obſerv. 164. num. 8. ✠, Oſaſc. deciſ. 160. num. 3, Deciſ. 11. auguſti 1642 ref. D. Abeccle-*

Digitized by Google

ſta in cauſſa Machiurlatæ contra Chiappos §. *Mandavit tamen*, *d. Deciſ.* 23. *junii* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa ſororum de Barbettis contra Ancinam* §. *Sed cum adverſus*.

(2) *L. Uterc* 14. *cod. hoc tit. de præd., & al. reb. minor.* (5. 71).

(3) *L. Nam hæc natura* 14. *ff. de condition. indebit.* (12. 6).

DEFINITIO XXXIX.

Verſa in utilitatem pupilli cenſetur pecunia, quæ ultra reditus conſumta eſt, ſi reditus honeſtis alimentis non ſufficiant.

Pecunia in utilitatem pupilli verſa Senatui viſa eſt etiam illa, quæ ultra reditus conſumpta fuerat, cum hi pro honeſtis alimentis non ſufficerent, quamvis decretum de iis præſtandis non fuiſſet interpoſitum (✠1); quia, quod a tutoribus bona fide erogatur, potius juſtitia, quam aliena auctoritate firmatur (2): neque cogendus eſt tutor, ut de ſuo pupillum alat, vel in mendicandi neceſſitatem conjiciat (3).

(✠1) *D. Deciſ.* 24. *junii* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa ſororum de Barbettis contra Ancinam, & alios* §. *Sed cum adverſus*.

(2) *L. Sumptus* 5. *cod. de adminiſtrat. tut.* (5. 37).

(3) *L. Quid ergo* 3. *ff. de contr. tut. act.* (27. 4).

DEFINITIO XL.

An, & quibus caſibus reſtitui debeant impenſæ melioris effecti prædii, ſeu melioramenta.

Quæ de pretio, & fructibus rei a minore male diſtractæ diximus (Def. XXXVIII), eadem obtinent in melioramentis, ſeu expenſis melioris effecti prædii; quippe pro his fatentur omnes, dandam eſſe poſſeſſori retentionem (✠1), ſive neceſſariæ, ſive utiles ſint, etiam ſi amplius non extent impenſæ ipſæ, vel res, in quas factæ ſunt, dummodo de bonæ fidei poſſeſſore agatur; ſed malæ fidei poſſeſſor neceſſarias tantum impenſas repetit, vel utiles, quatenus ſuperſunt, & res melior facta eſt: voluptuariæ utrique reſtituuntur, quatenus ſine rei detrimento ab ea ſeparari poſſunt (2): niſi tamen ex fructibus melioramentorum compenſentur, ut ſæpe contingit (✠3); aut melioramenta illiquida ſint; quippe tunc denegatur retentio, injuncto tamen vindicanti cautionis onere de iis reficiendis, ſi probentur (✠4). Meliorationum autem pretium judex pro ratione probationum, maxime in obſcuris poteſt arbitrari (✠5); quamquam peritorum æſtimatio regulariter præcedere debet, (ut & in æſtimandis fructibus) quorum judicium depoſitioni teſtium prævalet (✠6).

(✠1) *L. Sumptus* 48, *L. Emtor* 65. *ff. de rei vindicatione* (6. 1), *Deciſ.* 11. *Septembris* 1734. *refer. D. Demorra in cauſſa Concurſ. ſuper bonis Joſephi Brayæ* §. *Reſciſſa vero tranſactione num.* 8.

(2) *L. Plane in ceteris* 38. *ff. de hereditatis petitione* (5. 3). *Quæ autem impenſæ neceſſariæ, utiles, vel voluptuariæ ſint, docet Gajus in L.* 39. *ff cod. tit.*

(✠3) *D. L. Sumtus* 48, *d. L. Emtor* 65. *ff. de re vindicat. Deciſ.* 27 *januar.* 1649. *ref. D. Abeccleſia in cauſſa Rocchiardæ contra Galletium* §. *Secundo mater.*

(✠4) *L. ult.* §. 1. *cod. de compenſat.* (4. 31), *Reg. Conſtit. lib.* 3. *tit.* 31. §. *ult.*, *D. Deciſ. ref. D. Abeccleſia, & d.* §. *Deciſ.* 13. *novembris* 1648 *refer. D. Barberis in cauſſa Baranzanæ contra Beccariam. & Baronium* §. *Senatus tamen.*

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Demorra in cauſſa Conc. Brayæ* §. *Reſciſſa vero num.* 8, *L. In fundo* 38. *ff. de rei vindicat.*

(✠6) *Argum. L. Teſtium* 3. §. *Ejuſdem quoque* 2. *ff. de teſtibus* (22. 4), *Deciſ.* 8. *maji* 1690. *refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Maſſenis contra Comit. a Ponteſpatis in fine.*

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XLI.

Impenſæ melioris effecti prædii ex uſu fori actione petuntur.

Quamquam, Romano jure inſpecto, actio poſſeſſori non datur ad repetendas impenſas melioris effecti prædii, ſed ſola exceptio (1), quæ eodem jure etiam poſt ſententiam objici poteſt ad impediendam rei judicatæ executionem (niſi poſſeſſor per fraudem protraxerit judicati executionem, & ſumptuum æſtimationem (2)), quamvis de iis nulla mentio facta fuerit in ſententia, quippequæ ex naturali æquitate debentur (3): (quod jure regio non probatur, cum denegetur retentio pro melioramentis, niſi propoſita fuerint ante concluſum in cauſſa, & aliqualis eorum probatio edatur (4)): quia tamen regulæ huic plures tradiderunt exceptiones Romani ipſi Jureconſulti favore mariti, commodatarii, & fiduciarii heredis (5), pro impenſis in res dotales, commodatas, vel ex fideicommiſſo reſtituendas factis, in foro apud omnes fere gentes receptum eſt, ſuadente naturali æquitate, ut non tantum retentio, ſed & actio detur tum bonæ, tum malæ fidei poſſeſſoribus ad recuperandas impenſas, quas deducere poſſunt (✠6); ne alioquin alter cum alterius jactura contra æquitatem locupletetur (7).

(1) *L. Si in area 33. in fin. ff. de condiction. indebit.* (12. 6).

(2) *Fab. cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 22. def. 15.*

(3) *Fab. cod. de execut. rei judic. lib. 7. tit. 20. def. 12.*

(4) *Reg. Conſtit. lib. 3. tit. 31. §. ult.*

(5) *L. unic. § Taceat 5. in fin. cod. de rei uxor. act.* (5. 13), *L. In rebus 18. §. Poſſunt 2. ff. commodati* (13. 6), *L. Qui exceptionem 40. §. 1. ff. de condit. indebiti* (12. 6).

(✠6) *Fab. d. lib. 3. tit. 22. definit. 15. num. 2. in allegat., Voet in pandectas de hereditat. petit. lib. 5. tit. 3. num. 23. in fine, ubi plures pro eadem ſententia refert, Deciſ. 19. aug. 1644 in cauſſa Moſtonæ contra Caſſulum ref. D. Barberis §. Major autem, Deciſ. 13. ſeptembris 1673. fratr. de Ripa contra Bellardum in fine ref. D. Raſino, Deciſ. 10. april. 1647. refer. D. Barberis in cauſſa Broccardi contra Bellonum in fine.*

(7) *L. Nam hoc natura 14. ff. de cond. indeb.* (12. 6.)

DEFINITIO XLII.

Exceptio de jure tertii, quæ jus agentis excludit, allegari poteſt a tertio, cujus intereſt.

Quemadmodum minori competit actio ad reſcindendam non jure factam alienationem, ita & emtori exceptio competit, qua a ſolutione pretii ſe eximant, niſi minor ea parte ſua velit implere contractum, eumque ratum habere, adhibitis etiam ſolemnitatibus, quæ jure præſcribuntur, ut fert communior ſententia (✠1); ne alioquin major factus eam libere reſcindere poſſit. Atque hoc ſenſu intelligi debet, quod dicitur, contractum favore minoris claudicare (2): videlicet minor non tenetur ſtare contractui, ſi recedere malit, alter vero contrahens, qui major eſt contractum implere tenetur, ſi urgeat minor (✠3): quod favore minoris ætatis inductum fuit. Ceterum, quia contractus nullum parere poteſt effectum, quamdiu minor non declaravit, ſe eundem velle ſervare, contractus vitium, ſeu nullitas, ut loquuntur pragmatici, a tertio, cujus intereſt, poteſt alligari; quia propriæ hæc non eſt exceptio de jure tertii, ſed potius de non jure agentis, quæ ſemper admittitur (✠4).

(✠1) *Deciſ. 29 novembris 1693. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Oliverii contra Communit. Sanfrè §. Quoad primum.*

(2) *Princip. inſtit. hoc tit. de auctorit. tutor.* (1. 2.), *L. Julianus 13. §. Si*

quis a pupillo 19. ff. de act. empti. (19. 1.)

(✠3) *Deciſ. 12. auguſti 1612. refer. D. Beccaria in cauſſa Morelli contra ſorores de Molineriis, Deciſ. 13 decembris 1730. refer. D. Caſſotti in cauſſa de Villanis contra de Panuellis, §. Jure quia, Theſ. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 37. num. 2.* ✠, *qui agit de alienatione rerum Eccleſiæ, cui deerat conſenſus Apoſtolicus.*

(✠4) *Deciſ. 23. julii 1681. refer. D. Torrini in cauſa Toſſi contra Barellum, §. Non refragante, Deciſ. 4. junii 1659. refer. D. Delaude in cauſſa Garagni contra Commun. Andezeni, §. His tamen non refragantibus, L. ult. ff. de rei vindicat.* (6. 1.), *Fab. cod. de petit. hereditat. lib. 3. tit. 21. defin. 2. num. 7, & ſeqq. in corp.*

TITULUS XXIV.

Quando decreto opus non eſt, vel ceteris ſolemnitatibus, ut valeat alienatio rerum immobilium ad pupillos, vel minores pertinentium.

DEFINITIO I.

Solemnitates in alienandis rebus immobilibus pupillorum, vel minorum regio jure ſervari debent, licet teſtator eas remiſerit.

Diſtrahi poſſunt, jure quidem Romano, ſine ſolemnitatibus res ad pupillos, vel minores pertinentes, ſi pater, vel teſtator, qui pupillum, vel minorem heredem ſcripſit, alienandi facultatem conceſſerit (✠1); vel forte alienari præceperit; viſa eſt concedenda facultas rei ſuæ, quam quiſque velit, legem dicere; & quemadmodum poterat rem illam non relinquere pupillo, ita permittere, ut libere relicta libere etiam alienetur ſine ulla ſolemnitate. Sed apud nos placuit, majorem habere rationem utilitatis pupillorum, & minorum, quam teſtamentariæ diſpoſitionis; atque ideo cautum, ut conſuetæ ſolemnitates etiam in hoc caſu ſervari debeant (2).

(✠1) *L. Prædium ruſticum 3. cod. hoc tit. quand. decret opus non eſt* (5. 72). *Deciſ. 5. maii 1676. refer. D. Raſini in cauſſa Quadri contra Mariam, §. His non obſtantibus. Sola de forma, ac ord. obſerv. in pignorat. Gloſ. 1. num. 18. pag. 439.*

(2) *Reg. Conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 4.*

DEFINITIO II.

Alienatio neceſſaria nullas deſiderat ſolemnitates.

Valet tamen alienatio rei pupillaris ſine ſolemnibus, ſi teſtator, aut pupillus fundum emerit cum pacto retrovendendi, vel addictionis in diem, vel ſi jus retractus ex ſtatuto vigeat; dummodo retrovenditio fiat juxta formam, & modum prioris venditionis; nec aliquid innovetur in præjudicium pupilli; puta fides de pretio habeatur (✠1): alienatio hæc, utpote neceſſaria, legis diſpoſitioni non ſubeſt (2).

(✠1) *Deciſ. 16, ſeptembris 1661. ref. D. Ocelli in cauſſa Regis contra Ogerium in princip., & §. Nam tutor.*

(2. *L. 1. cod. hoc tit.* (5. 72).

DEFINITIO III.

Res exigui valoris ſine ſolemnibus alienari poſſunt. An Senatus ſolemnia alienationum remittere poſſit?

Alienari quoque poteſt ſine ſolemnibus res immobilis exigui pretii; ne plus impendatur in adhibendis ſolemnitatibus, quam ex rei venditione redigi poteſt (✠1). Hinc noviſſimo regio jure

data eſt Senatui facultas alienationem permittendi ſine ſolemnibus, ſi ob exiguum rei valorem, vel aliam juſtam cauſſam æquum ita videatur (2).

(✠1) *Deciſ. 5. ſeptembris 1729. refer. D. Guiller in cauſſa Univerſit. Cariniani contra Vachierium, §. Quo vero ad prætenſam, prop. fin. deciſion.*

(2) *Reg. Conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 15.*

DEFINITIO IV.

Alienari poſſunt res immobiles bonorum, ut parentes a captivitate liberentur, ſolemnia tamen adhibenda ſunt.

Juſta quidem cauſſa eſt alienandi res immobiles pupillorum, & minorum, ut parentes a captivitate, vel graviſſima alia neceſſitate liberentur. Sed, quia non ſufficit, in honeſtam cauſſam converti pecuniam, quæ ex prædiorum venditione redigitur, niſi ſimul inquiratur, quæ potius expediat alienari; atque agendum eſt, ut ob pupillorum utilitatem, quantum fieri poteſt, majori pretio res diſtrahantur: quæ ſine judicis decreto prævia cauſſæ inquiſitione vix poſſunt obtineri, permittenda non eſt ſine ſolemnitatibus alienatio in hac ſpecie, niſi forte neceſſitas moram non patiatur (✠1), quæ ſolet a ſolemnitatibus excuſare (2).

(✠1) *Deciſ. 10. ſeptembris 1674. ref. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Granériis contra Univerſitat. Cariniani, §. Secundo ultra præfatam num: 6.*

(2) *Fab. cod. de teſtam. lib. 6. tit. 5. defin. 2. num. 5., & ſeqq. in corp., L. Aliquando 5. ff. de offic. præconſul. (1.16), L. Alienationes 13. ff. famil. erciſc. (10. 2)*

TITULUS XXV.

Si major factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit: ſeu quando ex poſt facto convaleſcat alienatio ſine ſolemnibus facta.

DEFINITIO I.

Quo differat reſciſſio contractus perperam geſti a reſtitutione in integrum? & intra quod tempus utraque peti poſſit?

Differt reſciſſio contractus, quæ ob ejus vitium peritur, a reſtitutione in integrum, quæ etiam conceditur, quamvis contractus ab initio vim habuerit. Prior nititur defectui ſolemnitatum, ex quo contractus numquam valuit. Altera ſolemnitates omnes adhibitas fuiſſe ſupponit, atque idcirco contractum ab initio validum, ſed propter læſionem ex ætatis lubrico contingentem vim contractus infringit: ad vitium contractus proponendum legislatores indulgent quinquennium continuum computandum a die completæ legitimæ ætatis (✠1): vel potius a die ſcientiæ, ſi non ſimul cum ætate vitii cognitio habita fuerit (✠2): beneficium vero reſtitutionis in integrum intra quadriennium a die pariter adeptæ majoris ætatis peti debet (3); quod etiam continuum eſt, poſtquam currere cœpit, ſed utile quatenus non prius currit, quam læſionis ſcientia habita fuerit (4). Cur autem beneficium reſtitutionis in integrum quadriennii ſpatio concludatur, & quinquennium detur ad petendam contractus ab initio irriti reſciſſionem; hæc afferri poteſt ratio, quod benignius agen-

Digitized by Google

dum ſit erga eos, qui ab initio nullam contraxerunt obligationem, quæ deinde ſolo temporis ſpatio inducitur, per quandam veluti præſcriptionem, quam erga eos, contra quos ab ipſo contractus initio jam nata eſt obligatio, quam tamen irritari ex legitima cauſſa leges concedunt.

(✠1) *L. ult. cod. hoc tit.* (5. 71.), *Deciſ.* 11. *aug.* 1642. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Machiurlati contra Chiappos fere in fin. Deciſ.*

(✠2) *Argum. L. Cum lex* 55. *ff. de ædilit. edic.* (21. 1.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 39. *defin.* 2., *Deciſ.* 5. *ſeptembris* 1737. *refer. D. Brucco in cauſſa Blandrate contra March. Cevam*, §. *Præterea licet poſt num.* 29.

(3) *L. ult. cod. de tempor. in integr. reſtitut.* (2. 53), *In Sabaudia decennium concedi ad petendam reſtitutionem ex ſtilo illius Senatus tradit Faber cod. lib.* 2. *tit.* 35. *def.* 1.

(4) *D. L. ult. cod. de tempor. &c.*

DEFINITIO II.

Ratihabitione non convaleſcit contractus ab initio nullus, niſi ratihabens plene ſciverit jus, & factum.

Ratihabitio contractum ab initio irritum utique firmat (1), dummodo tamen ratihabens plene ſciat jus, & factum; atque, ut loquuntur, in individuo; ita ut non ſufficiat generalis expreſſio vitii, ſed ſpecialis eſſe debeat (✠2); etenim ratihabitio mandato æquiparatur, atque eadem utriuſque vis eſt (3): ergo, ſicuti nullum poteſt eſſe mandatum, nec expreſſum, nec tacitum ſine ſcientia rerum gerendarum, nec ulla vis ineſt mandato, cui error, qui conſenſui adverſatur (4), cauſſam dederit; ita nullum parere poteſt effectum ratihabitio, quam rei geſtæ ejuſque conditionis ſcientia non præceſſerit.

(1) *L. Si ſine decreto* 2. *cod. hoc tit. ſi major fact. alienat. &c.* (5. 74.)

(✠2) *L. Mater decedens* 19. *verſic. Ceterum ff. de inoffic. teſtam.* (5. 2.), *Deciſ.* 11. *novembris* 1672. *refer. D. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem*, §. *Sed vim faciebat*, *Deciſ.* 19. *decembris* 1681. *refer. D. Raſini in cauſſa Freylinæ contra Referendarium Arri*, §. *Ad tertium*, *& ſeq.*, *Deciſ.* 16. *mart.* 1695. *refer. D. Bertodano in cauſſa de Giolitis Contra Joanettum*, §. *Ex his moti fuerunt*, *ubi Senatus rejecit poſitiones deductas a Joanetto, quibus probare intendebat fratres de Jolitis majores factos venditionem in minori ætate perperam factam approbaſſe, tamquam ſuperfluas, & impertinentes, quæ etiam probatæ non relevarent, quia de ſcientia vitii mentio non fiebat in illis*, *Deciſ.* 19. *junii* 1737. *ref. D. Caſſotti in cauſſa Georgis, & Gibellinæ*, §. *Nulla igitur*, *& ſeq. poſt num.* 86. *Ubi plures aliæ proferuntur Supremi Magiſtratus definitiones eandem ſententiam comprobantes. Adde Deciſ.* 21. *junii* 1669. *ref. D. Leone in cauſſa ſororum de Beccariis contra Recroſium*, §. 4. *de præsidiis refer. D. Leone.*

(3) *L. Si pupilli* 6. §. *Item quæritur* 9. *& ſeq. ff. de negot. geſtis* (3. 5.), *L. Aliena res* 20. *ff. de pignorat act.* (13. 7.), *Semper, qui* 6. *ff. de reg. juris.*

(4) *L. In omnibus* 57. *ff. de obligat., & actionib.* (44. 7.), *L. Nihil conſenſui* 116. *ff. de R. J.*

DEFINITIO III.

An contractus ab initio nullus poſteriore tranſactione, vel venditione firmetur?

Hinc ſequitur, non prodeſſe tranſactionem, imo nec novam venditionem, quæ facta potius fuerit in conſequentiam prioris actus perperam in minore ætate celebrati, quam animo

Digitized by Google

tranſigendi, vel vendendi, aut alterius cujuſcumque contractus celebrandi, niſi ſcientia ſpecialis præceſſerit (✠1): etenim in contractibus animum contrahentium præ verbis inſpicimus (2): atque ex juris præſcripto plus valet, quod revera agitur, quam quod agi fingitur, ſeu ſimulate concipitur (3).

(✠1) *Deciſ. 28. julii 1721. refer. D. De Caburetto in cauſſa Communit. Publiciarum contra Comit. Pergamum, §. Minus viſum fuit.*

(2) *L. Labeo 7. §. 2. in fin. ff. de ſupellect. leg.* (33. 10.)

(3) *L. 1, & paſſim cod. plus val., quod agit.* (4. 22.)

DEFINITIO IV.

An vitii ſcientia præſumatur in minore ratum habente contractum?

Si dubitetur, utrum minor major factus vitium alienationis ignoraverit, nec ne, generalis regula eſt, quæ facti ſunt, numquam præſumi, ſed ab allegante eſſe probanda (1). Ex quo ſequitur, ſcientiam vitii ab altero contrahente probari debere. Sed, quia difficilis eſt probatio facti alieni (2), idcirco leviores recipiuntur probationes, atque etiam indiciis, & conjecturis ſcientia poteſt demonſtrari; & regulariter præſumitur in actu, quem minor ipſe geſſit (✠3): maxime ſi negotiorum peritiam habeat, & ſolertiam in iis gerendis ſoleat adhibere: quod ſecus eſt in pupillo ob conſilii infirmitatem.

(1) *L. Ab ea parte 5. princip., & §. 1. ff. de probat.* (22. 3.)

(2) *L. Plurimum 3., L. Nec ſupina 6., L. Regula 9. §. Sed facti 2. ff. de jur., & fact. ignorant.* (22. 6.)

(✠3) *Deciſ. 11. novembris 1672. ref. D. Balegno in cauſſa Annibalis De Martinis contra fratrem, §. Sed vim faciebat.*

DEFINITIO V.

Tacita contractus ratihabitio firmiores ſcientiæ probationes requirit, quam expreſſa.

Cum tacita ratihabitio alienationis immobilium perperam ſecutæ in minori ætate, quæ ex lapſu temporis (defin. I.) eruitur, maiorem vim habere non poſſit, quam expreſſa, quæ tamen non valet, niſi vitium alienationis ratihabenti cognitum fuerit (d. Defin. I.); imo hæc præſumta potius dici debeat, quam tacita (1), omnino in hac firmiores ſcientiæ probationes requirendæ ſunt, nec admittendæ præſumtiones; ne alioquin contra æquitatis regulas admittatur præſumtum de præſumto, ut loquuntur pragmatici, & duabus præſumtionibus res definiatur; nimirum præſumtione conſenſus ex patientia, & ſilentio per quinquennium; atque ſimul præſumtione ſcientiæ, quæ conſenſum præceſſerit (✠2).

(1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 39. defin. 2.*

(✠2) *Deciſ. 5. ſeptembris 1737. refer. D. Bruco in cauſſa de Blandrate contra Marchion. Cevam, §. Præterea licet poſt num. 29.*

DEFINITIO VI.

Ratihabitio non firmat contractum dolo celebratum, niſi ejus mentio ſpecialis facta ſit, vel admodum prægnantia ſint verba.

Alia quoque conditio ad vim ratihabitionis deſideratur, ut dolus abſit, ne contrahens fraudulentus ex ſua iniquitate lucrum referat (✠1). Dolus autem abeſſe debet tum in ipſo actu ratihabitionis, quæ alioquin nec ex certa ſcientia præſtita dici poteſt, neque ex ple-

Google

no conſenſu, quem dolus, utpote errorem pariens, excludit (2): tum requiritur, ut dolus abſuerit a contractu in minore ætate celebrato; quippe, cum dolus repugnet bonæ fidei, quæ in quolibet contractu deſideratur, nunquam remiſſus cenſetur ex ſimplici ratihabitione, ſive expreſſa, ſive tacita, niſi ſpecialis doli mentio facta fuerit (3): vel ſaltem verba adeo prægnantia ſint, ut ipſum dolum comprehendere apta videantur (✠4).

(✠1) *L.* 1. *cod. hoc tit. ſi major fact.* (5. 74.), *Oſaſc. deciſ.* 58. *num.* 32., *d. Deciſ. refer. D. Bruco* (*defin. præced.*), §. *Nec obſtat*, *poſt num.* 28.

(2) *D. L.* 1. *cod. hoc tit.*

(✠3) *Oſaſc. d. deciſ.* 58. *num.* 33., *d. Deciſ. refer. D. Bruco*, *&* d. §.

(✠4) *Deciſ.* 29. *novembris* 1683. *ref. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè*, §. *Animadvertendum tamen*, *fere in princ. Deciſ.*

DEFINITIO VII.

Ratihabitio contractus perperam celebrati conſuetas deſiderat ſolemnitates, ſi in minori ætate fiat.

Ratihabitio non dat firmitatem contractui perperam in minori ætate geſto, niſi facta fuerit, poſtquam minor ad majorem ætatem pervenit, alioquin præſcriptæ in alienatione ſolemnitates adhibendæ forent (✠1); nec enim major eſſe poteſt vis ratihabitionis, quam prioris contractus: aut a ſolemnitatibus eximi actus, qui, quamvis dependenter ab altero fiat, huic tamen vim tribuit. Atque in hoc caſu longe minor læſio ſufficit: quod prudentis judicis arbitrio relinquendum eſt. Hinc, cum proponeretur minor, qui ſine præſcriptis ſolemnitatibus vendiderat fundum, dilata ſolutione partis pretii poſt annum, quo tempore major fieret; & ſpoponderat ſe eodem tempore ratam habiturum venditionem; eamque revera ratam habuerat, ſed dum pauci adhuc deeſſent dies ad complendam majorem ætatem, & major factus idem prædium alteri vendiderat, Senatus præferendum cenſuit ſecundum emtorem (✠2); quia venditio ab initio nulla firmari non poſſet per ratihabitionem durante minori ætate factam ſine ſolemnibus (3).

(✠1) *L. ult. in princip. cod. hoc tit.* (5. 74.), *Deciſ.* 27. *novembris* 1673. *refer. D. Raymondi in cauſſa Valpergæ Cizalettæ contr. Communit. Caniſchii*, §. *Nec obſtabat*, *Deciſ.* 29. *novemb.* 1683. *refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè*, §. *Quoad primum*, *Deciſ.* 13. *decembris* 1730. *refer. D. Caſſetti in cauſſa de Villanis contra de Panuellis*, §. *Facto quia*, *num.* 10, *& ſeqq.*

(✠2) *Deciſ.* 26. *april.* 1769. *refer. D. Gavutio in cauſſa Principis a Ciſterna contra Zapellam viduam de Rege Berta.*

(3) *L. penult. cod. hoc tit.* (5. 74.)

DEFINITIO VIII.

Ratihabitio omnis retrotrahitur ad initium contractus.

Ratihabitio contractus in minori ætate geſti facta, poſtquam minor pervenit ad legitimam ætatem, retrotrahitur ad ipſius initium (✠1); ſicut & ratihabitio communitatis, quæ minoribus comparatur (✠2) juxta generales juris regulas (3). Nec intereſt, utrum expreſſe, an tacite ratus habeatur contractus, an lex ex lapſu temporis ratihabitionem fingat; nec utrum de validò, an de irrito contractu quæſtio ſit, niſi aliud actum appareat (4): aut intermedio tempore jus alteri quæſitum fuerit; puta ſi interim alteri legitime diſtracta res ſit (5), neque enim æquitas patitur, ut alter jus alteri quæſitum pro arbitrio tollat (6).

(✠1) *Decij. 27. novembris 1573. ref. D. Raymondi in cauſſa Valpergiæ Cizalettæ contra Communit. Caniſchii*, §. *Nec obſtat in fine.*

(✠2) *Theſ. quæſt. forenſ. lib. 4. quæſt. 6. num. 2.*, *Deciſ. 12. ſeptembr. 1736. refer. D. Laurenti in cauſſa Marchion. Ferrerii contra Comit. de Bellaratis*, §. *Nec denique.*

(3) *L. ult. eod. ad S. C. Macedonian.* (4. 28.) *L. Donationes 25. eod. de donat. int. vir.*, *& uxor.* (5. 16.), *Theſaur. lib. 4. quæſt. 6. num. 2.*

(4) *Sicut enim poteſt minor major factus eum non approbare, ita & ſub hac conditione, & lege confirmare.*

(5) *Fab. eod. ad S. C. Macedon. lib. 4 tit. 20. defin. 1.*, *& de ſacroſ. Eccleſ. lib. 1. tit. 2. defin. 19.*

(6) *L. Potior. 11. ff. qui potior. in pign.* (20. 4.)

DEFINITIO IX.

Ratihabitio contractus non inducitur ex actibus, qui neceſſitate impellente fiunt.

Tacita ratihabitio contractus in minori ætate perperam geſti, dumtaxat ex actibus voluntariis, non autem ex neceſſariis præſumi, ſeu induci poteſt (✠1); quæ enim ex neceſſitate fiunt, apta non ſunt conſenſum demonſtrare, nec ejuſdem, nec potiſſimum alterius negotii (2).

(✠1) *Deciſ. 29. novemb. 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè*, §. *Primo utique ex actibus, & ſeq.*, *ubi exempla ſubjiciuntur actuum neceſſariorum in minore, qui adiit hereditatem, atque ante reſtitutionem in integrum debita hereditaria ſolvit: tum in eo, qui jurejurando ſolvere promiſerit, & antequam abſolutionem jurisjurandi obtinuerit, ſolvit metu perjurii.*

(2) *L. Quæ propter 162. ff. de R. J.*

DEFINITIO X.

Ex actu poſteriore non inducitur ratihabitio tacita contractus, niſi neceſſariam inter ſe connexionem habeant.

Neque ſufficit, actus ex libera voluntate profluxiſſe, niſi neceſſariam quoque habeant connexionem cum contractu perperam in minori ætate geſto (✠1); alioquin nulla poteſt eſſe illatio (2): connexio autem hæc neceſſaria eſſe debet; cum enim de obligatione inducenda agatur, contra quam, quoad fieri poteſt, ſemper reſpondendum eſt (3), ſi actus alium recipere poſſit interpretationem, ex eo inferri non decet contractus irriti confirmationem (4).

(✠1) *D. Deciſ.* (*Defin. præced.*) *ref. D. Torrini*, §. *Unde cum conſenſus.*

(2) *L. Papinianus 20. ff. de minorib.* (4. 4.)

(3) *L. Arianus ait 47. ff. de obligat. & actionib.* (44. 7.), *L. Quidquid adſtringendæ 99. ff. de V. O.* (45. 1.)

(4) *L. Non omnis 19. ff. de reb. credit.* (12. 1.)

DEFINITIO XI.

Ex petitione pretii non inducitur tacita ratihabitio venditionis.

Cum æquitas poſtulet, ne interpretatio actus fiat in præjudicium agentis, quoties alio referri poteſt (1), placuit, venditionem rei immobilis ſine decreto factam a minore non idcirco per ratihabitionem confirmatam cenſeri, quod is major factus pretii ſolutionem petierit; quia petitio hæc facta potius videtur in conſequentiam, & executionem prioris contractus, quam ad ejus confirmationem (✠2): adeoque, initio inſpecto, adhuc concedendam eſſe reſtitutionem in integrum (3). Sane pre-

tium poſtulari videtur, ne forte quis periculum ſubeat & rei, & pretii, maxime quia longe facilius obtineri in judicio poteſt pretium, quam res perperam vendita, cum non ita facile demonſtretur contractus vitium, & ſolemnium defectus: quemadmodum neque ex ſola fructuum perceptione actus ratihabitio inducitur; quia potius præſumi debent percepti ad indemnitatem, ne quis re ſimul, & fructibus careat (✠4).

(1) *Argum. L. Non omnis* 19. *ff. de reb. cred.* (12. 1.)

(✠2) *Deciſ.* 29. *novemb.* 1683. *ref. D. Torrini in cauſſa Com... Oltanici contra Communit. Sanfrè*, §. *Unde cum conſenſus*, *Fab. eod. hoc. tit. lib.* 5. *tit.* 39. *defin.* 1.

(3) *Fab. d. defin.* 1. *num.* 3. *in corp.*, *& num.* 3. *in allegat. Etiam actus invalidi ab initio reſciſionem peti ſolvere in foro per beneficium reſtitutionis tradit idem Faber eod. de præd.*, *& aliis reb. min. lib.* 5. *tit.* 37. *defin.* 2. *num.* 2. *in allegat.*

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Torrini*, *atque ita Pariſiis judicatum refert.*

DEFINITIO XII.

Quid ſi novus contractus, licet in conſequentiam prioris, fiat?

Sed ſi præter petitionem pretii, quæ fieri videtur potius in executionem, quam probationem prioris contractus, aliqua concurrant adjuncta, quæ novum contractum efficiant, qui ex vi, & poteſtate prioris fit, confirmatus cenſetur prior contractus. Hinc, cum Senatui propoſita fuiſſet ſpecies de ſorore, quæ favore fratris renunciaverat paternæ hereditati: poſtmodum, inſtituto judicio concurſus in bonis fratris, ſummam conventam, renunciationis pretium, judicialiter petierat, & obtinuerat, ea tamen lege, quia tunc adhuc in minori ætate conſtituta erat, ut renunciationis actum major facta ratum haberet, datis in eam rem fidejuſſoribus; cenſuit Senatus, ratum hinc habitum fuiſſe priorem contractum, ſeu renunciationem; quia nimirum novus hic adeſſet contractus, qui fieri quidem deberet ex vi, & poteſtate prioris, non tamen in prioris conſequentiam, & implementum (✠1).

(✠1) *Deciſ.* 14. *aprilis* 1754. *refer. D. Nomis in cauſſa fratrum de Angleſio contra fratres Pellion in fine.*

DEFINITIO XIII.

Contra proprium factum venire non judicatur, qui alio nomine agit.

Si tutor, vel curator, qui rem immobilem pupilli, vel minoris perperam alienavit, heres pupillo, vel minori extiterit, factam alienationem ex jure, & perſona defuncti poteſt revocare, nec hereditatem adeundo eandem probaſſe exiſtimatur; cum neceſſaria inter utrumque actum connexio non ſit, ita ut unus ſine altero ſubſiſtere nequeat. Neque tutor, ſi proprie loquamur, venit contra proprium factum; quippequi pupilli nomine, non ſuo rem alienavit (1): & quamquam proprium factum videri poſſet, non ideo contra illud venire prohiberetur; novum enim non eſt, ut quis ex alterius perſona conſequatur; quod ex ſua obtinere non poſſet (✠2). Exemplum eſt in jure pignoris diſtrahendi, quod, ex propria perſona non competens, obtineri poteſt ex perſona prioris creditoris (3): tum & in legato liberationis duobus relicto, quorum unus tantum capax ſit (4). Leges autem, quæ objici poſſunt (5). De facto loquuntur, quod quis proprio, non alieno nomine geſſerit (6).

(1) §. *Si tutor*, 4. *& ſeq. inſtit. de inoff. teſtam.* (2. 18.)

(✠2) *Fab. cod. de prohibita ſequeſtrat. pecun. lib. 4. tit. 3. defin. 7. num. 15., Deciſ. 23. junii 1678. refer. D. Gabuti in cauſſa Ferreriæ contra Hoſpitale Sanctæ Crucis, §. Quia ipſe, fere in fine deciſ.*

(3) *L. Ariſto Neratio 3. ff. quæ res pign.* (20. 3.), *ubi ſic concludit Jureconſultus. Sæpe enim, quod quid ex ſua perſona non habet, hoc per extraneum petere poteſt.*

(4) *L. Si is, qui duos 29. ff. de liberat. legata* (34. 3.)

(5) *Argum. L. Fundum dotalem 17. ff. de fundo dotali* (23. 5.), *L. Poſt mortem 25. ff. de adoptionib.* (1. 7.)

(6) *D. §. 4., & 5. inſtitut. de inoffic. teſtament.*

DEFINITIO XIV.

Alienatio rei immobilis titulo lucrativo perperam facta a minore ratihabitione non confirmatur, niſi conſueto decennii, vel vicennii lapſu.

Alienatio rei immobilis a minore facta titulo lucrativo, nonniſi per lapſum conſueti decennii inter præſentes, & vicennii inter abſentes (1) poſt legitimam ætatem tacita ratihabitione confirmata intelligitur (✠2). Quod quidem decennium, vel vicennium non abſolute a legitima ætate computandum eſſe, ſed a die ſcientiæ, ſi hæc ſimul cum ætate, non intervenerit, demonſtrant tum Imperatoris verba, quibus acquieſcentiam requirit, quæ in ignorante locum non habet, tum quia alioquin fieri poſſet, ut citius confirmaretur ex præſumta ratihabitione contractus lucrativus, quam onerosus: quod rectæ rationi repugnare videtur.

(1) *L. ult. cod. de præſcription. long. tempor.* (7. 33.)

(✠2) *L. ult. cod. hoc tit.* (5. 74.), *Deciſ. 29. novembris 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè, §. 2. Ex temporis lapſu.*

(5) *Niſi poſt viginti quinque annos completos inter præſentes quidem decennium, inter abſentes autem vicennium, donatore acquieſcente, effluxerit d. L. ult. cod. hoc tit.*

DEFINITIO XV.

An in ratihabitione præſentia alterius partis neceſſaria ſit?

Si quæratur, utrum in ratihabitione expreſſa, vel tacita neceſſaria ſit præſentia alterius partis, traditum eſt, præſentiam partis nullatenus requiri, cum agitur de ratihabitione actus, qui ab initio validus fuit (✠1). Si autem de actu ab initio irrito quæſtio ſit, major videtur eſſe dubitatio (2); quia in hac ſpecie novus contractus celebrari videtur, qui ſine utriuſque contrahentis præſentia celebrari nequeat. Conſultius ergo alterius partis præſentia adhibetur, vel ſaltem ſcientia ratihabitionis, ut utriuſque conſenſu contractus perficiatur.

(✠1) *Deciſ. 29. novembris 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè, §. Ex his omnibus, ubi agebatur de venditione cenſuum ab adminiſtratoribus Communitatis celebrata, & per conſilium comprobata, Deciſ. 19. decembris 1642. refer. D. Nomis in cauſſa Baronis contra Univerſitat. Cevæ, §. Ceterum dixerunt domini, ubi & de obligatione univerſitatis per adminiſtratores ſuſcepta, L. Si filiusfamilias 16. ff. de S. C. Macedon.* (14. 6.)

(2) *Contrarium autem forte procederet, ſi ageretur de actu invalido; ita habetur in d. Deciſ. refer. D. Nomis, Argum. L. Si tantum 12. ff. ad S. C. Macedon.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVI.

Solemnitates alienationum plerumque non præſumuntur adhibitæ, ſed probatio ab allegante deſideratur.

Cum ſolemnitates alienationis res facti ſint, regula autem generalis paſſim ſtatuatur, ei probationem incumbere, qui affirmat (1); quia res facti nunquam præſumuntur, ſed plenæ probandæ ſunt (2), quod tunc maxime obtinet, cum de iis facti rebus agitur, quæ lex præſcribit; tum quia alioquin facile legum ſententia everteretur, tum quia publice conſtare debet de iis, quæ publica auctoritate præſcribuntur, ſponte ſequitur, eas probandas eſſe. Si autem aliqua ſolemnitas in alienatione bonorum ſervata appareat, ex qua ceterarum obſervatio ſequi ſoleat, locus eſt præſumtioni: puta ſi ex decreto judicis res ad minorem pertinens diſtracta ſit, idonea cauſſæ cognitio, & probatio præceſſiſſe præſumitur, tum & ſubſecutas fuiſſe ceteras juris ſolemnitates, maxime ſi eædem in ſcriptura contractus enuncientur (✠3); judex enim in dubio creditur, omnia rite, & pro munere ſuo geſſiſſe (4). Atque id ſatis aperte ab Imperatore, & Ulpiano indicatur, dum tradunt, probari oportere obreptum fuiſſe judicis decretum (5).

(1) *Qui a pupillo emit, probare debet, tutore auctore, lege non prohibente ſe emiſſe. L. Quæcunque 13. §. ult. ff. de public. in rem actione* (6. 2.), *Oſaſc. decis.* 165. *num.* 2.

(2) *L. Ab ea parte* 5. *ff. de probatione.* (22. 3.)

(✠3) *Deciſ.* 14. *novembris* 1672. *refer. D. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem*, §. *Neque enim vim facit*, *Deciſ.* 23. *martii* 1740. *refer. D. Laurenti in cauſſa Comitum fratr. de Sacchis contra Congregat. Miſericordiæ*, §. *Quibus poſitis poſt num.* 15.

(5) *Argum. L.* 2. *cod. de offic. civil. judic.* (1. 45.)

(4) *L.* 1. §. 2., *L. Magis puto* 5. §. *Manet actio* 15. *ff. hoc tit. de reb. eor. &c.* (27. 9.)

DEFINITIO XVII.

Temporis diuturnitas præſumptionem ſolemnitatum inducit, maxime ſi junctam habeat obſervantiam.

Præſumuntur quoque obſervatæ ſolemnitates in alienatione pupillarium bonorum ex temporis diuturnitate, maxime ſi adjunctam habeat contractus obſervantiam (✠1): atque omnia præſumuntur rite, & ſecundum juris ordinem geſta, tum quoad intrinſecas tum quoad extrinſecas ſolemnitates, quamvis de his ex inſtrumento alienationis non conſtet (✠2). Sed hæc caute accipienda ſunt, nec ad eum caſum producenda, quo ſolemnitates minime adhibitas fuiſſe conſtet (✠3); præſumtio enim veritati cedit (4).

(✠1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 48. *num.* 9., *Deciſ.* 28. *junii* 1736. *refer. D. Bianchis in cauſſa de Chialland contra Bianchum*, §. *Quoad ſolemnitates num.* 56., *Deciſ.* 8. *maii* 1730. *refer. D. Demorra in cauſſa Protopræſidis De Zoppi contra Commun. oppidi Caſſinarum* §. *Sed eſto*, *Deciſ.* 20. *novembris* 1770. *refer. D. Galli in cauſſa fratr. de Pettardinis contra Gromi num.* 73.

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Bianchis, & d.* §., *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa utriuſque Rivi*, §. *Addebatur.*

(✠3) *Deciſ.* 1. *aprilis* 1662. *refer. D. De-Gubernatis in cauſſa Monaſterii Uneſtenſis P. P. Eremitar. s. Auguſtini contra Ardoinum, & Straſſoreilum*, §. *Aliqua ratio dubitandi.*

Digitized by Google

(4) *L. Si chirographum* 24. *ff. de probationib.* (22. 3.)

TITULUS XXVI.

De alienatione mobilium, & implicatione pecuniæ pupillaris.

DEFINITIO I.

Pecuniam otioſam tutor habere non debet, ſed honeſte implicare. An modicam retinere poſſit?

Cum tutores, & curatores, tamquam boni, & diligentes patresfamilias ſe gerere debeant in rebus eorum adminiſtrandis, qui curæ ſuæ concrediti ſunt, proſpicere omnino tenentur, ut pecuniam, vel quam in patrimonio repererint, vel quam ex venditione mobilium, aut fructuum, qui ad ſuſtentationem familiæ redundant, vel ex alia quacumque cauſſa redegerint, non otioſam retineant, ſed honeſte implicent (✠1), ut inde reditus pupillis, & minoribus accreſcant; vel prædia idonea comparent (2): ſaltem ſi ea ſuppetat quantitas, ex qua prædia emi poſſint, quod una regula comprehendi nequit; cum non unum ubique, nec idem ſemper ſit rerum pretium, ſed diverſum pro diverſitate locorum, temporum, aliorumque adjunctorum (3). Pecuniam vero ſuperfluam, vel otioſam non eam omnem dicimus, quæ ſupereſt, poſtquam univerſum æs alienum fuerit diſſolutum, & neceſſarii, vel utiles ſumtus facti ſunt, vel pupillis, minoribus, eorumque familiæ juxta decentiam ſtatus neceſſaria ad victum, & veſtitum fuerint ſuppeditata; ſapienter enim ſe gerit tutor, qui modicam pecuniæ quantitatem præſidii cauſſa ſervat in caſum alicujus calamitatis (✠4), ut ſolet optimus quiſque pater familias (5).

(✠1) *Deciſ.* 11. *auguſti* 1644. *refer. D. Barberis in cauſſa Avogadræ contra Canem, & Caſalos in princ.*

(2) *L. Si tutor* 15. *ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.), *L. Tutores* 24. *cod. eod. tit. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.)

(3) *L. Ita autem* 5. *ff. hoc tit. de adminiſtrat. tutor.*

(✠4) *Deciſ.* 12. *aprilis* 1732. *refer. D. Blavet in cauſſa Comit. Balbi de Riveria contra Martellotum in fine.*

(5) *L. Si chorus* 79. §. 1. *ff. de legat.* 3. (32. 1.)

DEFINITIO II.

Tutor pecuniæ pupillaris otioſæ uſuras præſtat. Quid ſi in ſuos uſus converterit?

Tutor, qui otioſam ſervat pupilli pecuniam, nec omnem adhibet diligentiam, ut in aliquod honeſtum lucrum collocet, in ſuæ deſidiæ pœnam ejuſdem uſuras pupillo ſolvere cogitur (✠1). Quinimmo indiſtincte uſuras præſtat, ſi pecuniam in ſuos uſus converterit, in pœnam doli (2); cujus etiam reus judicatur, ſi pecuniam pupillo debitam a ſemetipſo non exegerit, ut poterat, & debebat (3), vel a contutoribus (4): & quidem a die, quo in officium deliquit uſque ad diem finitæ tutelæ, vel potius redditarum rationum; quia tunc tantum proprie finitur tutela, ſeu, ut ait Ulpianus, reſtituitur, ſive deponitur (5). Non tamen quiſquis tutor pupilli pecunia ad proprium commodum utitur, cenſetur eandem in ſuos uſus convertiſſe, ut uſuris gravioribus ſubjiciatur; ſed intereſt, utrum palam, & aperte pecuniam pupilli mutuam accipiendo ſe ejus debitorem faciat, quemadmodum debitorem faceret extraneum,

Digitized by Google

eis mutuam dando: an latenter ſub tutelæ colore commoda ſua quærat (6). In prima ſpecie, cum nullius culpæ reus ſit, nec ulli obnoxius erit pœnæ, ne deterioris contra æquitatem conditionis ſit, quam extraneus quilibet: in altera propter dolum coerceri meretur.

(✠1) *L. Tutor 6. §. 3. ff. hoc tit. de administrat., & peric. tutor.* (26. 7.), *d. Deciſ. 11. aug. 1644. refer. D. Barberis in cauſſa Avogadræ contra Canem, & Caſalos, §. Et fuit dictum.*

(2) *D. L. Tutor, qui repertorium 7. §. Pecunia 4. ff. hoc tit.*

(3) *D. L. 7. §. Vertiſſe 5. ff. hoc tit.*

(4) *L. Ejus, quod 2. cod. de uſur. pupill.* (5. 56.)

(5) *D. L. 5. §. ult. ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor.*

(6) *L. Non exiſtimo 54. ff. hoc tit.*

DEFINITIO III.

Uſuræ uſurarum non debentur, niſi priores uſuræ in ſortem converſæ ſint, mutata debitoris, aut creditoris perſona, vel iis ſolutis.

Uſuras uſurarum regulariter non deberi, ne quidem ſi ita conventum ſit, apud omnes conſtat; quia conventio hæc efficere per ſe non poteſt, ut uſuræ ſors efficiantur. Atque ita apertiſſime definivit Juſtinianus veteres leges emendans, vel explicans (✠1); cum enim uſuræ ipſæ primæ, ſecluſo lucro ceſſante, aut damno emergente, prohibeantur (2), civiles antiqui legiſlatores avaritiam hominum intra primas ſaltem uſuras continendam merito cenſuerunt (3). Hæc tamen regula jure civili inſpecto plures exceptiones habet, vel unam, ſi malis, ex qua ceteræ dimanant: ſcilicet uſuræ uſurarum permittuntur, quoties uſuræ in ſortem mutatæ ſunt; quod contingit, cum mutatur perſona creditoris, aut debitoris, aut etiam, non mutata alterutrius perſona, jam ſolutæ creditori a debitore fuerunt, & iterum ab illo huic traditæ; in prima ſpecie per mutationem perſonæ uſuræ in communi hominum æſtimatione una cum earum ſorte, unicam totalem ſummam conſtituunt: in altera ſolutio efficit, ut propriam uſurarum naturam amiſerint, atque jure ſortis denuo cenſeantur, niſi ſimulata ſolutio proponatur. His quidem alia exceptio addi poteſt, qua uſuræ uſurarum præſtantur, quæ tamen nihil pertinet ad quæſtionem, quam pertractamus, cum petitur hereditas; fructus enim, & uſuræ augent hereditatem, adeoque uſurarum uſuræ debentur, uſque ad tempus litis conteſtatæ (4).

(✠1) *L. Ut nullo 28. cod. de uſuris* (4. 32.), *Fab. cod. eod. tit. lib. 4. tit. 24. definit. 5., Deciſ. 18. decembris 1677. refer. D. Gabuti in cauſſa de Blanchis contra Francum, §. Fuit etiam reſolutum.*

(2) *Zoeſius pandect. lib. 22. tit. 1. num. 27, & ſequenti.*

(✠3) *Deciſ. 1. ſeptembris 1687. refer. D. Borello in cauſſa de Avogadris contra Communitat. Clavaxiæ, in medio Fab. cod. de uſur. lib. 4. tit. 24. defin. 13., L. Idemque 10. §. Si procurator 3, in fine ff. mandati* (17. 1.)

(4) *L. Heres furioſi 51. ff. de petit. hered.* (5. 3.), *Fab. cod. eod. tit. de uſur. defin. 4.*

DEFINITIO IV.

Tutor uſuras præſtat uſurarum, quas a pupilli creditoribus exegit, & in ſuos uſus convertit: in ceteris pupilli communi jure utuntur.

Hinc traditum eſt, tutores, atque curatores uſuras præſtare uſurarum, quas a debitoribus pupilli, vel minoris exegerint, atque in ſuos uſus converterint; quia cum ad eos pervenerunt, pecunia pupillaris factæ ſunt (1): contutorem quoque ſuperſtitem teneri ad uſuras uſurarum, quas a defuncti contutoris heredibus e re pupilli perceperit (2). Extra hos caſus firma eſt juris civilis regula, qua uſuræ uſurarum nunquam præſtantur; quia dari non poſſit acceſſio acceſſionis, ſeu qualitas qualitatis (Defin. præced.); nec favore pupillorum, aut minorum aliud jus induci poteſt (✠3); quamvis enim maximus ſit iſtorum favor, non eo uſque tamen protrahendus eſt, ut contra æquitatem, & jus naturale ipſis lucrum quæratur (4) cum iniquo aliorum diſpendio (5).

(1) *L. Tutor* 7. §. *Si uſuras* 12. *ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(2) *L. Qui negotiationem* 58. §. 1. *ff. eod. tit.*

(✠3) *Deciſ.* 26. *maii* 1645. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Caſalis, Orengiani, & Canis*, §. *Re tamen melius diſcuſſa, & ſeqq.*

(4) *L. Ut nullo* 28. *cod. de uſuris* (4. 32.)

(5) *L. Nam hoc natura* 14. *ff. de condict. indeb.* (12. 6.)

DEFINITIO V.

Uſuras pecuniæ otioſæ a quo tempore tutor, vel curator ſolvat?

Juſtiniani conſtitutionem, qua tutores, & curatores exemit ab onere pecuniam ad honeſtas uſuras impendendi, niſi ſubſtantia minorum in pecunia tota, vel fere tota conſiſtat (1), in foro minime receptam eſſe vulgo placet (2). A quo autem tempore uſuras pecuniæ tutor præſtet, res eſt ex adjunctis perſonarum, rerum, & temporum a judice definienda (3). Hinc, cum Senatui placuiſſet, ab anno cœptæ tutelæ uſque ad diem integræ ſatisfactionis taxare uſuras ad ſex pro centenario quolibet anno ejus pecuniæ, quæ vere, vel præſumptive fuit penes tutorem otioſa, cenſuit etiam, dandum eſſe terminum ſex menſium ad exigendam, & collocandam pecuniam, non ſolum pro primo anno cœptæ adminiſtrationis, ſed etiam pro ſequentibus (✠4).

(1) *Novel.* 72. *cap.* 5., 6., & 7.

(2) *Voet in pandect. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor. lib.* 26. *tit.* 7. *num.* 10., *ubi plures auctores pro ſua ſententia allegat, V. Juriſprud. Tom.* 2. §. 766., & *ſeqq. pag.* 183.

(3) *Jure vetere, quod Juſtinianus in d. Novel.* 72. *abrogavit, duorum, vel ſex menſium ſpatium dabatur, V. L. Tutor* 7. §. *Uſuræ* 11., *L. Si tutor* 15. *ff. hoc tit.* (26. 7.)

(✠4) *D. Deciſ.* 26. *maii* 1645. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Caſalis, Orengiani, & Canis*, §. *Quia tamen, in fine deciſ.*

DEFINITIO VI.

Uſuræ ultra modum ſolutæ a debitoribus pupilli iis reſtituendæ ſunt a pupillo.

Tutorem ad præſtandas pupillo uſuras

Digitized by Google

teneri, quas ex ſuo dolo, vel negligentia in rebus adminiſtrandis ſolvere pupillus coactus fuit, nemo eſt, qui neget (1), ut ita pupillus indemnis ſervetur. Si autem legitimas, ſeu graviſſimas, & ultra modum uſuras tutor a debitoribus perceperit, non ſunt pupillo præſtandæ, ut vult Ulpianus (2), ſed debitori inique gravato reſtituendæ (✠3); hic enim, ut in ceteris, locum habere debet juris naturalis regula a Pomponio tradita, neminem poſſe cum alterius detrimento fieri locupletiorem (4).

(1) *L. Tutor* 7. *§. Quæ autem* 10. *ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(2) *D. L.* 7. *§.* 10.

(✠3) *Sent. Senat.* 28. *auguſti* 1734. *refer. D. Caſſotti in cauſſa Prandi contra Angionum, Deciſ.* 26. *aprilis* 1730. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Selopi contra jugales de Ottobourg., §. Non fuit dubitatum.*

(4) *L. Nam hoc natura* 14. *ff. de condiction. indebit.* (12. 6.)

DEFINITIO VII.

An negotiationem a patre pupilli exercitam tutor proſequi teneatur?

Regulariter quidem cogi nequit tutor, ut in negotiatione, quam pupilli pater exercebat, perſeveret (1); tum quia generatim quidem præcipitur tutori, ut res pupilli adminiſtret, tamquam bonus paterfamilias, non vero ſpeciatim, ut conſuetudinem patris retineat, cujus forte induſtria præditus non eſt; tum quia tam grave onus, ſecluſo patris præcepto, non videtur imponendum tutori, ut difficilem negotiationis viam amplectatur, ejuſque debeat graviſſimas ſubire moleſtias: non tamen dubium eſt, quin a judice ex ſpecialibus adjunctis jure ac merito cogatur, ſi ita ſuadeat utilitas pupillorum, cui incumbere præ viribus debet tutor (✠2).

(1) *Argum. L. Titium* 47. *§. Altero* 6. *ff. hoc tit. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(✠2) *Argum. L. Qui negotiationem* 58. *ff. hoc tit., Deciſ.* 19. *junii* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis contra Gibellinam, §. Denique mandati num.* 25.

TITULUS XXVII.

De auctoritate, ſeu conſenſu tutorum, vel curatorum pupillis, vel minoribus præſtando.

DEFINITIO I.

Minor curatore deſtitutus valide contrahit: læſus tamen reſtituitur.

Minor curatorem habens, cum prodigo comparetur quoad bonorum adminiſtrationem (1), conſequens eſt, eum abſque curatoris auctoritate contrahere non poſſe, ſicuti non poteſt prodigus (2). Si autem minor curatore deſtitutus ſit, valide ſolus contrahit, ſervato tamen ipſi beneficio reſtitutionis in integrum, ſi ex ætatis facilitate læſum ſe demonſtret (✠3): quod ſecus eſt in pupillo, cujus longe infirmius judicium eſt.

(1) *L. Si curatorem* 3. *cod. de in integ. reſtitut.* (2. 22.)

(2) *L.* 1. *in princip. ff. de curatore furioſo &c.* (27. 10.), *junct. L. His, qui* 12. *§. ult. ff. de tutorib., & curator. dat.* (26. 5.)

(✠3) *D. L.* 3. *cod. de in integr. reſtit., Deciſ* 13. *decembris* 1730. *refer. D. Caſſotti in cauſſa de Villanis contra de Panuelis, §. Quod ſi minor.*

Digitized by Google

TITULUS XXVIII.

De excuſationibus tutorum, & curatorum.

DEFINITIO I.

Tutelam delatam regulariter nemo recuſare poteſt, niſi juſtam habeat excuſationis cauſſam.

Cum tutela inter publica munera recenſeatur (1), ea autem ſit indoles omnium publicorum munerum, ut quiſque civis illa ſubire cogatur, niſi juſtam aliquam, & a legibus probatam immunitatis cauſſam habeat (2); idcirco placuit, neminem ab adminiſtranda tutela, quacumque ratione ſibi delata, ſive ab homine per teſtamentum, ſive a lege, ſive a judice, immunem eſſe poſſe, niſi legitima aliqua cauſſa excuſetur (3). Atque hæc Romanorum ſententia, ſaltem quoad effectus, neceſſitatem ſcilicet injuncti muneris exequendi, ab omnibus fere populis recepta eſt (✠4) æquitatis, & commiſerationis ratione, ne alioquin facile contingat, ut pupilli, vel minores indefenſi ſint, atque eorum bona diſſipentur, non ſine totius reipublicæ detrimento, cujus intereſt civium bona conſervari.

(1) *Placuit tutelam publicum munus eſſe: princip. inſtit. hoc tit. de excuſation. tutor., & curator.* (1. 25.) *Sane ſi proprie loquamur publicum munus non eſt; nec enim tutor publica bona adminiſtrat, ſed privata; nec hujuſmodi officium directo, aut primario publicam reſpicit utilitatem, ut tradit Ulpianus in L. Quoties 2. §. Sed ſi filius 5. ff. ad municipal.* (50. 1.)*: eo tamen ſenſu munus publicum, licet improprie, vocari poteſt, quatenus ad eos pertinet, qui rempublicam adminiſtrant, ut pupillorum, & minorum indemnitati proſpiciant, L. Si minores 2. §. Qui autem 2. ff. qui pet. tutores* (26. 6.)*: vel quatenus publica auctoritate cives coguntur tutelam ſuſcipere, niſi juſtam habeant excuſationis cauſſam. Melius ergo dixit Modeſtinus, tutelam non eſſe reipublicæ munus, L. Si duas 6. §. Tutela 15. ff. hoc tit.* (27. 1.)*, quamquam & ipſe Juſtinianus indicat, tutelam proprie munus publicum non eſſe, d. princ. inſtit. hoc tit.*

(2) *D. princip. inſtit. hoc tit.*

(4) *L. 1. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(✠3) *Deciſ. 16. martii 1643. refer. D. Abeccleſia in cauſſa D.D. de Fontanella in fin.*

DEFINITIO II.

A tutela ſuſcipienda, non ſuſcepta, excuſat numerus liberorum.

A tutela ſuſcipienda, non ſuſcepta, excuſat numerus liberorum, quemadmodum & excuſare ſolet ab officiis civilibus (1). Quamquam non ſtatim a tutela, vel cura quis excuſatur, quia immunis eſt a publicis, & civilibus officiis (2); niſi nominatim hoc privilegium conceſſum ſit (3). Atque in hoc placuit Romanis, diverſitatem conſtituere, ratione habita loci, in quo quis commoratur, non in quo filii nati ſunt, vel ex quo pater originem trahit (4), honoris, & præſtantiæ cauſſa: ita ut Romæ ſufficiant tres, quatuor requirantur in Italia, quinque vero in provinciis (✠5): hodie autem, ſublata loci ratione, quinquennarius liberorum numerus ex communi ſententia deſideratur. Quod privilegium Romani tribuerunt non tam, ut patrem tot liberorum a ceteris oneribus ſublevarent, quo facilius eorum educationi, & ſuſtentationi proſpicere poſſet, ut ex eo patet, quod prodeſſent emancipati etiam, &

adoptivi, nec tamen nepotes ex filiis, niſi jure repræſentationis; ſed potius, ut cives ad nuptias ineundas allicerent, unde filii procrearentur, & civibus reſpublica abundaret (✠6).

(1) *Exemplo ceterorum munerum princip. inſtit. hoc tit. de excuſat. tutor., & & curator.* (1. 25.). *Quæ tamen definitio de muneribus perſonalibus intelligenda eſt, non de realibus, quæ rebus ipſis adnexa exiſtimantur, L. Sextum decimum* 2. §. *Quæ patrimonium* 4., *L. Ab his oneribus* 10., *L. Sunt munera* 11. *ff. de vacat., & excuſat. mun.* (50. 5.), *a quibus proinde tantum eximit ingens filiorum numerus ſexdecim nempe, L. Semper* 5. §. *Demonſtratur* 2. *ff. de jure immunitat.* (50. 6.), *vel ſaltem duodecim, L. Si quis decurio* 24. *cod. de decurionib.* (10. 31.)

(2) *Qui accepit, vel habet immunitatem civilem, vel publicorum munerum, hic a tutela, vel cura non excuſabitur. L.* 15. §. 12. *ff. hoc tit.*

(3) *L. Non tantum* 17. §. *Non omnia* 3. *ff. hoc tit. Hinc expreſſa mentio in legibus tutelæ fit, quamvis de vacatione ab aliis muneribus jam actum eſſet, L. Legato* 12. §. 1. *ff. de vacat., & excuſ. muner.* (50. 6.)

(4) *Ita tradunt celebriores juris interpretes.*

(✠5) *D. princip. inſtit. hoc tit., V. d. Deciſ.* (*Defin. præced.*) *refer. D. Abecclefia, ubi excuſationem petens ſeptem liberos habebat, firmata tamen fuit juris Romani regula, Deciſ.* 18. *junii* 1672. *ref. D. Manaſſerio in cauſſa Graſſi contra viduam Graſſi, ubi de patruo tutore teſtamentario agebatur, qui ob numerum ſeptem filiorum liberationem a tutela obtinuit.*

(✠6) *Quia Romani ſemper peroptarunt, ut civium numerus adaugeretur, quo felicius bella gererent, quæ fere continua cum finitimis, nec non etiam longinquis populis ſovebant, idcirco cives allicere ad nuptias ſemper ſtuduerunt, præmiis propoſitis, atque pœnis a cælibatu avertere, quem frequentem fuiſſe penes Romanos Cæſaris, & Auguſti temporibus teſtantur hiſtorici, non quidem caſtitatis amore, ſed potius vel effuſa libidine, vel nimia mulierum in victu, & cultu corporis intemperantia, vel etiam, quia cælibes facilius ad publicas dignitates evehebantur, & ſuffragia obtinebant ab aliis civibus, qui repenſationem ſucceſſionis ſperabant. Inter hæc præmia præcipuum fuit immunitas ab officiis civilibus, L.* 1. *in princip., L.* 2. §. 1., *& paſſim ff. de jure immunitat., & conſequenter a tutela, L. Excuſantur* 2. §. *Remittit* 2. *ff. hoc tit.*

DEFINITIO III.

Excuſat a tutela adminiſtratio rei fiſcalis. Quid de generali gabellario ſalis?

Legitimam quoque excuſationis a tutela, vel cura cauſſam præbet adminiſtratio rerum fiſci, quamdiu hæc adminiſtratio durat (1), ut & privatarum ipſius Principis (2): & generaliter excuſantur, quicumque juſſu Principis rem aliquam gerere tenentur, donec negotium perfectum ſit (✠3): tum etiam qui publica, aut fiſci vectigalia conducunt (4); modo ipſi per ſe vectigalia exigant (5); quibus tamen non æquiparantur, qui vectigalia a civitatibus conducunt (6); quia civitates tamquam privatæ perſonæ conſiderantur (7): uti nec excuſantur coloni, ſeu conductores prædiorum, quæ ad Principem ſpectant (✠8).

(1) §. 1. *inſtit. hoc tit.* (1. 25.)

(2) *L. Adminiſtrantes* 41. *ff. hoc tit. de excuſat.* (27. 1.)

(✠3) *L. Geometræ* 22. §. 1. *ff. hoc tit., Deciſ.* 16. *martii* 1643. *refer. D. Abecclefia in cauſſa DD. de Fontanella*, §. *Senatus ex utroque. Gabellarius ergo generalis ſalis a tutela excuſatur,*

tum quia vacat rebus Principis, tum quia habet dignitatem conſiliarii Principis, qui a tutela immunis eſt, L. ult. cod. hoc tit. (5. 62.), Atque eodem fundamento definitum etiam fuit, officialem in æde monetaria, tum & operarium in argentaria a tutela excuſari, quia ita rebus Principis vacant, ut nec ſuas gerere poſſint. Deciſ. 28. ſeptembris 1651. refer. D. Beccaria in cauſſa Buggiæ, & Aimonis contra Mangiardum, §. Major difficultas, ubi de tutoribus honoris tantum cauſſa datis, ſeu honorariis agebatur.

(4) *L. Semper 5. §. Conductores 10. ff. de jure immunit.* (50. 6.)

(5) *L. In honoribus 8. §. 1. ff. de vacat., & eſcuſat. mun.* (50. 5.)

(6) *L. 15. §. Qui vectigalia 10. ff. hoc tit. de excuſat.*

(7) *Civitates enim privatorum loco habentur, L. Eum, qui 16. ff. de verb. ſignificat.*

(✠8) *L. Coloni 18. cod hoc tit.* (5. 62.), *d. Deciſ. refer. D. Abecclesia, & d. §.*

DEFINITIO IV.

Infirmitas gravis a tutela, & cura excuſat.

Gravis quæcumque infirmitas corporis, vel animi, propter quam tutor nec res ſuas ea, qua par eſt, diligentia adminiſtrare poſſit, a tutela, vel cura excuſat (1): veluti ſi quis ſurdus, mutus, cœcus ſit, vel fiat, aut in gravem morbum incidat (2); neque enim, ait ſcite Triphoninus, impoſſibile munus alicui injungendum eſt cum incommodo tum tutoris, tum pupilli (3). Atque hac in re verſatur judicis arbitrium, ut definiat, infirmitatis, vel morbi natura, ætate tutoris, quantitate facultatum, & qualitate conſideratis, utrum excuſari debeat tutor, vel curator ab injuncto onere, nec ne. Aliquando etiam in locum tutoris, qui poſt ſuſceptam tutelam in morbum, vel furorem incidit, curator dandus eſt, cujus officium deſinet, cum tutor receperit ſanitatem; vel etiam omnino excuſandus eſt tutor, atque in perpetuum pro diverſa valetudinis conditione (4). Adverſa autem valetudo, quæ non impedit, quominus quis vacet rebus ſuis, ab hoc munere non excuſat, maxime eum, qui ſagax ſit, & capax (✠5).

(1) §. *Item propter 7. inſtit. hoc tit.* (1. 25.), *L. Non ſolum 10. §. ult. ff. hoc tit.* (27. 1.); *cum tamen, qui unum oculum amiſit, a tutela non excuſari, reſcripſit Alexander Imperator in L. Frater 9. cod. hoc tit. de excuſat.* (5. 62.)

(2) *D. L. Poſt ſuſceptam 40. ff. hoc tit. de excuſat.*

(3) *L. Titius filiis 45. §. ult. ff. h. t.*

(4) *L. Non ſolum 10. §. ult., & duob. ſeqq. ff. hoc tit.*

(✠5) *Deciſ. 16. martii 1643. refer. D. Abecclesia in cauſſa D.D. de Fontanella, §. D. Philibertus, d. §. 7. inſtit. hoc tit., d. L. 10. §. ult. ff. hoc tit.*

DEFINITIO V.

Ætas ſeptuaginta annorum completa excuſationem a tutela, vel cura præbet.

A tutela, vel curæ excuſat ætas major ſeptuaginta annorum (✠1), dummodo completa hæc ſit eo tempore, quo tutela defertur: deferri autem judicatur, cum quis tutor a judice eligitur: vel, ſi pure teſtamento datus ſit tutor, cum aditur hereditas; ſi ſub conditione, cum conditio extiterit: nec ſufficit intra tempora excuſationis hanc ætatem compleri (2). In hoc autem argumento, ubi de jure immunitatis agitur, annum incœptum non eſſe pro completo habendum, Romanis placuit (3); tum quia, etiamſi tutoris favor verſetur, ex altera tamen parte pupil-

lis, & minoribus damnum imminet: tum maxime, quia immunitas quæcumque, utpote commune jus lædens, ſtricta potius interpretatione coarctanda, quam amplianda eſt.

(✠1) §. *Item major* 13. *inſtit. hoc tit.* (1. 25.), *Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1646. *refer. D. Filippa in cauſſa Munier, Arnulphi, Arnulphæ, & Canta*, §. *Verum cum, in fine Deciſ.*

(2) *L. Excuſantur* 2. *ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

(3) *L. Majores* 3. *ff. de jure immunitatis* (50. 6.)

DEFINITIO VI.

Excuſantur a tutela, & cura artium liberalium profeſſores, & juris periti, qui doceant, vel Principi ſint a conſiliis.

A tutela, & cura immunes ſunt, quicumque artes liberales profitentur, veluti medici, & grammatici (1), quibus olim non accenſebantur legum doctores, niſi in conſilium Principis fuiſſent adſciti (quo caſu ſuſceptam quoque tutelam deponebant (2)): vel Romæ docerent (3): etenim juris periti tamquam magis idonei ad hoc munus gerendum vocandi potius, quam excuſandi videbantur. Sed ab Imperatore Conſtatino artium liberalium profeſſoribus ſunt exæquati, ita ut non ſecus ac illi una cum uxoribus, & filiis, & rebus etiam, quas poſſident, ab omnibus muneribus civilibus, vel publicis immunes ſint (4); quæ immunitas partim ex privilegio deſcendit ob ſcientiæ, vel artis præſtantiam, partim ex impedimento, quo quis utrique ſimul rei incumbere non poteſt. Sed inter liberalium artium profeſſores, eo ſaltem ſenſu, ut immunitatibus iiſdem conceſſa gaudeant, non recenſentur librarii, calculatores, vel rationarii (5), nec geometræ (6), nec poetæ (7): immo ut artium liberalium profeſſores aut juris periti a tutela, vel cura excuſentur neceſſe eſt, ut doceant, vel in patria ſua (8), vel ſaltem in urbe principe, quæ communis omnium patria reputatur (9), niſi legum doctores Principi ſint a conſiliis (✠10).

(1) *L. Si duas* 6. §. 1. *ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

(2) *L. Juris peritos* 30. *ff. hoc tit.*

(3) *L. Si duas* 6. §. *Legum vero* 12. *ff. hoc tit.*

(4) *L. Medicos* 6. *cod. de profeſſorib.*, *& medicis* (10. 52.)

(5) *Neque librarios, neque calculatores, quos vulgo rationarios dicimus, habere immunitatem, dicunt divorum conſtitutiones*, L. 15. §. 5. *ff. hoc tit.*

(6) *L. Geometræ* 22. *ff. hoc tit.*

(7) *L. Poetæ* 3. *cod. de profeſſ.*, *& medic.* (10. 52.)

(8) *L. Si duas* 6. §. *Amplius* 9. *ff. hoc tit. de excuſationib.*

(9) *D. L.* 6. §. *Romæ philoſophantem* 11., *& ſeqq.*

(✠10) *D. L.* 30. *ff. hoc tit.*, *Deciſ.* 22. *martii* 1673. *refer. D. Rolando in cauſſa utrinque Truchi*, §. *Contra vero.*

DEFINITIO VII.

Milites ad tutelam, vel curam nec volentes admittuntur.

Quidam ſunt, qui nec volentes ad tutelam, vel curam ſuſcipiendam admittuntur, veluti qui aliquod grave, & legitimum impedimentum habent: puta milites (✠1): quemadmodum etiam prohibentur procuratoris officio fungi (2), & aliena prædia conducere (3): ne propter privata aliorum negotia ſalutem publicam, quam tueri debent, negligant: ſuſcipere tamen poſſunt, ſi velint, tutelam filii commilitonis (4), qui in caſtris moretur: quod receptum videtur, tum favore defuncti parentis, qui in militia occubuit; tum quia mi-

Digitized by Google

nus diſtrahi videntur ab armis, ſi hujuſmodi tutelam gerant. Ut autem milites hoc privilegio utantur, plures requiri putant, ut armis dediti ſint, & parati ad prælium; alioquin enim, ceſſante cauſſa immunitatis, ipſam quoque immunitatem ceſſare debere exiſtimant (5). Sed alii rectius ſufficere putant, ſi milites in arce præſidii cauſſa ſint, vel quocumque modo militiæ officia implere teneantur, quia viget allata legis ratio.

(✠1) §. *Idem* 14. *inſtitut. hoc tit.* (1. 25.), *L. Militiæ* 4. *cod. qui dare tutores* (5. 34.), *Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1651. *refer. D. Beccaria in cauſſa Buggiæ, & Aymonis contra Mangiardum* §. *Et quidem reſpectu, ubi de milite prætoriano, & honoris cauſſa tutore dato quæſtio erat.*

(2) *L. Filiusfamilias* 8. §. *Veterani* 2. *ff. de procuratorib.* (3. 3.)

(3) *L. Milites* 31. *cod. de locat.*, & *conduct.* (4. 65.)

(4) *L. Propter Magiſtratum* 23. §. 1. *ff. hoc tit. de excuſat.* (27. 1.)

(5) *L. Quod dictum* 32. *ff. de pact.* (2. 14.), *L. Adigere* 6. §. *Quamvis nulla* 2. *ff. de jure patronat.* (37. 14.)

DEFINITIO VIII.

Tutelam ſuſceptam deponere non poteſt, qui poſt eam miles factus eſt.

Quod de militia diximus removente, vel excuſante (Defin. præced.) de ſuſcipienda tutela accipiendum eſt, non vero de ſuſcepta; cum enim immunitas hæc privilegio militiæ, maxime in veteranis, innitatur (1), ab onere quidem ſuſcipiendo liberat, non a ſuſcepto: quemadmodum in privilegio fori contingit, quo miles non gaudet, ſi in jus vocatus fuerit, antequam militiæ adſcriptus eſſet; quia præventione jus alteri quæſitum eſt (2). Atque hinc jure definivit Senatus, tutelam deponere non poſſe eum, qui poſteaquam eam ſuſceperat, factus fuerat gubernator: niſi ſpecialiter in hoc fuiſſet a Principe diſpenſatus: quo caſu adhuc in ea perſeverare deberet, donec alium tutorem pupillis nominari curaviſſet (✠3).

(1) *D. L. Sed & milites* 8. §. 1., & §. *Quæſitum eſt* 10. *ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

(2) *L. Si quis* 7. *ff. de judiciis* (5. 1.)

(✠3) *Deciſ.* 15. *maii* 1654. *refer. D. Vercellis in cauſſa D. D. Beatricis, & Galeaſſi ex Marchionibus Pallavicini*, §. *Senatus tamen, quæ confirmata fuit in judicio reviſionis* 18. *decembris* 1654. *refer. D. Beccaria: in qua tamen Senatus D. Marchionem Pallavicinum a tutela liberavit, quia immunitatem hanc a Principe obtinuerat.* Sed ne pupilli remanerent ſine tutore, & defenſore, fuit dictum, non poſſe D. Marchionem gaudere dicta liberatione, niſi prius providere faciat ipſis pupillis de tutore.

DEFINITIO IX.

Dari non poteſt a judice tutor, quem pater prohibuit, ne tutela fungeretur.

Tamquam ſuſpectus a tutela arcendus eſt ille, quem pater prohibuit (✠1), quamquam hinc nullam contrahit infamiæ notam (2). Parentibus utique permittendum, ut filiorum ſuorum indemnitati, atque utilitati conſulant, illæſa tamen aliorum exiſtimatione.

(✠1) *L. Scire oportet* 21. §. *Sed & ſi quis* 2. *ff. de tutorib.*, & *curator. dat.* (26. 5.), *Deciſ.* 16. *martii* 1643. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa D. L. de Fontanella*, §. *D. Philibertus.*

(2) *D. L.* 21. §. 2. *in fine*, *ubi ea verba*: Manente Epitimia, *nihil aliud ſignificant, quam eum removeri ſine infamia, ſeu integra exiſtimatione, ut in ſimili ſpecie loquitur Ulpianus, L. Tu-*

Digitized by Google

tor quoque 3. §. ult. ff. de ſuſpect. tut. (26. 10.)

DEFINITIO X.

Tutor, vel curator, qui debitor, aut creditor pupilli ſit, jure novo removetur, niſi teſtamento ex certa ſcientia datus fuerit. Quid ſi debitum, aut creditum poſt ſuſcepṫum officium ſuperveniat?

Superius diximus, a tutela repelli eum, qui pupilli debitor, vel creditor ſit, quin interſit, an magnum, an modicum ſit creditum, dummodo non minimum, exceptis matre, & avia, atque tutore teſtamentario ex certa ſcientia dato (1): in hac autem re non idem ſemper apud Romanos jus viguit: hujuſce excuſationis, ſeu remotionis cauſſa veteribus legumlatoribus ignota fuit (2): Juſtinianus eam induxit, atque ſimul cavit, ut debitor, aut creditor pupilli, aut minoris, qui ad tutelam, vel curam vocatus hoc tacuetit, ſi creditor ſit, creditum amittat; quamvis teſtamento tutor fuetit deſignatus (✠3): ſi autem debitor ſit, pœnam ſuſtinebit, quod ſe nullis miſcere poſſit debiti ſolutionibus, quæ tempore tutelæ, vel curationis fient (4), atque in eandem pœnam incidere eum, qui pro tutore negotia geſſerit, cenſuit Sabaudus Senatus? maxime ſi nullum confecerit inventarium (5): niſi forte quis proponatur datus tutor a teſtatore ſciente eum eſſe debitorem, vel creditorem, quo caſu creditum non amitti vulgo placet (✠6). Neque caſum prætermiſit Juſtinianus, quo debitum, aut creditum officio jam ſuſcepto ſuperveniat: puta ſi tutor hereditatem adeptus ſit alicujus, qui obligatum habebat minorem, vel qui minori obligatus erat; atque conſtituit, ut, tutore in adminiſtratione manente, curatot ei adjungatur, qui ejus caſus obſervet, & proſpiciat, ne aliquod damnum ex tutoris iniquitate pupillus ſuſtineat (7). Si tamen plures ſint tutores, tutor, qui debitor, aut creditor ſit, altero defendente agere potelt (8).

(1) *Titul. XII. de tutelis Defin. XIV.*

(2) *L. Creditorem 8. cod. qui dare tut.* (5. 34.), *L. Neque a tutela 7. cod. hoc tit. de excuſationib.* (5. 62.)

(✠3) *D. Novel. 72. cap. Si vere 4., Deciſ. 18. ſeptembris 1658. refer. D. Raſino in cauſſa Clericor. Regular. s. Pauli Colleg. Taurinenſ. contra Bodiolum, §. Qui textus, in medio, Deciſ. 22. martii 1673. refer. D. Rolando in cauſſa utrinq. Truchi, §. Contra vero, in fine, Deciſ. 13. junii 1738. refer. D. Bruno in cauſſa Concurſ. Proni, §. Senatus re penitus de more perpenſa, poſt num. 13.*

(4) *D. Novel. 72. cap. 4.*

(5) *Fab. cod. qui tut., aut curat. dar. lib. 5. tit. 20. defin. 1. num. ult. in allegat.*

(✠6) *Dict. Deciſionib. refer. D. Raſino, & D. Rolando, & dict. §§. Cum enim a tutela non repellantur tamquam ſuſpecti, qui a teſtatore ſciente ad eam vocati ſunt, nec debent in pœnam legis incidere, ſi debitum, vel creditum taceant.*

(7) *D. Novel. 72. cap. Sed & ſi quis 2.*

(8) *L. Si plures 24. ff. de teſtam. tut.* (26. 2.)

DEFINITIO XI.

Quid ſi lis tutori ſit cum pupillo, aut res communes ſint dividendæ?

Quæ de debito, & credito pupilli, vel minoris modo diximus (Defin. præced.), eadem fere obtinent, ſi lis tutori cum pupillo ſit: atque hic etiam non idem ſemper apud Romanos jus viguit. Antiquo jure lis, quam tutor cum pupillo haberet, nec voluntariam excuſationem præſtabat, niſi de omnibus bonis, aut ſaltem plurima co-

rum parte fuiſſet (1): Atque hanc pandectarum juriſprudentiam Juſtinianus confirmavit (2). Sed poſtea, antiquum jus minoribus periculoſum forte ſuſpicatus, novam legem condidit, atque omnino prohibuit, ne tutor, vel curator ſit, quicumque obligatas habeat defuncti, vel minoris res, vel ipſe minori ſit obnoxius (3): ex quo vulgo colligunt interpretes, & pragmatici, etiam a tutela prohibendum eſſe eum, qui litem habeat cum pupillo, quia lis neceſſario ſupponit debitum, vel creditum, de quo tutorem inter, & pupillum diſceptetur (✠4). Sane ab hac regula excipiendi ſunt tutores ex certa ſcientia teſtamento dati, nec non mater, quæ ob litem non repellitur a tutela, ſed adjungitur ei curator (✠5). Quod ſi poſt ſuſceptam tutelam lis ſuperveniat, curator adjungendus eſt, qui pupillum defendat (6): niſi plures ſint tutores (Defin. præced. in fin.). Controverſia tamen inter pupillum, & tutorem, quæ reſpiciat rerum communium diviſionem, non eſt legitima excuſationis cauſſa; cum diviſio hæc curatore conſtituto fieri poſſit, quin judicio agatur (7). Neque proprie dici poteſt alterum alterius debitorem, vel creditorem eſſe, aut litem inter utrumque intercedere.

(1) *D. L. 21. ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

(2) *D. §. Item propter 4. inſtit. hoc t.* (1. 25.)

(3) *Novel. 72. cap. 1.*

(✠4) *Deciſ. 13. ſept. 1692. ref. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ, contra Blancardum §. Tertio ex quo creditor. Lis enim cum pupillo cauſſa eſt omnium potior ad tutorem ſubmovendum, utpote quæ tutorem magis ſuſpectum efficit.*

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Torrini §. Rurſus, quod ſubſtantiale eſt. Hinc Senatus matri, quæ jura ſibi competere jactabat in hereditate pupillæ, juſſit curatorem adjungi ſumptibus tamen pupillæ, Sentent. Senat. 4. decembris 1734. refer. D. Nomis in cauſſa Bentii de Santena; ſed curator hic ſumptibus pupilli dari debet, cum ejus favore conſtituatur, ut eum defendat, ejuſque indemnitati proſpiciat.*

(6) *§. ult inſtit. de auctoritat. tutorum* (1. 21.)

(7) *L. Quod res 21. cod. hoc tit. de excuſationib.* (6. 62.)

DEFINITIO XII.

An plures cauſſæ ſimul junctæ excuſationem a tutela præbere poſſint, quæ ſeorſim non ſufficerent?

Cum avunculus teſtamento a patre tutor nominatus proponeretur, qui hoc onus recuſabat, allegans ſe minorem XXV. annis (quamvis major eſſet XX), ſeque ex modicitate ſui patrimonii (1) coactum, ut praxi legali incumberet in urbe principe, adjiciens ſe in Bugellenſi provincia bona poſſidere, ubi & ipſe domicilium habebat, ibique matrem, ac ſorores in minori ætate adhuc conſtitutas: demum negotiorum ſe omnino imperitum eſſe aſſeverans: quæ omnia a curatore pupillorum admiſſa ſponte fuerunt; cenſuit Senatus ad ſuſcipiendam tutelam cogi debere (✠2). Sententia hæc juri Romano conſentanea eſt (3): atque eo niti videtur fundamento, quod ſingulæ excuſationum cauſſæ legibus definitæ ſint; adeoque a judicis arbitrio pendere non debeat, ut aliæ inducantur, ne, facultate hac ſemel conceſſa, legibus fraus facile fiat.

(1) *Quod ex libris 1500. conflabat.*

(✠2) *Sent. Senat. 11. novembris 1751. refer. D. Falcombello in cauſſa Advocati Salterii contra pupillos Gaſtaldos.*

(3) *L. 15. §. Qui jura 11. ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

Digitized by Google

DEFINITIO XIII.

Excuſationis cauſſæ ſingillatim judici aperiendæ ſunt, ut ſtatuere poſſit, an danda ſit immunitas, nec ne.

Qui ad tutelam, vel curam legitimo modo vocatus eſt, quam tamen recuſare in animo habet, inprimis judicem competentem adire debet, atque eum ſingillatim edocere cauſſas, quibus ſe immunem eſſe contendit; neque vero, ut ſcite animadvertit Modeſtinus, ſufficit, ſi in genere tantum dicat, ſe juſtas habere excuſationis cauſſas; alioquin non poteſt judex definire, utrum immunitas ipſi concedenda ſit, nec ne. Quare ſimilis eſſet ei, qui in judicium non venit, vel veniens juſtam excuſationis cauſſam non allegavit (1). Hinc merito definitum, non cenſeri rite propoſitas ad hunc finem excuſationis cauſſas ab eo, qui, cum eſſet conſiliarius Principis, adeoque potuiſſet ſe excuſare, preces judici porrexit pro ſatisfactione ſui crediti, ex quo immunitatem a tutela contendebat, quamvis etiam in precibus explicitis verbis profeſſus fuiſſet, quod tamquam privilegiatus pro nunc non intendebat ſe immiſcere adminiſtrationi; quia preces porrectæ fuiſſent ad alium finem, adeoque non poſſent ad excuſationem prodeſſe (2) proteſtatio vero ſubſequens propter ea verba pro nunc demonſtrarent tempus præſens, atque deliberationem in futurum differrent (✠3).

(1) *Scire autem oportet, non ſufficere, ſi accedat ad judicem, ſed oportere etiam de ſpecie remiſſionis teſtari.. ſi minus, ſimilem eſſe ei, qui nequaquam acceſſit, aut acceſſit quidem, juſtam autem remiſſionis cauſſam non nominavit, L. Scire oportet 13. §. Scire autem 8. ff. hoc tit. de excuſat.* (27. 1.)

(2) *L. Legata inutiliter 19. ff. de legat.* 1. (30. 1.)

(✠3) *Deciſ. 22. martii 1673. refer. D. Rolando in cauſſa utrinq. Truchi, §. Contra vero.*

DEFINITIO XIV.

Quod tempus tutoribus competat ad allegandas excuſationis cauſſas? Quæ ſit milliaris apud nos longitudo?

Quinquaginta dies cujuſcumque generis tutoribus præſtituti ſunt, intra quos debeant excuſationis cauſſas allegare, ſi ibi morentur, ubi creati ſunt, vel infra centeſimum lapidem (1): ſi alibi, pro ſingulis viginti milliaribus unum diem habent, & amplius triginta dies (2). Verum, quia facile contingere poteſt, ſi verba legis, prout jacent, intelligantur, ut minus temporis ſpatium habeant, qui ſunt ultra centeſimum lapidem, quam qui intra, vel etiam, qui in ipſa civitate eſt (3); Idcirco Jureconſulti, menti potius legiſlatoris inhærentes, quam verbis, ejus conſtitutionem ita interpretati ſunt, ut numquam minus ſpatium quinquaginta diebus tutori, vel curatori ſuperſit: atque tum demum computatio inita, habita ratione diſtantiæ, proſit, cum hæc major fuerit quadringentis milliaribus (4). Milliare autem apud nos conſtat menſuris ſex pedum (*Trabucchi*) quingentis octoginta tribus (✠5), & quinta parte.

(1) *Lapidem dicebant Romani pro milliario, ſive pro mille paſſibus; quia in Italia ſingula milliaria ſingulis lapidibus, ſeu columnis lapideis, inſcripta ſigna habentibus, diſtincta erant. Omnes autem Italiæ viæ initium ſumebant ab aurata columna, quæ in capite fori prope ædem Saturni ſita erat Romæ.*

(2) *§. Qui autem 16. inſtit. hoc tit.* (1.

25.), L. Scire oportet 13. §. 1., & ſeqq. ff. hoc tit. (27. 1.)

(3) *Puta ſi quis diſtet 200. milliaribus, tantum quadraginta dies eſſet habiturus, decem ſcilicet pro 200. milliaribus, & amplius triginta.*

(4) *Sed, etſi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult, d. L. Scire oportet 13. §. Aliud etiam 2. ff. hoc tit.*

(✠5) *Sent. Reg. Cameræ 2. decembris 1726. refer. D. Bonaudo in cauſſa Reg. Patrimonialis contra Univerſitat. Cavæ, Candeli, Caſtellini, Claveſanæ, & Liſii, ubi agebatur de pecudis* (Beſtiame) *quantitate publice demonſtranda ab iis, qui commorantur in locis, quæ quinque milliariis diſtans ab exteris ditionibus.*

DEFINITIO XV.

Judex, cum de cauſſis excuſationis cognoſcit, vocare debet conſanguineos, vel curatorem pupillo dare.

Quia judex, nonniſi excuſationis cauſſis rite cognitis, immunitatem a tutelæ, vel curæ onere dare poteſt, cum de illis cognoſcit, vocare debet conſanguineos, vel vicinos pupillorum, aut minorum (1), ut de rei veritate facilius inſtruatur: vel curatorem pupillo dare (✠2), qui pupillorum jura contra tutorem ſe excuſare volentem tueatur (3). Sane ſi tutor datus a ſententia judicis provocaverit, curatorem dandum eſſe pupillo, auctor eſt Modeſtinus: niſi & de re ſimul agatur, puta adeunda hereditate, quæ nonniſi per tutorem expediri poſſit; tunc enim tutor dandus eſt (4). Hæ tamen cautiones prætermitti poſſunt, ſi excuſationis cauſſæ indubiæ, & notoriæ ſint, nec probatione indigeant.

(1) *Sicuti factum ſupponitur in L. 1. cod. ſi tutor., vel curat. falſ. allegat. (5. 63.)*

(✠2) *Ita ſervatum in d. cauſſa Advocati Salterii contra pupillos Gaſtaldos refer. D. Falcombello (Definit. 12. allegat. 2.)*

(3) *Argum. §. ult. inſtit. de auctoritat. tutor. (1. 21.)*

(4) *L. Cum in una 17. §. 1. ff. de appellat., & relat. (49. 2.)*

DEFINITIO XVI.

Qui ſemel tutelam, vel curam ſuſcepit, ab ea amplius ſe excuſare non poteſt, niſi nova ſuperveniat cauſſa.

Qumquam apud omnes conſtat, tum teſtamentariis, tum legitimis, tum dativis tutoribus concedi, ut ex legitima cauſſa ſe ab onere tutelæ, vel curæ eximant, certum tamen eſt, eum, qui ſemel tutelam ſuſcepit, vel curationem, verbis hanc voluntatem declarando, vel factis, ſe immiſcens adminiſtrationi, non amplius audiri debere (✠1); renunciatio enim beneficio ſponte facta ſola renunciantis voluntate retractari non poteſt propter jus alteri, pupillo nempe, quæſitum. Exceptio eſt, ſi nova cauſſa ſuperveniat, renunciatio enim ad cauſſas incognitas, maxime quia odioſa eſt, protrahi non poteſt: & tunc tutor, vel curator a judice dandus eſt, qui cauſſæ cognitioni interveniat (✠2).

(✠1) *L. Non tantum 17. §. Sane 5. ff. hoc tit. de excuſationib. (27. 1.), L. Tutores 2. cod. ſi tut., vel curat. falſ. allegat. (5. 63.), Deciſ. 18. ſeptemb. 1645. refer. D. Barberis in cauſſa Turinettæ contra Montem Pietatis Taurini, §. Nec obſtat ſecunda.*

(✠2) *D. Deciſ., & d. §., §. ult. inſt. de auctorit. tutor. (1. 21.), Arg. L. Admone eum 7. cod. qui petant tutor. (5. 31)*

Digitized by Google

DEFINITIO XVII.

Quid de eo, qui patri pupilli promiſit, ſe tutelam ſuſcepturum: vel tamquam teſtis ſubſcripſit teſtamento, in quo tutor nominatus fuit?

Neque tutelam recuſare poteſt is, qui patri pupillorum ſe tutelam ſuſcepturum promiſerit, quia promiſſio hæc beneficii renunciationem continet (1); promiſiſſe autem judicatur, qui non ſponte (quo caſu, tamquam ſuſpectus removendus eſſet), ſed ex patris teſtantis voluntate, ſe tutorem ſcripſit (2); ſponte teſtatori conſentiens ejus conſilium probare videtur: niſi ex neceſſitate officii id feciſſet: maxime ſi de jure ſuo tuendo, & conſervando proteſtatus eſſet (3). Alia eſt ratio ejus, qui tamquam teſtis ſubſcripſit teſtamento, in quo tutor nominatus fuit (✠4); hic enim actus unice tendit ad auctorandum teſtamentum, ſeu ad ejus formam extrinſecam, adeoque extendi non debet, ut teſtem obliget præter ipſius conſilium (5).

(1) §. *Item ſi propter 9. inſtit. hoc tit.* (1. 25.), *L.* 15. §. [illegible]. *ff. hoc tit. de excuſat.* (27. 1.)

(2) *L. Ex ſententia* 29. *de teſtam. tut.* (26. 2.)

(3) *Proteſtatio jus proteſtantis conſervat*, *L. Pro herede* 20. §. 1. *ff. de acquir. heredit.* (29. 2.)

(✠4) *Deciſ.* 28. *ſeptemb.* 1651. *refer. D. Beccaria in cauſſa Buggiæ, & Aymonis contra Mangiardum*, §. *Hoc tamen non obſtante.*

(5) *Actus enim agentium ultra ipſorum intentionem operari non debet L.* 1. *cod. plus valere quod agit* (4. 22.)

DEFINITIO XVIII.

Tutores legitimi ex juxta cauſſa poſſunt ſe a tutela conſanguineorum excuſare, quin ſucceſſione priventur.

In ea quæſtione, utrum tutores legitimi poſſint ſe a tutela ex juſta cauſſa excuſare (de dativis, & teſtamentariis extra caſus modo relatos defin. præc. nulla dubitatio eſt), quin priventur ſucceſſione, non una eſt omnium ſententia. Conſentiunt quidem paſſim, legitimos tutores æque ac alios ex iis cauſſis a tutela immunes eſſe, propter quas quis etiam volens non admittitur, ita poſtulante favore pupillorum (1); atque etiam ad tempus excuſari, ſi temporale ſit impedimentum, quo durante, curator detur: ſed quidam negant, in perpetuum tutelam ſponte recuſare eos poſſe: omnibus tamen hinc inde penſatis, & legibus, & æquitati magis conſona ſententia videtur, quæ idem immunitatis jus legitimis tutoribus tribuit, ac teſtamentariis, & dativis (✠2); etenim ſucceſſionis emolumentum denegari non debet illi, qui nullam habet culpam: nulla autem imputari poteſt culpa ei, qui ex juſta cauſſa detrectat graviſſimum tutelæ onus ſuſcipere. Præterquamquod leges nullibi tutores legitimos ab hoc beneficio excludunt, immo iiſdem quoque prodeſſe innuunt. Juſtinianus modum explicans, quo beneficium hoc implorari debet, eundem ab omnibus ſervandum docet, cujuſcumque generis ſint, ideſt qualitercumque dati fuerint (3), ſcilicet a lege, vel ab homine. Modeſtinus cauſſam expendens excuſationis, quæ ex numero liberorum habetur, atque conditiones, quæ in liberis deſiderantur, ut patri excuſationem præſtent (4), idem jus non tantum in teſtamentario tutore, ſed in quocumque alio vigere docet

(5). Demum fratrem emancipatum, qui proxime ad impuberis ſucceſſionem vocatur, ejus quoque tutelam ſuſcipere debere, niſi aliqua excuſatione munitus ſit (6): & patruos a nepotum tutela adminiſtranda ſe poſſe excuſare, indubium habent Imperatores (7); etiam ex privilegio (8), quod ſane ab ea non removet invitos, & in perpetuum excuſat. Neque nocet, ex legum præſcripto, ibi onus tutelæ eſſe debere, ubi eſt commodum ſucceſſionis (9): hæc enim regula exceptionem ex æquitate habere debet, cum juſta cauſſa aliud ſuadet.

(1) *L. Si pupillum 20. ff. hoc tit. de excuſationib.* (27. 1.)

(✠2) *Sententia hæc veluti indubia ſupponitur, tum in Deciſ. 16. martii 1643. refer. D. Abecleſia in cauſſa D. D. de Fontanella in princip., ubi traditur periculum adminiſtrationis ad tutores legitimos pertinere, quando pupilli tutore indigent, niſi ſe excuſent: tum in Dec. 22. martii 1673. refer. D. Rolando in cauſſa utrinq. Truchi, §. Contra vero.*

(3) *§. Qui autem 16. inſtit. hoc tit.* (1. 25.)

(4) *L. Excuſantur 2. princ. ad §. 4. ff. hoc tit. de excuſat.*

(5) *Hoc autem videtur quidem dictum eſſe de tutore dato ſecundum teſtamentum: convenit autem hoc & in omni alio d. L. 2. §. 5. ff. hoc tit.*

(6) *L. Frater 4. cod. de legit. tut.* (5. 30)

(7) *L. 1. cod. eod. tit.*

(8) *L. Si ſororis 9. cod. qui dare tut.* (5. 34.)

(9) *L. Quo tutela 73. ff. de reg. jur., L. 1., L. Tutela 3. §. Proinde 7. ff. de legitim. tutorib.* (26. 4.)

TITULUS XXIX.

De ſuſpectis tutoribus.

DEFINITIO I.

Quaſi ſuſpectus eſt quicumque tutor male, vel ſegniter timetur adminiſtraturus: atque ideo a tutela prohibendus eſt.

Suſpectus dicitur tutor, aut curator, qui ea, qua par eſt, diligentia officio ſibi demandato non fungitur (1); ſeu qui fraudulenter, vel negligenter tutelam, aut curam gerit (2). Immo, cum non tantum a ſuſcepta, ſed etiam a ſuſcipienda tutela removeri quis poſſit tamquam ſuſpectus (3), ſeu potius ab ea prohiberi, ſuſpectus, vel, ut aliqui malunt, quaſi ſuſpectus dici poteſt, quicumque male, vel ſegniter geſturus non injuria timetur (4); pupillorum, minorumve favor induxit, ut ſolus mali timor tutorem quaſi ſuſpectum efficiat, atque a tutela prohibendus ſit (✠5).

(1) *§. Suſpectus 5. inſtit. hoc t.* (1. 26.)

(2) *L. In poſtulandis 5. cod. hoc tit.* (5. 43)

(3) *L. Impuberibus 7. §. ult. ff. hoc tit. de ſuſpect. tutorib.* (26. 10.), *d. §. 5. inſt. hoc tit.*

(4) *Generaliter, ſi qua juſta cauſſa prætorem moverit, cur non debeat in ea tutela verſari, rejicere eum debebit, L. Tutor quoque 3. §. Si tutor 12. ff. hoc tit.*

(✠5) *Deciſ. 13. ſeptemb. 1691. refer. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Abbatem Blancardum, §. Senatus decidendam, in fine.*

Digitized by Google

DEFINITIO II.

Tutor tamquam ſuſpectus a tutela ſuſcepta removeri non debet, niſi certæ ſint ſuſpicionis cauſſæ.

Longe facilius quis prohibetur a ſuſcipienda tutela, quam removeatur a jam ſuſcepta; quemadmodum enim ſuſpectum munus propria auctoritate ſine legitima cauſſa deponi non poteſt (1), ita nec alteri invito auferri debet, niſi juſtiſſima cauſſa ita ſuadeat; alioquin ex communi hominum ſententia ejus jus læditur, & gravis injuria irrogatur: longe autem leviori injuria afficitur, qui ad civile officium non admittitur, quia ejus tantum jus ad rem, ita dicam, violatur. Hinc merito definitum fuit, tutorem a ſuſcepta tutela tamquam ſuſpectum removendum non eſſe, niſi de cauſſis ſuſpicionis liquido judici conſtet (✠2).

(1) *L. Non tantum* 5. §. *Sane* 5. *ff. hoc tit. de ſuſpect. tutorib.* (26. 10.), *V. ſupra tit. praeced. defin. XVI.*

(✠2) *Deciſ.* 19. *junii* 1699. *refer. D. Villtono in cauſſa March. de Bonnier contra Communitat. Villioni*, §. *Demum tutor.*

DEFINITIO III.

Suſpecti ſunt, qui pecuniam dant ad tutelam conſequendam. Quid ſi accipiant?

Suſpecti ſunt, qui ſponte tutelam ambiunt, maxime ſi pecuniam dederint, ut tutelam conſequerentur (1); qui etiam a ſuſcepta tutela removeri poſſunt, quia præſumuntur velle graſſari in rebus pupilli. Non tamen eadem ſuſpicione laborant, qui pecuniam accipiunt, ut tutelam alteri cedant, quia abeſt hujuſmodi periculum (✠2); quamquam turpiter, & ſine cauſſa (3) accipere videtur; quare merito juſſit Senatus, ut non quidem danti, qui pari ſaltem turpitudinis nota laborat, reſtitueretur accepta ob hunc finem pecunia, ſed ut erga pupillum de ea ſe oneraret mater, cui abdicata tutela reſtituta fuit, ſalvo ipſi jure contra dantem, prout æquum videretur (✠4).

(1) *L.* 1. §. *Quod autem* 7. *ff. de offic. præfect. urb.* (1. 10.), *L. In eas* 9. *ff. de tutel.* (26. 1.)

(✠2) *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1692. *ref. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Blancardum*, §. *Nec ipſum pariter.*

(3) *L. Perpetuo* 6. *ff. de condit. ob turp. cauſſ.* (12. 5.)

(✠4) *D. Deciſ.*, & *d.* §., *L. Ubi autem* 3. *ff. eod. tit. de condict. ob turp. cauſſ.*

DEFINITIO IV.

An tamquam ſuſpectus removendus ſit a tutela, qui inops eſt? Quid de aliena re, vel hypothecæ dare prohibito?

Quæri ſolet, an paupertas legitima cauſſa ſit, cur aliquis a tutela prohibeatur. Nemo quidem ex ſola paupertate iniquæ adminiſtrationis ſuſpectus ſit (1); inopia enim bonorum non impedit, quominus quis fideliter, & diligenter aliorum bona adminiſtret; quamvis, quia in rebus ſuis jacturam inde facile paſſurus eſt, aliquando permitti debet, ut tutelam etiam ſuſceptam deponat (2); vel ſalarium ei conſtituendum eſt judicis auctoritate, ſi ita ſuadeat æquitas (3). Quia tamen vix invenitur, qui alienas res ſuis præferre velit: adeoque plerumque timendum eſt, ne pupillo ex tutoris negligentia damnum immineat; idcirco caute judex æſtimare debet, utrum tutori pauperi curator idoneus facultatibus adjungendus ſit (4), an cautionis onus ei in-

Digitized by Google

jungendum, cum ex hodierno fori uſu a quocumque tutore, ſi ita poſtulet indemnitas pupillorum, cautio exigi poſſit, ita ut defectu ſatiſdationis a tutela prohibeatur: potiſſimum ſi ſpecialia ſimul concurrant adjuncta, quæ ſuſpicionem augere videantur, vel de ampliſſimo patrimonio agatur (✠5); judex enim pupillorum utilitatem præ ceteris ſpectare debet, ſpreto etiam patris, aut legis judicio (✠6). Ceterum non ideo quis a tutela removeri debet, aut poteſt, quamvis ſponte conſentiat, quia patris teſtamento alienare, vel obligare uſque ad certum tempus prohibitus ſit: cum hypotheca hæc a legibus inducta ſit (7), privata teſtantis voluntate tolli non poteſt (8).

(1) *L. Pietatis 6. cod. hoc tit. de ſuſpect. tutorib.* (5. 43.), §. *ult. inſtit. hoc tit.* (1. 26.), *L. Suſpectum* 8. *ff. hoc t.* (26. 10.)

(2) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 875. *pag.* 214.

(3) *Ibid.* §. 874. *pag.* 213.

(4) *D. L. 6. cod. hoc tit. de ſuſpect. tutorib.*

(✠5) *D. Deciſ. 13. ſeptembris 1692. reſcr. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Abbat. Blancardum*, §. *Secundo quod egenus ſit. V. Juriſpr. Tom. II.* §. 263. *pag. 69.*

(✠6) *L. Utilitatem pupillorum 10. ff. de confirmat. tut.*, *L. 1.* §. 1. *ff. ubi pup. educ. deb.* (27. 2.), *d. Deciſ. reſcr. D. Torrini*, §. *Senatus rem.*

(7) *L. Pro officio 20. cod. de admin. tut.* (5. 37.)

(8) *Fab. cod. de reb. alien. non alienand. ex lib. 4. tit. 38. defin. 4.*

DEFINITIO V.

Suſpectus eſt tutor, qui non conficit inventarium, vel male illud conficit, aut librum rationum.

Suſpectus habetur tutor, atque a tutela removendus, qui contutori ſuo recuſat, adminiſtrationem communicare (1); fraudem animo verſare non temere judicatur, qui expertem conſiliorum ſuorum, & agendi rationis habere vult eum, cujus æque intereſt, ut omnia ex fide gerantur, quia æquale periculum ſuſtinet. Atque eadem fere ratione, ſcilicet ob perverſi conſilii ſuſpicionem, quaſi ſuſpectus ab officio removendus dicitur tutor, qui inventarium facere negligit (2); aut fecerit quidem, ſed informe, vel librum rationum inordinatum habeat: niſi juſta cauſſa omiſſionem, vel dilationem excuſet (✠3), aut confectionem inventarii teſtator remiſerit (4), quæ tamen remiſſio jure noſtro non prodeſt (5).

(1) *L. Actus ſui 19. ff. de adminiſtrat., & peric. tut.* (26. 7.)

(2) *L. ult.* §. 1. *cod. arbitr. tutela* (5. 51.), *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 296., *& ſeqq. pag. 77.*

(3) *D. Deciſ. 13. ſeptembris 1692. reſ. D. Torrini in cauſſa utrinq. Blancardi*, §. *Quarto quod negligenter.*

(4) *D. L. ult.* §. 1. *cod. arbitr. tut.*

(5) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 9.* §. 5., *V. Juriſpr. Tom. II.* §. 294. *pag. 77.*

DEFINITIO VI.

Tutores ſuſpecti removentur, licet divites ſint, & idonee caveant: conſanguineis tamen plerumque adjungitur curator.

Suſpecti accuſatio eo tendit, ut tutor, vel curator doli, aut negligentiæ

tius ab officio removeatur, ſive ſuſcipiendo, ſive jam ſuſcepto: quamvis dives ſit, & idoneam præſtiterit cautionem, vel eam offerat (1); tum quia neque divitiæ, neque ſatiſdatio malevolum tutoris animum mutant, ſed potius facultatem præſtant diutius graſſandi in re familiari pupilli, vel minoris, ut poſt Callittratum (2) animadvertit Juſtinianus (3): tum quia longe melius eſt, & tutius, rem ſalvam habere, quam tabulas cautionis rem ſalvam fore (4), vel poſt cauſſam vulneratam remedium quærere (5). Excipiuntur tutores legitimi, quos non omnino ab officio repellendos, ſed potius iis adjungendum eſſe curatorem, ſuadet Modeſtinus, ne eorum lædatur exiſtimatio (6), quod & pupillo ipſi, vel minori probroſum videtur ob cognationis vinculum (7); niſi tamen ſingularia adjuncta aliud poſtulare videantur, ut pupillus indemnis ſervetur (✠8).

(1) §. *ult. inſtit. hoc tit.* (1. 16.), *L. Suſpectus* 5. *ff. eod. tit.* (26. 10)

(2) *L. Quia ſatiſdatio* 6. *ff. hoc tit.*

(3) *D.* §. *ult. inſt. hoc tit.*

(4) *D. L.* 5. *ff. hoc tit.*

(5) *L. ult. cod. in quib. cauſſ. in integr. reſtit. neceſſar. non eſt* (2. 41.)

(6) *L. Si tutor* 9. *ff. hoc tit. de ſuſpect. tutorib.*

(7) *Si tantum curator adjungatur tutori, vel curatori, cum potius videatur adjutor conſtitutus, nullum dedecus inuritur, d. L. Tutor quoque* 3. §. *ult. ff. hoc tit.*

(✠8) *L. Utilitatem* 10. *ff. de confirm. tutor.* (26. 3.), *d. Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1692. *refer. D. Torrini in cauſſa Baroniſſæ Blancardæ contra Blancardum*, §. *Quibus attentis: ubi patruus remotus fuit, quia plures cauſſæ ſuſpicionis aderant, & mater, quæ tutelam ceſſerat ſub quibuſdam conditionibus, ſcilicet retinendæ educationis pupillorum, & pecunias a patruo implicandi, ex eorum inobſervantia tutelam ſibi reſtitui poſtulabat, cui annuit Senatus.*

TITULUS XXX.

De redditione rationum.

DEFINITIO I.

Adminiſtratores omnes rerum alienarum rationes reddere debent.

Cum adminiſtratores omnes alienarum rerum fideliter, & diligenter fungi debeant ſuſcepto munere, ne alter damnum ſentiat ex alterius improbitate, vel negligentia; quod idcirco, ſi illatum fuerit, reſtaurandum eſt ab iis, qui cauſſam ejus dederunt (1), conſequens eſt, eos, cujuſcumque generis ſint, ſive voluntarii, ſive neceſſarii, ſive a judice publica auctoritate, ſive privata ab homine conſtituti, ſive a lege, ſive etiam propria ſponte adminiſtrationi ſe ſe ingeſſerint, ad reddendas rationes teneri (✠2), ut cognoſci poſſit, quis fuerit adminiſtrationis habitæ modus; ſumptibus tamen pupilli, aut minoris: quemadmodum & in aliis omnibus obſervatur, quibus rationes reddendæ ſunt (3), cum nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum (4).

(1) *L. Qui occidit* 30. §. *In hac quoque* 3. *ff. ad leg. Aquil.* (9. 2.)

(2) *L. Si quis abſentis* 2. *ff. de negot. geſt.* (3. 5.), *L.* 1. *princip. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend.* (27. 3.), *Deciſ.* 22. *februarii* 1645. *refer. D. Pergamo in cauſſa Argenterii contra Argenteriam in princip., Deciſ.* 8. *april.* 1732. *refer. D. Balduino in cauſſa Reg. Patrimon., & Comitis Senator. Salutii a Paeſana*, §. *Fatemur inſuper, Deciſ.* 7. *februarii* 1730. *refer. D. Marelli in cauſſa Boſſæ contra Peyraſſum*, §. *Quo vero ad redditionem rationum, Deciſ.* 11. *ſe-*

Digitized by Google

ptembris 1731. refer. D. Demorra in cauſſa utrinque Pelleri, §. Quoad alteram inſpectionem poſt num. 5., Deciſ. 14. decembris 1648. refer. D. Piſcina in cauſſa Comit. Polongheriæ contra Marchion. Vogheriæ in princip., Deciſ. 20. decembris 1672. refer. D. Raſino in cauſſa Garoni, & Martini, Deciſ. 21. martii 1760 refer. D. Calza in cauſſa fratrum de Boninis contra fratres Marencos, §. Idcirco Senatus, Deciſ. 23. junii 1731. refer. D. Blavet in cauſſa Tornielli contra Comit. Valpergam per tot.

(3) *Argum. L. 1. §. Item ſumptus 9. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend., Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 31. defin. 1.*

(4) *L. Si ſervus 61. §. Quod vero 6. ff. de furt. (47. 2.), L. Si quis ex ſignatoribus 7. ff. teſtament. quemadmod. aperiant. (29. 3.)*

DEFINITIO II.

Qui ad tutelam vocati non ſunt, rationem tantum reddunt eorum, quæ adminiſtraverunt, niſi doli argui poſſint.

Quamquam vero, quicumque bona pupillorum adminiſtrarunt, rationem reddere tenentur: non tamen in omni caſu tamquam tutores; ſi enim ad hoc munus nec a lege, nec a judice, nec a teſtatore fuerint vocati, rationes reddunt tamquam ſimplices adminiſtratores, non tamquam tutores: adeoque eorum tantum, quæ geſſerunt, & ad eorum manus pervenerunt (✠1): quemadmodum de damno eorum dumtaxat tenentur, quæ dolo, vel lata culpa fecerunt, vel omiſerunt (✠2); cum enim ad gerendum obſtricti non ſint, teneri nequeunt de iis rebus, quas non attigerunt; niſi dolus ipſis objici poſſit, vel culpa lata, quæ dolo æquiparatur (3). Contra tutor, cui univerſa pupilli bona credita ſunt, non tantum de eo, quod fecit, ſed & de eo, quod omiſit, rationem reddit (4).

(✠1) *Deciſ. 7. februarii 1642. refer. D. Appiano in cauſſa Bernardi contra Bernardum, §. Quod ſecundo; ubi de fratre agebatur, qui, defuncto patre, communia cum fratre impubere bona adminiſtraverat, d. Deciſ. 11 ſeptemb. 1731. refer. D. Demorra in cauſſa utrinque Pelleri, §. Quoad alteram inſpectionem, Deciſ. 12. junii 1680. refer. D. Balegno in cauſſa Perſendæ contra Rolatum, §. Contrarium tamen, ubi de eo, qui pro tutore negotia geſſit, d. L. Si quis abſentis 2. ff. de negot. geſt. (3. 5.), L. 1. §. ult. ff. de eo, qui pro tut. (27. 5.)*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Demorra, & d. §., Deciſ. 3. martii 1653. refer. D. Pattarini in cauſſa de Pegolottis contra Vercellinum, & nepotes, d. L. 2. verſic. Et ſane ff. de negot. geſt., d. L. 1. §. ult. ff. de eo, qui pro tutor.*

(3) *L. Magna 226. ff. de verb. ſignific.*

(4) *In omnibus, quæ fecit tutor, cum facere non deberet: item in his, quæ non fecit, rationem reddet hoc judicio, L. 1. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend. (27. 3.)*

DEFINITIO III.

Quid ſi plures ſint tutores, vel curatores, & omnes adminiſtraverint?

Cum plures ejuſdem pupilli tutores, vel minoris curatores ſint, ſi quæratur, an omnes ad reddendas rationes conveniri poſſint, diſtinguere oportet, utrum omnes adminiſtraverint, vel adminiſtrare debuerint, nec ne. Si omnes adminiſtraverint, rurſus diſtinguendum eſt, utrum pro indiviſo geſſerint, an quiſque partem ſuam. Si omnes adminiſtraverint pro indiviſo, & communiter, jure quidem veteri, poterat unuſquiſque ad reddendas rationes in ſolidum conveniri: quemadmodum & ad totum debitum ſolvendum, ceſſis ta-

mea a pupillo , vel minore actionibus adverſus ceteros rutores , vel curatores (1); quamvis , ceſſione omiſſa , licebat tutori , qui ſolvit, utili actione adverſus contutores experiri , niſi doli reus ipſe fuiſſet (2) : quod ſuaſerat , tum favor pupillorum , & minorum , ne ex diviſione actionis tutelæ damnum ſentiant; tum quia tutela , & cura unica eſt , etiamſi a pluribus geratur , quam idcirco ſinguli in ſolidum totam gerere cenſentur . Sed poſteriore jure placuit , exemplo fidejuſſorum , rutoribus etiam , eorumque fidejuſſoribus diviſionis beneficium indulgere , ſi omnes ſolvendo ſint (3) . Quod ſi aliquis ſolvendo non ſit , inter eos , qui ſolvendo ſunt , actionem dividi (✠4) . Sed a contutoribus beneficium diviſionis implorandum eſt : quemadmodum & in fidejuſſoribus, & correis obtinet (5) ; nec officio judicis ſuppleri poteſt hujuſmodi exceptio (✠6) .

(1) *L. Si diviſio* 2. *cod. de divid. tut.* (5. 52.)

(2) *L.* 1. §. *Et ſi forte* 13. *ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend.* (27. 3.) , *L. Si non ex propria* 2. *cod. de contr. jud. tut.* (5. 58.)

(3) *D L.* 1. §. *Et ſi quidem* 11. *ff. hoc tit. de tutel., & rat. diſtr.*

(✠4) *D. L.* 1. §. *Sed & ſi non omnes* 12. *ff. hoc tit. Allatæ quidem leges potius loquuntur de damno reficiendo , & reliquis reſtituendis ; ſed reddendis rationibus jure aptantur : tum quia actionem tutelæ generaliter commemorant , qua non minus rationum redditio petitur , quam damni refectio , & reliqui reſtitutio ; tum quia ipſæ rationes perfecte redditæ non dicuntur , niſi reliquis perſolutis.* Is , qui reddere rationes juſſus ſit, non videtur ſatisfacere , ſi reliquum reddat , non editis rationibus, *ait Pomponius in L. Non ſolum* 8. §. *Is , qui* 5. *ff. de liber leg.* (34. 3.) : *atque hoc eſt , quod ajunt Pragmatici, rationes incipere a faciendo , deſinere autem in dando . Deciſ.* 9. *ſeptemb.* 1642. *refer. D. Appiano in cauſſa Filippæ contra Bonfilium ,* §. *Quoad tertium .*

(5) *L. Inter plures* 26. *ff. de fidejuſſorib.* (46. 1.)

(✠6) *Deciſ. ann.* 1648. *refer. D. Vercellis inter coheredes tutoris Poggii contra Muſſum , ubi de coheredibus tutoris agebatur .*

DEFINITIO IV.

Quid ſi aliquis tantum ex pluribus tutoribus geſſerit ?

Eodem jure , ac illi , qui adminiſtrationi pupillarium rerum ſe immiſcuerunt , reguntur tutores , qui abſtinuerunt ab adminiſtratione , cum tamen gerere debuiſſent ; videlicet in ſolidum quiſque poteſt conveniri ad rationes reddendas , & ad reliqua ſolvenda (1) , prius tamen conventis iis , qui geſſerunt , ceteris tantummodo in ſubſidium, ſi illi ſolvendo idonei non ſint (✠2) , niſi beneficio ordinis , ſeu excuſſionis renunciaverint (✠2) . Plane de illis , quæ omiſſa ab omnibus contutoribus ſunt , æque tenentur & qui tutelam adminiſtraverunt , & qui ab adminiſtratione abſtinuerunt (4) .

(1) *L.* 1. *cod. ſi tut., vel curat. non geſſ.* (5. 55.)

(✠2) *D. L.* 1. *L. ult. cod. eod. tit., immo etiam non gerenti tutori , fidejuſſorum exemplo , competit beneficium ordinis , ſeu excuſſionis , Deciſ.* 12. *junii* 1680. *refer. D. Balegno in cauſſa Perſendæ contra Rolatum ,* §. *Contrarium tamen, niſi huic beneficio renunciaverit .*

(✠3) *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1644. *ref. D. Filippa in cauſſa fratrum de Bernardis contra Tamagnonum , ubi definitum fuit , unum ex duobus tutoribus , qui jurato promiſerat ſe adminiſtraturum in ſolidum , & rationes redditurum cum opportunis renunciationibus non poſſe juvari

beneficio ordinis pro iis rebus, quas non adminiſtravit.

(4) *D. L. ult. cod. ſi tut., vel curat. non geſſerit.*

DEFINITIO V.

Heres tutoris rationes reddere tenetur, atque heredibus pupilli reddendæ ſunt.

Non tantum tutor, ſed ejus quoque heres adminiſtrationis rationes reddere debet (✠1); ſicuti in univerſum jus defuncti ſuccedit (2), ita æquum eſt, ut & onera ferat, quæ ex re deſcendunt (3). Atque idem eſt de quovis univerſali ſucceſſore, vel ipſo fiſco (4): quæ ratio oſtendit, etiam pupilli heredibus competere actionem, qua rationes expetant, quocumque jure heredes ſint, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive jure ſubſtitutionis (5). Hinc cenſuit Senatus, tutorem teſtamentarium ejus, qui propter longam abſentiam XIV. annorum haberi poterat pro mortuo, teneri ad reddendas rationes adminiſtrationis ſorori, & eidem reliqua reſtituenda, media tamen cautione per ſororem præſtanda de reſtituendis omnibus percipiendis, ſi ita contingeret judicari: tum quia ſoror erat proximior ad ſuccedendum, tum quia fratri fuerat ſubſtituta (✠6).

(1) *L. Omnes tutores 5., L. Si defunctus 10. cod. arbitr. tutel. (5. 51.), Deciſ. 7. februarii 1642. refer. D. Appiano in cauſſa utrinque Bernardi in princ., d. Deciſ. 9. ſeptembris 1652. in cauſſa Filippæ contra Bonfilium, §. Quoad primum, cum certi, ref. eod. D. Appiano.*

(2) *L. Heredem 59., L. In pari cauſſa 128. §. 1. ff. de reg. jur.*

(3) *L. Ait prætor 3. §. Hæc autem 7. ff. de negot. geſt. (3. 5.)*

(4) *L. Si tutor 9. §. Sed & ſi 6. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend. (27. 3.)*

(5) *L. Tutelæ actio tam heredibus, quam etiam contra ſucceſſores competit; L. Tutelæ 10. cod. hoc tit. arbitr. tutel. (5. 51.)*

(✠6) *Deciſ. 8. martii 1663. refer. D. De-Mazzettis in cauſſa Creſti contra Creſtum.*

DEFINITIO VI.

Facilius judicatur pro tutore ſe geſſiſſe ille, ad quem legitima, vel teſtamentaria hereditas pertinere poteſt.

Pro tutore aliquem geſſiſſe inde probatur, quod in aliquo inſtrumento, vel quolibet alio actu ſe tutorem nominaverit: maxime ſi talis ſit, ad quem teſtamentaria, vel legitima hereditas pertinere potuerit (1); quin interſit, an fuerit a judice confirmatus, nec ne (niſi moribus inductum ſit, ut quivis tutor confirmari debeat, nec prius pro tutore habeatur); cum enim teſtatores ſoleant tutela onerare quem dignum hereditate putant; atque legibus conſtitutum ſit, ut ibi tutela eſſe debeat, ubi ſucceſſio eſt (2), facilius hic pro tutelæ munere functus præſumitur. Quare & traditum eſt, eum, qui habet jus habituale tutelæ teſtamentariæ, vel legitimæ, ſi de facto ſe ingerat adminiſtrationi, etiamſi ſolemnia non impleat, exinde reputari accepraſſe tutelam ſibi delatam, & pro tutore ſe gerere (✠3).

(1) *Fab. cod. de eo, qui protutor. &c. lib. 4. tit. 28. defin. 1. alleg. 2.*

(2) *L. Quo tutela 73. ff. de reg. jur.*

(✠3) *Deciſ. 4. ſeptembris 1682. refer. D. Torrini in cauſſa Martinetti contra Marchet, §. Verum ad excluſionem doli.*

Digitized by Google

DEFINITIO VII.

Solutio facta vero tutori liberat ipſo jure debitorem. Quid ſi protutori ſolutum fuerit?

Cum tutor plenam rerum pupilli adminiſtrationem habeat, ſolutio ipſi facta debitorem ipſo jure liberare debet (✠1); quia pupillo ipſi ſolutum videtur, quod vero, & legitimo tutori ſolvitur. Atque hoc jus extendit Senatus ad eum caſum, quo ſolutum fuerit tutori poſt finitam tutelam, dummodo tutor ſolvendo ſit, & negotium antea cum ipſo geſtum fuerit (2). Neque nocet, quod tradit Juſtinianus (3), præviam judicis ſententiam requiri, ut debitor plene liberetur, etenim ita intelligendus eſt Imperator, ut, ea ommiſſa, pupillus in integrum reſtitui poſſit (4). Quod ſi ſolutio facta fuerit ei, qui pro tutore negotia pupilli gerit, liberatio non contingit, niſi pecunia in utilitatem pupilli verſa demonſtretur (5). Sane ſi pupillus protutelam gerenti heres extiterit, exceptione doli repellendus eſſet, ſi factum defuncti vellet impugnare (6); unuſquiſque ejus factum probare, ac præſtare debet, ex cujus perſona lucrum ſentit (7): nec permittendum, ut ex propria perſona quis conſequi intendat, quod ex perſona ejus, cui ſucceſſit, reſtituere cogeretur (8). Si tamen creditum pupilli favore contractum fuiſſet ab ipſo, qui pro tutore negotia gerit; ſolutio quidem mala fide facta, ideſt ab eo, qui ſciret eum legitimum tutorem non eſſe, liberationem non pareret: bona fides tamen ita debitori prodeſſet, ut, ſi eidem ſolveret, verum putans eſſe tutorem, æque liberaretur, ac ſi vero tutori ſolviſſet (9), ut aptus ad diſſolvendam obligationem habeatur ille (ſi mala fides debitoris non obſtet), qui obligationem quærere potuit (10).

(✠1) *L. Lucius Titius 46. §. Tutelæ 5. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.), *Decis.* 27. *junii* 1654. *refer. D. Dalmazzono in cauſſa Civit. Taurini contra viduam Senatoris Juliani in princ.*

(2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 39. *num.* 3. ✠

(3) *§. ult. inſtit. quibus alienare licet, vel non* (2. 8.)

(4) *L.* 1. *eod. ſi adverſ. ſolut.* (2. 23.), *junct. d. §.., & L. Sancimus* 25. *eod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.)

(5) *L. Debitores* 28. *ff. de ſolut., & liberat.* (46. 3.), *Fab. d. defin.* 2. *cod. lib.* 5. *tit.* 28. *num.* 3., *&* 4. *in corp.*

(6) *Fab. d. defin.* 2. *num.* 5. *in corp.*

(7) *L. Ex qua perſona* 149. *ff. de reg. jur.*

(8) *L. Seja fundos* 73. *ff. de evictionib.* (21. 2.)

(9) *L. Filiæ inteſtato* 8. *ff. de ſolution.* (46. 3.), *Theſaur. lib.* 3. *quæſt.* 39. *num.* 2. ✠, *ubi & traditum, idem eſſe de ſolutione, quæ facta ſit finita tutela.* 1. *Si modo tutores ſint ſolvendo.* 2. *Negotium cum eo fuerit celebratum, Theſaur. ibid. num.* 3. ✠: *quod tamen accipiendum videtur de caſu, quo debitor ignoraverit finitam fuiſſe tutelam.*

(10) *Fab. eod. lib.* 5. *tit.* 28. *defin.* 1. *num.* 3. *in corp., & num.* 4. *in allegat. & def.* 2. *num.* 4. *in allegat.*

DEFINITIO VIII.

An creditor poſſit agere, ut ſibi rationes tutelæ reddantur?

Tutelæ quidem actio, qua rationes adminiſtrationis petantur, datur tum pupillo, tum & ejus heredi (1); ſed alteri præter iſtos nullatenus competit; quia perſonalis eſt, utpote ex quaſi contractu deſcendens (2). Atque hinc colligit Faber (3), filium, qui paternæ hereditate abſtinuit, quamvis patris creditor forte etiam pignoratitius ſit, puta tamquam heres matris, vel alio quo-

eumque jure ; agere non poſſe contra eum, qui defuncti patris bona tamquam tutor adminiſtravit, ut rationes reddat; cum enim paternæ hereditati ſe non immiſcuerit, tamquam heres ejus conſiderari non poteſt (4). Quod autem ejus interſit, tantum prodeſt, ut poſſit petere curatorem dari bonis paternis, adverſus quem jus ſuum proſequatur, &, eo condemnato, in executionem judicati impetrare, ut cedatur ſibi a curatore, qui perſonam defuncti repræſentet, actio adverſus tutorem, vel ejus heredes, qua ad redditionem rationum adigantur. Sed hæc vera ſunt, ſi juris rigor attendatur. Ceterum ex æquitate, quæ non patitur, ut alter ex alterius facto, vel dolo damnum ſentiat, & ut inutiles circuitus vitentur, cenſuit Senatus, utilem actionem creditori dandam eſſe adverſus tutorem (5).

(1) *L. Omnes tutores* 5., *L. Si defunctus* 10. *cod. hoc tit. arbitr. tutel.* (5. 51.), *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 1021., *pag.* 254.

(2) §. *Tutores* 2. *inſtit. de obligat., quæ quaſi ex conſenſ.* (3. 28.)

(3) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 31. *defin.* 7.

(4) *Scilicet quoad effectum L. Hereditariis* 57. *ff. de acquir. heredit.* (29. 2.)

(✠5) *Deciſ.* 14. *auguſti* 1655. *refer. D. Delaude in cauſſa Zupinæ contra Galeam per tot.*, *L. Cum tutor* 18. *ff. hoc tit. de tutorib.*, *& rationib. diſtrahend.* (27. 3.)

DEFINITIO IX.

Rationum redditio teſtamento remitti non poteſt : facta tamen remiſſio prodeſt, ne tam ſubtilis inquiſitio fiat.

Tanti momenti legislatoribus viſa eſt rationes reddendi obligatio, ut nec immunis ab ea ſit ille, quem pater teſtamento ſuo liberaverit (1), tum quia privatis concedendum non eſt, ut jus publicum remittant; aut in rebus, quæ publicam utilitatem annexam habent, immutent formam jure publico conſtitutam (2): tum quia remiſſio hæc deſidiæ, & fraudi viam pandit, quod bonis moribus, & æquitati repugnat. Eatenus tamen prodeſſe hujuſmodi liberationem traditum eſt, quatenus remitti debeat ſubtilis, & ſcrupuloſa inquiſitio (✠3).

(1) *L. Ita autem* 5. §. *Julianus* 7. *ff. de adminiſtr.*, *& peric. tut.* (26. 7.)

(2) *L. Jus publicum* 32. *ff. de pactis* (2. 14.), *L. Quod bonis* 15. *ff. ad leg. Falcid.* (35. 2.)

(✠3) *D. Deciſ.* 22. *februarii* 1645. *refer. D. Pergamo in cauſſa utrinq. Argenterii in princip.*, *Fab. cod. de rei uxor. act. lib.* 5. *tit.* 8. *def.* 16.

DEFINITIO X.

Præſcriptio XXX. annorum a reddendis rationibus excuſat.

Inter cauſſas, quæ a reddendis rationibus excuſant, referri debet præſcriptio, non quidem longi (1), ſed longiſſimi temporis (✠2); cum hæc ex legum ſanctione extinguat actiones omnes, a quibus nullibi excepta deprehenditur tutelæ actio (3).

(1) *L. Tutores* 8. *cod. hoc tit. arbitr. tutel.* (5. 51.), *L. Neque mutui* 5. *cod. quib. non objic. long. temp. præſcript.* (7. 35.)

(✠2) *Deciſ.* 3. *julii* 1590. *ref. D. Cravetta in cauſſa Michii, & Raviſiæ, & Deciſ.* 28. *martii* 1617. *ref. eod. in cauſſa Balduinæ Mileviæ, & Romagnani.*

(3) *L. Sicut in rem ſpeciales* 3. *cod. de præſcript. XXX, vel XL. ann.* (7. 39.)

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Rationes reddere non tenetur tutor, ſi minor dolo ſubtraxerit libros adminiſtrationis.

Immunis quoque eſt tutor, vel curator a reddendis rationibus, ſi ſcripturæ, quibus geſta in adminiſtratione continentur, dolo ſubtractæ fuerunt ab ipſo minore (✠1); cum enim ſine ſcripturis impoſſibilis fere ſit rationum redditio, in odium ejus, qui illicitum impedimentum præſtitit, pro redditis haberi debent (2).

(✠1) *Deciſ. 6. ſeptembris 1703. refer. D. San Martino in cauſſa Baroniſſæ Rotariæ viduæ D. Blancardi contra Blancardos ejus filios, §. Maximum dicta demandatæ.*

(2) *Argum. L. Jure civili 24. ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.), *L. Ad ea 157. §. 1. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XII.

Quid ſi tenue ſit pupilli patrimonium, & conſtet tutorem recte geſſiſſe?

His addi poteſt caſus, quo tenue omnino ſit patrimonium pupilli; & aliunde certo conſtet, tutorem rite, & fideliter adminiſtraſſe, nec aliquid ſurripere potuiſſe (✠1): quemadmodum enim ex eadem tenuitate patrimonii, prout fert communis ſententia (2), remittitur confectio inventarii, ne inutilibus ſumptibus pupillus oneretur; ita, eadem minorum ſuadente utilitate, remitti debet ſolemnis redditio rationum: non tamen quælibet, niſi certo conſtet de recta adminiſtratione (3).

(✠1) *Deciſ. 7. februarii 1730. refer. D. Marelli in cauſſa Boſſæ contra Peyraſſum in fine.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. II. §. 295. p. 77.*

(3) *Argum, L. Mediterraneæ civitates 9. cod. de annon., & tribut.* (10. 16.)

DEFINITIO XIII.

An ſolutio debiti liquidi differri poſſit ob rationes nondum redditas?

In ea quæſtione, an differri poſſit rationum redditio, ſi tutor creditor ſit pupilli, & prius contendat ſibi ſatisfieri, quam rationes reddat, placet diſtinctio, an creditum certum ſit, atque, ut ajunt, liquidum, an vero incertum, & illiquidum. Crediti certi ſolutio differri non poteſt prætextu rationum minime redditarum (✠1), quia ante rationes redditas nec debitor, nec creditor ex adminiſtratione tutor dici poteſt: adeoque poſtulat æquitas, ut interim tutori præſtetur, quod ad ipſum ſine controverſia pertinet. Hinc jure traditum eſt, ob rationes adminiſtratæ tutelæ non redditas a matre neutiquam poſſe retineri dotes liquidas: maxime ſi præſumptione non oneretur, quod potuerit ſibi ſolvere, puta ſi tenue ſit patrimonium (✠2), atque matrem tutricem ante redditas rationes ſervandam eſſe in poſſeſſione bonorum mariti pro ſuis dotibus (✠3): neque ob rationes non redditas differri poſſe diviſionem inter fratres, quorum unus adminiſtraverit, ſi res ſit illiquida, ſed unice injungi cautionem (✠4). Viciſſim tutor, pendente redditione rationum, non poteſt retinere bona pupilli, quamvis forte illis redditis creditor apparere poſſit (✠5). Si autem tutoris creditum incertum ſit, & illiquidum, non jure poſtulat tutor, ut reddendarum rationum dilatio concedatur, donec ſibi fuerit ſatisfactum; cum enim certum ſit tutoris officium, quo ad reddendas rationes; finita ſtatim tutela, adſtringitur (6), ob incertam crediti ſpeciem non debent retardari.

Digitized by Google

(1) *Deciſ. 11. decembris 1730. refer. D. Nomis in cauſſa fratr. de Scarampis §. Quibus maxime, in fin. deciſ., Deciſ. 13. maii 1652. refer. D. Caroccio in cauſſa Tadæi contra heredes Damiani Rubei, Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 28. num. 3., & 4. ✠, Fab. cod. de ſentent., & interlocut. omnium judicum lib. 7. tit. 15. defin. 21. num. ult.*

(✠2) *Deciſ. 4. ſeptembris 1642. refer. D. Torrini in cauſſa Martinetti contra Marchet, §. Secundo quæſitum, Deciſ. 6. maii 1680. refer. D. Gabuti in cauſſa Ferreriæ contra Ferrerios in fin.*

(✠3) *Deciſ. 7. maii 1649. refer. D. Vercelli in cauſſa Vaſſalli Nucetu contra matrem, §. Primo, ſi mater ageret.*

(✠4) *D. Deciſ. 6. maii 1680. refer. D. Gabuti in fine, Fab. d. defin. 21. in fin. lib. 7. tit. 15.*

(✠5) *Deciſ. 4 februarii 1642. refer. D. Pergamo in cauſſa Muratoris, & Ferrutii, §. Iſtis non obſtantibus, in princip., argum. L. Cum emptor 5, L. Si id, quod 7. §. 1. ff. de reſcindenda venditione (18. 3.), L. penult. cod. commun. dividund. (3. 37.)*

(6) *L. 1. in princip. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend. (27. 3.)*

DEFINITIO XIV.

Quid ſi tutor pingue pupilli patrimonium per longum tempus adminiſtraverit?

Immo caſus contingere poteſt, quo tutori prius ſatisfaciendum non ſit, quam rationes reddiderit, licet creditum ſit certum, & liquidum, ſi nempe de pingui patrimonio agatur, quod per longum tempus a tutore fuerit adminiſtratum; atque conſtet, ad manus tutoris egregiam pecuniæ, & fructuum quantitatem perveniſſe (✠1); niſi aliter ſuaderent perſonarum, & rerum adjuncta, differri poſſet ſolutio eorum, quæ tutori debita eſſe conſtat, donec redditæ fuerint adminiſtratæ tutelæ rationes (2).

(✠1) *Deciſ. 14. decembris 1694. ref. D. Rolando in cauſſa viduæ Bomport contra fratres de Joanettis, §. His ſic reſolutis, in fine Deciſ.*

(2) *Argum. L. Hæc autem 5. §. 1. ff. quibus ex cauſſ. in poſſeſſ. eat. (42. 4.)*

DEFINITIO XV.

Tutor rationem reddere debet omnium, quæ fecit, & quæ male omiſit, atque etiam fructuum. Quid de conſuetudine vallis Auguſtæ?

Tutor eorum omnium rationem reddere debet, quæ fecit, cum facere non deberet, atque eorum pariter, quæ omiſit, cum facere debuiſſet (1). In hoc ergo judicium veniunt non tantum, quæ a tutore geſta ſunt, an ex utilitate pupilli, atque ea, qua par eſt, diligentia fuerint pertractata; ſed & quæ omiſit, quæ tamen diligens paterfamilias feciſſet. Atque non ea dumtaxat, quæ bonorum ſubſtantiam, ſeu proprietatem, ſed & quæ fructus ipſos reſpiciunt, an illa convenienter ſervata, hi autem congrue impenſi ſint (✠2). Ab hac tamen regula diſſentit jus conſuetudinarium vallis Auguſtanæ, ex quo tutores de ſola adminiſtrata proprietate rationes reddunt, non de fructibus; quippe, qui ex pupilli alimentis ſuperſunt, ad tutores ipſos ſpectant (✠3). Quam conſuetudinem, etiamſi a jure communi abhorreat, & utilitati pupillorum maxime adverſa ſit, nunquam abrogari potuiſſe, teſtis eſt Faber (4).

(1) *L. 1. ff. hoc tit. de tutel., & rationib. diſtrahend. (27. 3.)*

(✠2) *L. Si quis abſentis 2. ff. de negot. geſt. (3. 5.), Deciſ. 14. decembris 1648. refer. D. Piſcina in cauſſa Comit. Polongheriæ contra Marchion. Vogheriæ in princip.*

Digitized by Google

(✠3) *Fab. cod. de ſuſpect. tutor. lib. 5. tit. 26. def. 1., Deciſ. 18. febr. 1692. refer. D. Bergeria in cauſſa Baragni contra Longis in fine.*

(4) *Fab. d. definit. 1. num. 4. in allegat.*

DEFINITIO XVI.

Rationes reddendæ ſunt in loco, in quo tutela, vel cura adminiſtrata fuit, ſeu in quo ſita ſunt bona.

Regula generalis in jure ſtatuitur, ibi reddendas eſſe rationes, ubi tutela, vel cura adminiſtrata eſt (1). Quare nec in loco, in quo tutor domicilium habet, (2), nec in quo cauſſa reddendarum rationum definita eſt (✠3), nec in quo pupillus moratur, ſed ubi bona pupilli ſunt, tutor eſt conveniendus, atque ejus heres (4); quia nempe in loco adminiſtrationis facilius dignoſci poteſt, utrum omnia ex fide geſta ſint, & ibi convenientia teſtimonia ſuppetunt (5).

(1) *L. 1. cod. ubi de ratiocin. ag. oport.* (3. 21.)

(2) *L. Heres abſens 19. §. 1. ff. de judiciis* (5. 1.)

(✠3) *Deciſ. 21. martii 1591. refer. D. Oſaſco, qua, cum poſtularetur, ut rationes in urbe principe redderentur, ubi cauſſa fuerat a ſupremo Magiſtratu definita, decretum fuit, ut in loco adminiſtrationis reddi deberent, quamvis tutor diceretur ibi ſuſpectus, tum quia erat perſona potens, tum ob graves minas ab ipſo factas.*

(4) *Reg. conſtit. lib. 3. tit. 15. §. 4.*

(5) *In quo & inſtructio ſufficiens, & nota teſtimonia, & veriſſima poſſunt documenta præſtari, L. ult. cod. ubi de ratiocin. &c.*

DEFINITIO XVII.

Pupillus, ſi malit, convenire poteſt tutorem in loco domicilii, dummodo inſtrumenta illuc transferat.

Poteſt tamen pupillus, ſi malit, tutorem ibi convenire, ubi tutor habitat (1), dummodo e loco, ubi tutela geſta eſt, illuc transferat ſuis ſumptibus inſtrumenta omnia, quæ ad redditionem rationum pertinent (2); non enim conqueri poteſt tutor; cum potius ipſi commodum paretur, nullum inferatur detrimentum. Quare pupilli electionem ſequi tenetur (✠3): ſed ſi plures ejuſdem pupilli tutores ſint, qui diverſis in locis habitent, pupillo unius domicilium eligere non licet, niſi impenſarum omnium indemnes præſtet ceteros; neque enim pupilli privilegium noxium tutoribus eſſe debet.

(1) *Argum. L. Prætor ait 4. §. ult., & L. ſeq. ff. de edendo* (2. 13.), *L. Si res mobilis 10., & L. ſeq. ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

(2) *Dd. LL.*

(✠3) *Deciſ. 14. novembris 1672. ref. D. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem, §. Defecit tamen, fere in princip. Deciſ.*

DEFINITIO XVIII.

Rationes reddi debent coram judice, ubi bona adminiſtrata ſunt. Quid de dativis tutoribus?

Cum rationes reddi debeant in loco, ubi bona adminiſtrata fuerunt (Definit. XVI.) conſequens eſt, judicem competentem in hoc argumento eſſe judicem ejuſdem loci, quamvis de clerico agatur, qui tamen ad judicem Eccleſiaſticum remittendus eſt, ut compellatur ad ſolutionem, ſi debitor pro-

Digitized by Google

batus fuerit; niſi res ſit coram ſupremo Magiſtratu, qui creditorem in poſſeſſionem bonorum mittere poteſt (✠1); vel illum in cujus territorio tutor domicilium habet, utrum malit pupillus, niſi de dativo tutore agatur, quem eu hodierno uſu regulariter rationes reddere coram judice, a quo datus fuit, vulgo docent pragmatici. Si plures ſint ejuſdem pupilli tutores, omnes ad eundem judicem ire debere, conſtitutum fuit (2); nec non eorum heredes (3). Electio autem, quam etiam in hoc caſu minori competere paſſim traditur, nullam habet difficultatem, ſi tutores in eodem loco commorentur: ſed ſi tutores diverſis judicibus ſubſint, vix eſt, ut pupillo, aliis invitis, eligere permittatur eum, cui unus tantum ex contutoribus ratione domicilii ſubeſt, niſi eos indemnes omni ex parte ſervet (defin. præced.)

(✠1) *Deciſ. 23. junii 1682. refer. D. Gabuti in cauſſa utrinq. Borii, §. Senatus re bene perpenſa, & §. His tamen non obſtantibus.*

(2) *L. ult. ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat.* (11. 2.)

(3) *Omnes tutores, ſeu heredes eorum ad eundem judicem ire debere, jam pridem conſtitutum. L. Omnes tutores 5. cod. hoc tit. arbitr. tutel.* (5. 51.)

DEFINITIO XIX.

An pupilli gaudeant fori privilegio, cum rationes a tutoribus poſtulantur?

Diſputant pragmatici, an pupilli, & minores gaudeant in rationum redditione fori privilegio a jure ipſis tributo, ut, omiſſis inferioribus judicibus, cauſſam hanc inſtituere poſſint coram Principe, ſeu ejus ſupremo Senatu (1); negant aliqui, quia nullibi privilegium hoc ſpeciatim conceſſum apparet; immo regula generalis ſtatuitur, ut apud eum judicem hæc cauſſa agatur, ubi bona adminiſtrata ſunt (Definit. præced.). Præterea, inquiunt, privilegium fori pupillis, & minoribus, aliiſque miſerabilibus perſonis conceſſum tunc locum tantum habere debet, cum judicio contenditur (2): hic autem nulla pupillum inter, & tutorem contentio eſt. Judex aditur, non ut ſententiam inter collitigantes ferat, ſed ut proſpiciat, & definiat, utrum omnia ex fide geſta ſint: eodem fere modo, quo ipſius decretum impetrandum eſt, cum de alienatione immobilium bonorum agitur. Ex æquitate tamen, quæ legis ſententiam ad ſimiles caſus extendit, cum eadem adeſt legis ratio (3), alicubi uſu fori, receptum eſt, ut hujuſmodi privilegio fruantur minores, atque tutorem, vel curatorem conveniant coram ſupremis Magiſtratibus, dummodo minorum impenſis inſtrumenta rationum eo transferantur, & ſumptus in hanc rem neceſſarios minor ferat (✠4).

(1) *L. unic. cod. quand. Imper. int. pup. & vid.* (3. 14.)

(2) *D. L. unic. cod. quand. Imper. int. pup., & vid.*

(3) *L. Illud quæſitum 32. ff. ad leg. Aquil.* (9. 2.)

(✠4) *D. Deciſ. 21. martii 1591. ref. D. Oſaſco, Perez. in cod. ubi de ratiocin. agi oport. lib. 3. tit. 21. num. 2.*

DEFINITIO XX.

Rationes reddendæ ſunt ſingulis annis, ideſt calculi ponendi pro ſingulis annis.

Cum quæritur de modo in reddendis rationibus ſervando, ut cognoſci poſſit, an tutor munere ſuo recte functus ſit, nec ne; tum etiam, an aliquid ipſe pupillo adhuc debeat, vel ipſi a pupillo debitum ſit, regula generalis paſſim traditur, rationes red-

dendas eſſe ſingulis annis, ideſt calculos pro ſingulis annis, quibus adminiſtratio perſeveravit, ponendos eſſe, ut facilius innoteſcat, quid acceptum, & quid impenſum ſit (✠1). Sed ut rationes rite dicantur redditæ, & plena liberatio contingat, fieri præterea debet rationum extenſio, examen, ſolidatio, & præſentatio ſcripturarum, nec non remiſſio extenſionis computorum (✠2).

(1) *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1642. *refer. D. Appiano in cauſſa Filippæ contra Bonſilium*, §. *Quoad primum indubitatum*.

(✠2) *L.* 1. §. *Officio tutoris* 3. *ff. hoc tit. de tutel, & rationib. diſtrahend.* (27. 3.), *L. Cum ſervus* 82. *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.), *Sola decret. Quitationem part.* 1. *gloſſ.* 3. *num.* 37. *ad* 41., *Deciſ.* 14. *novembris* 1672. *refer. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem*, §. *Et quoad ſecundum in princ. Deciſ.*, *juncto* §. *Intervenerunt etiam*.

DEFINITIO XXI.

Inventarium, & liber acceptorum, atque expenſorum in rationibus reddendis regulariter exhiberi debet; nec ſufficit in folle rationes reddere.

Inprimis rationum extenſio neceſſaria eſt, ideſt ſingillatim, & ad extenſum referre debet tutor, quæcumque accepit, & quæ pro pupillo impendit, adeoque exhibendum eſt inventarium, ut cognoſcatur, quid ad tutorem ex pupilli ſubſtantia pervenerit, quod hoc potiſſimum conſilio ex legum ſanctione præſcribitur; nec non liber adminiſtrationis legitimo modo confectus (✠1); quemadmodum in aliis quoque negotiis obſervatur (2): futurum alioquin, ut contra tutorem, vel curatorem juretur in litem, quaſi doloſus ſit (✠3), quanti pupilli interſit hæc proferri (4); quamvis de perſona conſanguinea agatur (✠5), vel ipſa matre (✠6), non vero patre (✠7), cui dolus objici non poteſt (8). Poteſt tamen ſine libro rationum adminiſtrationis ratio reddi, ſi veritas aliunde innoteſcat, licet ex omiſſione libri ſtrictior probatio adminiſtratori incumbat (✠9). Hæc autem omnia pupillo ipſi, ſeu ejus curatori legenda tradi debent, & computanda, ut poſſit explorari, an imputationes probe, an improbe referantur: utrum accepta recte relata ſint, nec ne; & quidem in extenſum omnia deſcribi oportet; itaut non proſit liberatio, ſi tantum in folle rationes redditæ ſint (✠10); deficiente enim neceſſaria cognitione, conſenſus quoque deficit, ſine quo nulla eſt liberatio. Sed opus non eſt, ut editio hæc fiat apud acta, cum potius brevi eam manu fieri deceat, ut citius, & minore ſumptu inſtrui poſſit is, cui rationes redduntur, quid admittere debeat, aut de qua re contendere velit (11). Atque his peractis, ſi conſtet, rationes bene, & fideliter redditas, nihil amplius quærendum eſt, quam ut ſecundum eas fiant imputationes, & reputationes; ſi autem controverſia aliqua ſit circa ipſas, tunc ad ratiocinatores recurrendum erit: vel ad arbitros rationales (12): ſeu ut nos dicimus ad calculatores.

(✠1) *L. penult. cod. de in lit. jur.* (5. 53.), *Deciſ.* 13. *maii* 1687. *refer. D. Richelmi in cauſſa Comminotti contra Comminottum*, §. *Cum enim rationis redditio*, *Deciſ.* 23. *januarii* 1730. *ref. D. Demorra in cauſſa Marchioniſſæ de Carretto contra Meliſſanum in princip.*, & §. *Ratio deciſionis*.

(2) *L.* 1. §. 1., *L. Prætor ait* 4. §. *ult.*, & *paſſim ff. de edendo* (2. 13.)

(3) *D. L. penult. cod. de in lit. jur.*, *L. Tutor, qui* 7. *ff. de adminiſtrat.*, & *peric. tutor.* (26. 7.)

(4) *L. penult. ff. de in lit. jurand.* (12. 3.)

(✠5) *Nullibi enim inveniuntur excepti: adeoque generali regulæ ſubjici debent, Deciſ. 18. maii 1676. refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Gilus contra Gilium, §. Senatus itaque, ubi de patruo tutore agebatur.*

(✠6) *Deciſ. 23. junii 1673. refer. D. Garetti in cauſſa Martinettæ uxoris Sachetti contra matrem uxorem Campi, §. Ad tertium.*

(✠7) *D. Deciſ., & d. §.*

(8) *L. Superſtite 5. cod. de dolo malo* (2. 21.)

(✠9) *Ita in Deciſ. 4. ſeptembris 1682. refer. D. Torrini in cauſſa Martinetti contra Marchet, §. Verum ad excluſionem doli.*

(✠10) *L. Cum ſervus 82. ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.), *Fab. cod. de rei uxor. act. lib. 5. tit. 8. def. 14. num. 4., & ſeqq., d. Deciſ. 14. novembris 1672. refer. D. Balegno in cauſſa utrinque Martini, fere in princip. deciſ., ubi & traditum, ratam eſſe redditionem rationum aſſiſtente curatore ſuſpecto, & quamvis ex duobus conſanguineis, qui aderant, alter eſſet minor; quia in loco, ubi rationes petitæ fuerant, non aderant alii proximiores, vel ſaltem minor non probaverat, alios ibidem inveniri potuiſſe.*

(11) *Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 31. def. 2. num. 3. in corp.*

(12) *Fab. d. def. 2. num. 2. in corp.*

DEFINITIO XXII.

Quid ſi duo rationum libri proferantur inter ſe diſcrepantes?

Cum ſpecies propoſita fuiſſet de tutore, qui duos adminiſtrationis libros inter ſe diſcrepantes ediderat, in quorum primo res tumultuarie deſcriptæ erant, eoque tantum conſilio, ne memoria exciderent; in altero vero res ex ordine referebantur; cenſuit Senatus, priori fidem potius adhibendam eſſe, quam poſteriori (✠1); tum quia veroſimilius eſt, quod ſtatim ſcriptum fuit, quam quod nonniſi poſt longam meditationem; in dubio autem ſequimur, quod credibilius videtur (2); tum quia primus liber videtur tamquam matrix ſcriptura, ex qua alia fidem habet (3).

(✠1) *Deciſ. 17. aprilis 1732. refer. D. Blavet in cauſſa Comit. Simeonis Balbis de Riveria contra Martellotum, fere in princip., ubi de frumenti quantitate agebatur, & primus liber pupillo favorabilior erat.*

(2) *L. Cum de ætate 13. ff. de probat.* (22. 3.)

(3) *Novel. 44. cap. ult., Fab. cod. de fide inſtrum. lib. 4. tit. 16. defin. 24. num. 4. in corp., & num. 4, & 5. in alleg., Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 67. num. ult.* ✠

DEFINITIO XXIII.

An liber rationum probet pro ſcribente æque ac contra ſcribentem?

Quamquam regulariter liber probat contra ſcribentem, non autem pro eo (✠1) ob doli periculum; hæc tamen regula fallit, quoties agitur de rebus inter ſe connexis, puta de mutuo accepto, ejuſque ſolutione (✠2), vel quoties adverſa pars librum de negotiis ſuo nomine geſtis pro ſe producit; tunc enim eum in omnibus probare cenſetur (✠3).

(✠1) *Deciſ. 11. ſeptembris 1731. ref. D. Demora in cauſſa utrinq. Pelleri, §. Verumtamen prima dubitatio, poſt num. 11., Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. defin. 19.*

(✠2) *D. Deciſ. 23. aprilis 1681. ref. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier, fere in princip., contrariorum enim, ut vulgare fert adagium, eadem eſt ratio.*

Digitized by Google

(✠3) *D. Deciſ. reſer. D. Torrini*, §. *Sin autem liber*, *juncto* §. *Quamobrem ponderando*, *Fab. cod. de fide inſtrum. lib. 4. tit. 16. def.* 10.

DEFINITIO XXIV.

Inter conjunctos non exigitur tam ſubtilis rationum redditio.

Cum naturalis ipſa æquitas demonſtret, mitius agendum eſſe cum illis, qui conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo juncti ſunt; atque aliunde fraudulentæ, & negligentis adminiſtrationis minus ſuſpecti habeantur propter naturalem affectionem (1), recte placuit, inter conjunctos non deſiderari tam ſubtilem rationum tutelæ, vel curæ reddendarum modum, ſeu inquiſitionem (✠2), nec tam facile admittenda eſt earum iteratio: quæ tamen, errore probato, jure poſtulatur (3).

(1) *Argum. L. Ait prætor* 3. §. *Interdum* 9. *ff. de negot. geſt.* (3. 5.)

(✠2) *Deciſ.* 18. *novembris* 1684. *reſer. D. Gabuti in cauſſa Annæ contra Carandoletum*, §. 2. *Quia hic non agebatur.*

(3) *L. unic. cod. de error. calcul.* (2. 5.)

DEFINITIO XXV.

Rationes legitimo modo ſemel redditæ iterari non debent, niſi error, dolus, vel læſio demonſtretur.

Rationes ſemel redditæ regulariter iterandæ non ſunt, ſi legitimo modo redditæ fuerint; atque graviſſimum onus ſine graviſſima cauſſa denuo imponi non ſinit æquitas, neque ſecuritas ſemel data in quæſtionem iterum revocanda eſt (✠1). Sed, quia vix ulla regula eſt, quantum libet generalis, quæ ſuas aliquando non patiatur exceptiones, idcirco etiam ex juſta cauſſa, non ſemel tantum, ſed & pluries repeti poſſe rationes, traditum eſt, ſi nempe error intervenerit, dummodo tamen ſuper errore nec judicialis ſententia, nec tranſactio intervenerit (✠2): dolus, vel læſio (✠3), atque hæc fuerint prius demonſtrata (✠4); quod enim quis ſemel admiſit, non poteſt reprobare, niſi ex apertiſſimis argumentis (5): quamquam, errore, dolo, vel læſione probata, non prodeſt liberationis apocha, ſeu, ut ajunt pragmatici, quitatio quantumlibet ampliſſima (6): principali corruente, acceſſorium ſubſiſtere nullatenus poteſt (7). Porro hæc nova rationum redditio ſumptibus tutoris fit, ſi culpa ſua ei cauſſam dederit, puta ſi ſolemnitates requiſitas prætermiſerit, vel doli, aut negligentiæ in redditione reus fuerit, ut ſuam quiſque iniquitatem ferat. Sed, ſi immunis, a quavis culpa ſit tutor, rationum reviſio pupilli impenſis facienda eſt (8), quemadmodum & prima redditio fieri debuit (9); quæ enim ad alterius commodum, & poſtulationem fiunt, ejus quoque diſpendio cedere ratio ſuadet.

(1) *L. Semel ſecuritatem* 2. *cod. de apochis public.* (10. 22.), *Deciſ.* 19. *maii* 1732. *reſ. D. Cavalli in cauſſa Comit. Abeccleſia contra Fornaſerium*, *in fine princip.*, *Deciſ. Senat. Caſal.* 6. *julii* 1716. *in cauſſa Scanzetta contra Morellum artic.* 3. §. *Porro in hac quæſtione num.* 14.

(✠2) *L. unic. cod. de errore calculi* (2. 5.), *L. Calculi* 8. *ff. de admin. rer. ad civit. pertin.* (50. 8.), *Deciſ.* 14. *auguſt.* 1643. *reſer. D. Piſcina in cauſſa utrinq. Cremonæ*, §. *Senatus tamen.*

(✠3) *D. Deciſ.* 19. *maii* 1732. *reſer. D. Cavalli in princip.*, *Deciſ.* 25. *januarii* 1730. *reſer. D. Demorra in cauſſa Marchioniſſæ de Carretto contra Meliſſanum*, §. *Ratio deciſionis*, *in princip. deciſ.*, *d. L. unic. cod. de error. calcul.*, *L. Non fraudantur* 134. §. 1. *ff. de reg. jur.*

Digitized by Google

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina* 14. *auguſti* 1643., *& d.* §., *L. Dolum* 6. *cod. de dolo malo* (2. 21.), *L. Quotiens operæ* 18. *ff. de probation.* (22. 3.)

(✠5) *L. Generaliter* 13. *cod. de non numerat. pecun.* (4. 30.), *Deciſ.* 29. *decembris* 1732. *refer. D. Nomis in cauſſa Qualia contra heredes Berlia*, §. *Senatus perpenſis*, *poſt num.* 23.

(✠6) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina* 14. *aug.* 1643., *& d.* §.

(7) *L. Cum principalis* 178. *ff. de reg. jur.*

(8) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 31. *def.* 1. *num.* 5. *in allegat.*

(9) *Argum. L.* 1. §. *Item ſumptus* 9. *ff. hoc tit. de tutel.*, *& rationib. diſtrahend.* (27. 3.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 31. *definit.* 1., *V. ſupra Definit. I.*

DEFINITIO XXVI.

Jurari poteſt in litem contra tutorem, qui rationes non reddat, vel male reddat; niſi juſta aliqua cauſſa cum excuſet.

Pœna tutoris, qui rationes non reddat; aut, quod idem eſt, non recte reddat, duplex poteſt aſſignari: una eſt, ut contra ipſum juretur in litem (1), ſi tamen levis ſaltem culpæ redargui tutor poſſit (2); graviſſimi enim diſpendii periculum imminet ei, qui actoris arbitrio credere cogitur, quod ab ipſo petitur. *Si* ergo juſta aliqua cauſſa tutorem excuſet, puta remiſſio teſtatoris (quæ tamen a reddendis rationibus apud nos non eximit (3)), huic jurijurando locus non ſit (✠4): quemadmodum nec locus ſit in ea ſpecie, qua conſtet, potius ex ſimplicitate, & ruſticitate, quam ex dolo male redditas fuiſſe rationes: quod in mulieribus facilius præſumitur, & præſertim in matre: contra quam, maxime ſi ad ſecunda vota non tranſierit, in litem jusjurandum hoc non ita facile admittendum ſuadet obſequium ipſi a filiis debitum (✠5).

(1) *L. Alio jure* 4. *cod. de in lit. jur.* (5. 53.)

(2) *V. ſupra de inventar. tit. XIX. Definit. VIII.*

(3) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 9. §. 3.

(✠4) *L. Tutor* 7. *ff. de adminiſtrat.*, *& peric. tutor.* (26. 7.), *Deciſ.* 7. *februarii* 1730. *refer. D. Morelli in cauſſa Boſſæ contra Peyraſſum*, §. *Quo vero ad redditionem rationum*, *& ſeq.*

(✠5) *Deciſ.* 15. *maii* 1654. *refer. D. Porta in cauſſa Ponte, & Bellinæ*, §. *Supereſt videre*, *Argum. L. Regula eſt* 9. *ff. de jur.*, *& fact. ignorant.* (22. 6.)

DEFINITIO XXVII.

Jurari poteſt in litem etiam contra heredem tutoris, ſi doli mali reus ſit.

Non tantum contra tutorem, ſed contra ejus quoque heredem jurari poteſt in litem, ſi rationes reddere, vel inſtrumenta tutelaria in hereditate reperta, circumveniendi pupilli cauſſa, exhibere detrectet (✠1): non vero ſi ob ignorantiam, aliamve ſimilem cauſſam non exhibeat, quæ ad tutelæ, vel curæ adminiſtrationem pertinent (✠2): atque munus judicis eſt, veritatem aliis indiciis inveſtigare, niſi lis jam fuerit cum defuncto conteſtata (3); cum per litis conteſtationem actiones omnes, etiam pœnales, perpetuentur, & in heredes tranſeant (✠4).

(1) *L. Alio jure* 4. *cod. de in lit. jur.* (5. 53.), *Deciſ.* 19. *junii* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis, Gibellinæ, & Raclet*, §. *Verumtamen licet malis num.* 29., *Deciſ.* 23. *junii* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa ſoror. de Barbettis contra Ancinam, fratr. de Barbettis, & de Laya*, §. *Verumtamen alio jure.*

Digitized by Google

(✠2) *Dictis juribus, & d. Deciſ. 7. februarii 1730. refer. D. Marelli in cauſſa Boſſæ contra Peyraſſum, §. Sed admittendum, Deciſ. 18. novemb. 1648. refer. D. Vercelli in cauſſa Chriſtini contra Damodè, §. Ideo Senatus; ubi tamen additur, poſſe heredi deferri jusjurandum purgationis a judice.*

(3) *L. Is, qui rationem 2. cod. de in lit. jurand.*

(✠4) *L. ult. §. 1. ff. de fidejuſſorib. tut. (27. 7.), d. Deciſ. ref. D. Caſſotti, & d. §. Verumtamen.*

DEFINITIO XXVIII.

Heres tutoris præſumptionem bonæ fidei pro ſe habet.

Licet ergo contra tutorem etiam ex culpa levi juretur in litem (Definit. XXVI.), contra heredem vero non admittitur hoc jusjurandum, niſi ob dolum, vel culpam latam (1), quæ dolo in civilibus æquiparatur (2): atque in hoc etiam differunt tutor, ejuſque heres, quod præſumptio regulariter eſt contra tutorem, rationes rite reddere, ſcripturis exhibitis, detrectantem, qui proinde bonam fidem probare debet, cum doloſus merito exiſtimetur, qui ea omittit, vel negligit, quæ ad proprium officium pertinent (✠3): contra heres præſumptione bonæ fidei juvatur; adeoque jusjurando in litem ſubjiciendus non eſt, niſi ejus dolus probatur (4).

(1) *L. Alio jure 4. cod. de in lit. jur. (5. 53.)*

(2) *L. Magna 226. ff de V. S.*

(✠3) *L. Dolus 44. ff. mandati (17. 1.), Deciſ. 23. junii 16‑3. refer. D. Garretti in cauſſa Martinettæ Sacchetti contra ejus matrem uxorem Campi, §. Ad tertium.*

(4) *L. Is, qui rationem 2. cod. de in lit. jurand.*

DEFINITIO XXIX.

Cum juratur in litem adverſus tutorem, ejuſque heredem, quantitas a judice taxari ſolet, ad quam uſque juretur.

Quoties admittitur jusjurandum in litem adverſus tutorem, vel ejus heredem, taxanda eſt a judice certa quantitas, ad quam uſque juretur, ne illimitata jurandi facultas iniquitatis arbitrium præſtet; ſervato tamen modo, qui ex litis inſtrumentis, aliiſque probationibus veroſimilior videtur (✠1): tum maxime quia non facile quæri ſolet de perjurio ejus, qui ex neceſſitate juris in litem juravit (2). Hanc quidem æſtimationem, ſeu taxationem prudenti judicis arbitrio Romani jureconſulti relinquendam putabant (3): uſu tamen fori plerumque fieri ſolet.

(✠1) *L. Videamus 4. §. Jurare 2. ff. de in lit. jur. (12. 3.), Fab. cod. eod. tit. lib. 5. tit. 32. defin. 1., Deciſ. 23. junii 1732. refer. D. Nomis in cauſſa ſororum de Barberis contra Ancinam, §. Verumtamen alio jure.*

(2) *L. ult. ff. de in lit. jur. (12. 3.)*

(3) *L. Videamus 4. §. Jurare 2. ff. eod. tit. de in lit. jur., L. In hac actione 3. §. Praterea 2. ff. ad exhibend. (10. 4.)*

DEFINITIO XXX.

Minor jurare poteſt in litem tum odio curatoris, tum etiam odio tutoris.

Jusjurandum in litem, quod ratum non eſt, niſi judex illud differat, non omnibus permittitur, ſed iis tantum, qui litem ſuo nomine conteſtati fuerint (1): dummodo ejus conditionis ſint, ut vim jurisjurandi intelligere queant. Hinc adoleſcenti quidem hoc jusjurandum permittitur, non tamen pupillo,

Digitized by Google

aut matri ipſius, quamvis parata ſit: tutores vero, aut curatores non utique coguntur, ut in alterius utilitatem perjurii periculum ſubeant, ſi tamen ſponte jurare velint, admittuntur (2), quia tutores, necnon curatores in iis, quæ ad utilitatem pupillorum, & minorum pertinent, domini loco habentur (3): minores autem non tantum adverſus curatores, ſed etiam adverſus tutores in litem jurare poſſunt (✠4). Neque objiciatur, permitti quidem minori poſſe jusjurandum odio curatoris, non vero odio tutoris; quia nonniſi de iis jurare poſſet, quæ pendente ipſius pupillari ætate geſta ſunt: in qua conſtitutus ſufficiens animi judicium habuiſſe non exiſtimatur, ut de rebus geſtis jurare valeat (5); hæc enim tantummodo probant, invitum adoleſcentem cogendum non eſſe, ut juret, non vero denegandam jurandi facultatem, ſi ſponte jurare velit; quia ſimpliciter jurat, tamquam teſtis eorum, quæ vidit in pupillari ætate fieri, atque in ea conſtitutus, qua vim jurisjurandi percipere poteſt (6).

(1) *L. Vulgo præſumitur* 7. *ff. de in lit. jurand.* (12. 3.)

(2) *L. Videamus* 4. *in princip. ff. eod. tit.*

(3) *L. Tutor* 17. *ff. de adminiſtrat.*, *& peric. tutor.* (26. 7.)

(✠4) *D. Deciſ.* 23. *junii* 1673. *refer. D. Garretti in cauſſa Martinettæ Sacchetti contra ejus matrem uxorem Campi*, §. *Ad tertium.*

(5) *L. Qui juraſſe* 26. *ff. de jurejur.* (12. 2.), *L. Pupillus* 9. *ff. de acquir. hereditat.* (29. 2.)

(6) *D. L. Videamus* 4. *in fine princip. ff. de in lit. jur.*

DEFINITIO XXXI.

Liberatio etiam data in tranſactione, non redditis rationibus, tutori, vel curatori non prodeſt.

Tutori, vel curatori, qui rationes non reddiderit, præſtita liberatio, etiam jurata, & decreti judicialis interpoſitione munita, non prodeſt, quamvis in tranſactione liberatio hæc conceſſa fuerit, maxime ſi in tranſactione omiſſæ ſint ſolemnitates a jure præſcriptæ (✠1); etenim redditio rationum, utpote jure publico inducta, privata auctoritate remitti non poteſt (2).

(✠1) *Deciſ.* 27. *januarii* 1648. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Rochiarda contra Galletium*, §. *In reconventionali, in fine deciſ.*, *Deciſ.* 22. *decembris* 1781. *refer. D. Pes in cauſſa utrinque Manca*, *& de Iteri*, §. *His præmiſſis*, *num.* 18.

(2) *L. Ita autem* 5. §. *Julianus* 7. *ff. de adminiſtrat.*, *& peric. tutor.* (26. 7.), *V. ſupra Defin. IX.*

TITULUS XXXI.

De reſtitutione reliquorum, & damno a tutoribus, vel curatoribus dato reficiendo.

DEFINITIO I.

Tutor reliqua pupillo ſolvere perperam differens, an, & quas uſuras pupillo ſolvat?

Tutor, qui reliqua perſolvere perperam differat, ex juris civilis ſanctione eorundem uſuras pendet; immo

Digitized by Google

etiam eorum, quæ debentur a contutoribus, ſi culpa aliqua ipſi imputari poſſit, quod eos opportuno tempore ſuſpectos non fecerit (✠1). Uſuras, inquam, non maximas, quod nullibi traditum eſt, ſed quæ in regione frequentantur, quincunces, trientes, vel etiam leviores (2). Sed ſi minor ipſe rationes, & reliqua excipere recuſet, forte, ut ita uſuras conſequatur, poteſt tutor, eum in judicium vocare: atque, ſi minor diſſimulare pergat, facta a tutore in judicio proteſtatione, ab uſuris liber eſt (3); minoris iniqua agendi ratio tutori nocere non debet.

(✠1) *L. Ejus, quod 2. cod. de uſuris pupillarib.* (5. 56.), *Deciſ. 9. ſeptembris 1642. refer. D. Appiano in cauſſa Filippæ contra Bonfilium, §. Quoad tertium.*

(2) *L. Tutor 7. §. Quæ autem 10. ff. de adminiſtrat., & peric. tut.* (26. 7.)

(3) *L. ult. cod. eod. tit. de uſuris pupillarib.*

DEFINITIO II.

Quid ſi judex uſurarum ex reliquis petitarum in ſententia mentionem non fecerit?

Quinimmo ad uſuras reliquorum teneri tutorem cenſuit Senatus, quamvis petitæ quidem fuiſſent, ſed judex in priori ſententia earum mentionem non feciſſet (✠1), ex quo videri poſſet pars ab iis abſoluta (2); nam, præterquamquod actores a Principe reſtituti fuerant adverſus quæcumque omiſſa in ſententiis, reſponſum fuit, in judicio rationum ſufficere, aliquem condemnari ad eas reddendas, ut ad reliqua reſtituenda condemnatur quoque exiſtimetur, quia rationum redditio non in ſolo facto conſiſtit, ſed & in præſtatione reliquorum (3): cum autem reliquorum nomine veniant omnia, quæ ad pupillum pertinent, uſuræ quoque reliquorum venire debent; ne alioquin jacturam patiatur pupillus.

(✠1) *Deciſ. 9. ſeptembris 1642. refer. D. Appiano in cauſſa Filippæ contra Bonfilium, §. Quoad tertium.*

(2) *L. In bonæ fidei 13. cod. de uſur.* (4. 32.)

(3) *L. Cum ſervus 82. ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.)

DEFINITIO III.

Fructuum, qui ex tutoris negligentia minime percepti allegentur, quomodo fiat æſtimatio?

Cum fructuum ex fundo percipiendorum quantitas res plane incerta ſit; indiciis quidem, peritorum judicio, & ſimilibus aliquatenus probari poteſt: prudens tamen judicis arbitrium præcipue verſatur (✠1), non ſecus ac in ceteris ſimilibus caſibus, ubi de re incerta agitur (2): ſemel autem taxata quantitate fructuum, qui percepti ſunt uno anno ex fundo fructifero, vel percipi potuerunt, eadem taxa pro ſingulis annis locum habet (✠3); mutatio enim in fundis fructiferis non ita facile contingit: adeoque non præſumitur, niſi probetur, vel immutata rerum adjuncta ita ſuadeant (4).

(✠1) *Deciſ. 28. ſeptembris 1639. ref. D. Nomis in cauſſa utrinque Magnani, §. Quoad uſuras.*

(2) *L. Si fundus 16. §. Interdum 4. ff. de pignorib.* (20. 1.)

(✠3) *D. Deciſ. 9. ſeptemb. 1642. refer. D. Appiano in cauſſa Philippæ contra Bonfilium, §. Quoad ſecundam principalem declarationem, Menoch. de præſumptionib. lib. 6. præſumpt. 25. num. 2.*

(4) *L. Ab ea parte 5. princip., & §. 1., L. Quoties opera 18. ff. de probat.* (22. 3.)

Digitized by Google

DEFINITIO IV.

Tutores, & curatores diligentiam mediam præſtant, & de levi culpa tenentur.

Quamvis tutelæ munus ad ſolam pupillorum utilitatem pertineat; tutor vero graviſſimum onus ferat plerumque ſine ulla compenſatione: atque idcirco ſecundum generales juris regulas (1), latam dumtaxat culpam præſtare deberet: pupillorum tamen, & minorum favore, qui inviti incidunt in alterius poteſtatem, legislatoribus placuit, ab his adminiſtratoribus mediam exigere diligentiam, eoſque cogere, ut damnum reſarciant, quod ex levi culpa intulerint, atque emolumentum præſtent, quod ex eadem negligentia omiſerunt (✠1). Neque dicatur, ad maximam diligentiam cogendos eſſe tutores, & curatores eorum exemplo, qui aliena negotia gerunt (3); nam, prætérquamquod regula hæc in iis tantum caſibus obtinet, in quibus ſponte omnino quis ſe alienis negotiis immiſcet, non in ceteris (4), negotiorum geſtores nulla coguntur legis ſanctione, contra tutoribus etiam invitis adminiſtrandi onus imponitur (5). Minus ergo ab his, quum ab illis requirendum ſuadet æquitas (6).

(1) *L. Si ut certo* 5. §. *Nunc videndum* 2. *ff. commodati* (13. 6.)

(✠1) *L. Quidquid tutoris* 7. *cod. hoc tit. arbitrium tutelæ* (5. 51.), *Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1639 *refer. D. Nomis in cauſſa utrinque Magnani*, §. *Verum quod paterfamilias*; *ubi tamen ſecundum æquitatis regulas traditum, ex probabili ignorantia tutorem excuſari.*

(3) §. 1. *inſtit. de obligat., quæ quaſi ex contract. naſc.* (3. 28.)

(4) *L. Ait prætor* 3. §. *Interdum* 9. *ff. de negot. geſt.* (3. 5.)

(5) *L.* 1. *ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(6) *L. Tutori* 20. *cod. de negot. geſt.* (2. 19.)

DEFINITIO V.

Tutor de lata dumtaxat culpa tenetur in negotiis odioſis, & arduis.

Fieri tamen ex natura negotii poteſt, ut tutor de lata tantum culpa teneatur, vel quia grave, & odioſum, vel quia periculi plenum ſit negotium. Quia moleſtum, & grave eſt, debitores judicis auctoritate ad ſolutionem compellere, reſcriptum fuit ab Antonino, dumtaxat ob culpam latam condemnandum eſſe tutorem, qui nomina exigere diſtulerit, & interim debitor non ſolvendo fuerit effectus, qui initio ſuſceptæ tutelæ idoneus erat (1). De lata ergo culpa tantum tenetur tutor, & quidem non aliter, quam ſi probetur, debitores primum ſolvendo fuiſſe, poſtea deſiiſſe (✠1). Quia vero periculi plenum negotium eſt emptio prædiorum, quod interdum prudentiſſimos quoſque fallit, tradit Ulpianus, nonniſi de dolo, & lata negligentia, in hac parte tutorem conveniri poſſe (3): hæc autem ſententia non ita intelligenda eſt, quaſi liceat tutoribus, minorem adhibere diligentiam in negotiis arduis, quæ potius majorem exigunt a prudente patrefamilias, qualem ſe gerere debet tutor; ſed negotii difficultas facilius indulgentiæ, tutoris favore, locum facit, ita ut condemnandus non ſit, niſi ejus dolus appareat, aut maxima negligentia, quæ dolo æquiparatur (4).

(1) *L. Nomina* 2. *cod. hoc tit. arbitr. tutel.* (5. 51.)

(✠1) *Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1639. *refer. D. Nomis in cauſſa utrinq. Magnani*, §. *Denique alio*.

(3) *L. Tutor 7. §. Competet 2 ff. de admin., & peric. tut.* (26. 7.)
(4) *L. Magna 226. ff. de V. S.*

TITULUS XXXII.

De hypotheca pupillis, & minoribus competente in bonis tutorum, & curatorum.

DEFINITIO I.

Hypotheca competit pupillis, & minoribus in bonis tutorum, & curatorum, ſed ſine prælatione odio creditorum anteriorum.

Hypotheca, quæ pupillis, & minoribus competit in bonis tutorum, & curatorum, prout fert generalis hypothecæ indoles, prælationem tribuit ſupra creditores chirographarios, quocumque tempore anteriores ſint: nec non contra hypothecarios tempore poſteriores etiam expreſſam habentes (1); quamvis privilegiatos (✠2); cum eadem vis ſit tacitæ, quæ expreſſæ hypothecæ (3). Sed non contra anteriores, niſi agatur de re emta nummis pupilli, ſaltem ab adminiſtratore (4), ut infra expendemus (5).

(1) *L. Potior eſt 11. ff. qui potiores in pign.* (20. 4.)
(✠2) *L. Si pignus 8., L. Si & jure 10. ff. eod. tit., Deciſ. 20. decembris 1680. refer. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier, §. Rurſus hæc hypotheca.*
(3) *L. 1. cod. ſi propt. public. penſitat.* (4. 46.)
(4) *V. infra Defin. V.*

DEFINITIO II.

Hypotheca ex uſu fori datur omnibus, quorum bona ab alio adminiſtrata fuerunt, in bonis eorum, qui adminiſtraverunt, & rationes adminiſtrationis reddere tenentur.

Cum hypotheca pupillis, minoribus, & ſimilibus conceſſa (1) in bonis tutorum, & curatorum ſubrogata ſit veteri privilegio (2), quamquam aliquo ſenſu conventionalis hypothecæ locum tenere poteſt, ut pupillorum, & minorum indemnitati tutius conſultum ſit (3), ſponte ſequitur, hypothecæ jure gaudere non tantum pupillos, & minores, ſed etiam furioſos, amentes, prodigos, & ceteros, quibus propter corporis, vel animi vitium tutor, vel curator datur (4): non vero abſentibus, aut creditoribus, aut heredibus in bonis curatoris jacenti hereditati dati, ſi jus Romanum inſpiciamus; quippequi vetere privilegio non fruebantur (5); præterquamquod hi propriæ indemnitati conſulere poſſunt. Sed uſu fori inductum eſt, ut quorumcumque adminiſtratorum bona, qui rationes adminiſtrationis ſuæ reddere tenentur, hypothecæ ſubſint (6): non tamen cum prælatione adverſus creditores anteriores, licet adminiſtrator doloſus fuerit (✠7). Hinc placuit Sabaudo Senatui, hypothecam quoque dari majoribus, quorum bona ab aliquo fuiſſent adminiſtrata, tamquam tutore; cum enim proponeretur mater teſtamento filiis ſuis tutrix, & curatrix nominata, quæ, liberis jam factis majoribus, eorum bona adminiſtraverat, pronunciavit Senatus, matris bona pro reliquis ex adminiſtratione debitis obligata intelligi debere, quamvis nec tutrix, nec curatrix pro eo tempore fuiſſet: cauſſa nimirum inſpecta ſuſceptæ adminiſtrationis, quæ per advenientem legitimam liberorum

Digitized by Google

ætatem mutata non videretur (8).

(1) *L. Pro officio* 20. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.)

(2) *L. Et mulieri* 15. §. 1. *ff. de curat. furioſ.* (27. 10.), *L. Dabimuſque* 19. §. 1., *L.* 20., *& ſeqq. ff. de reb. auctoritat. judic. poſſidend.* (42. 5.)

(3) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 1156., *& ſeqq. pag.* 287.

(4) *D. L.* 15. *ff. de curator. furioſ.*, *& d. L.* 19. §. 1, *& LL. ſeqq. de reb. auctoritat. judic. poſſidend.*

(5) *L. Idem privilegium* 22. *ff. eod. t. de reb. auctorit. &c.*

(6) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 84. *num.* 7.

(✠7) *Deciſ.* 20. *decembris* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier*, §. *Imo ne dum minori*.

(8) *Fab. eod. in quibus cauſſis pignus lib.* 8. *tit.* 7. *defin.* 3.

DEFINITIO III.

Hypotheca pupillis, & minoribus, in quorum bonis competat?

Quoties quæritur de perſonis, adverſus quas pupilli, & minores hypothecæ legalis jure uti poſſint, generalis regula paſſim traditur, contra eos omnes competere hypothecam, qui actione tutelæ, vel curationis conveniri poſſunt (1). Ex quo ſequitur, tutorum, & curatorum bona huic hypothecæ ſubjici, licet non adminiſtraverint (2); nec tutela ſit confirmata, nec confectum fuerit inventarium (✠3); quia omnes hi æque actione tutelæ conveniri poſſunt (4): in bonis quoque protutoris, curatoris ad lites, fidejuſſoris actoris (✠5), quod ad pupillorum, & minorum procuratores extendit Juſtinianus, qui in lite pupilli defendenda deſides fuerint, & propterea pupillus, vel minor cauſſa ceciderit (6), atque demum in bonis ejus, qui ex amicitia pupilli, vel minoris res geſſerit (7); quia & hic quaſi tutor, vel curator gerere videtur. Nec intereſt, utrum quis curator generalis ſit, cui ſingula bona minoris fuerint credita, an ſingularium quorumdam negotiorum: utrum extraneus ſit, an conſanguineus, cum & ipſa matris tutricis bona huic vinculo ſubjaceant (✠8); generalis enim eſt legum ſanctio (9), tum & ratio legis, quæ pupillorum, & minorum, qui ob infimum animi judicium ſibi proſpicere nequeunt, indemnitati conſulere voluit.

(1) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 1172, *& ſeqq. pag.* 290.

(2) *L. Pro officio* 20. *cod. hoc tit. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.)

(✠3) *Deciſ.* 20. *decemb.* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier in princip.*

(4) *L. Dabimuſque* 19. §. 1. *ff. de reb. auctoritat. judic. poſſidend.* (42. 5.)

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Torrini in princip.*

(6) *L. Properandum* 13. §. *ult. cod. de judiciis* (3. 1.)

(7) *L. Si negotium* 23. *ff. de reb. auctor. jud. poſſidend.*

(✠8) *L. Si mater* 6. *cod. in quibus cauſſ. pign.* (8. 15.), *Deciſ.* 13. *maii* 1653. *refer. D. Carroccio in cauſſa Tadei contra heredes Damiani Rubei, in fine.*

(9) *D. L. Pro officio* 20. *cod. hoc tit. de adminiſtrat. tutor.*

DEFINITIO IV.

Pupillus in re nummis ſuis a tutore emta hypothecam habet cum prælatione adverſus creditores anteriores.

In quæſtione, utrum pupillo competat prælatio in re nummis ſuis emta, diſtinguendum eſt, utrum ex pecunia pupilli tutor ipſe proprio nomine emerit, an emerit extraneus ex pecunia pupilli,

Digitized by Google

quam a tutore habuerit. Si tutor ipſe pecunia pupilli rem nactus ſit, certum apud omnes eſt ſpeciale jus hypothecæ cum prælatione pupillo competere (✠1); cum immo ſecundum Ulpianum pupillus, cujus pecunia a tutore res comparata eſt, utilem actionem habeat, ut rem vindicet (2); vindicatio autem jure hypotheca potius eſt, cum dominium ſupponat (3).

(✠1) *Fab. cod. Qui potior. in pign. lib.* 8. *tit.* 8. *def.* 10. *num.* 2. *in corp.*, *Deciſ.* 20. *decembris* 1680. *ref. D. Torrini in cauſſa cont. Laugier.* §. *Rurſus hæc.*

(2) *L. Si tutor* 2. *ff. quando ex fact. tut.* (26. 9.), *L. Idemque eſt* 7. *ff. Qui pot. in pign.* (20. 4.), *L. Si curator* 3. *cod. arbitr. tut.* (5. 51.)

(3) §. 1. *in fin. inſtit. de actionib.* (4. 6.)

DEFINITIO V.

Quid ſi pupillaris pecunia in emtionem prædiorum deſtinata non fuiſſet?

Neque intereſt, quod pecunia pupilli deſtinata non fuiſſet in emtionem prædiorum; generalia enim ſunt Ulpiani verba, quæ utrumque caſum complectuntur (1), & in utroque adeſt ratio legis, quæ voluit per hujuſmodi privilegium, pupillo tributum, ejus ſecuritati proſpicere contra iniquum tutorem, qui pupilli pecuniam in ſuos uſus convertit. Jure ergo ſenatus emtorem condemnavit ad remiſſionem patris domus emtæ ex pecunia pupilli cum fructibus, quamvis tutoris heres demonſtraſſet, eandem pecuniam non fuiſſe in emtionem prædiorum deſtinatam (✠2). Reſcripſit quidem Imperator, electionem competere minori, cujus pecunia, ad comparationem prædiorum deſtinata, res emta fuit, utrum malit rem emtam vindicare, an legitimas uſuras accipere a curatore, qui pecuniam in ſuos uſus convertit (3); ſed ſingulare reſcriptum hoc eſt quæſtioni propoſitæ accommodatum; quod idcirco, dum unum adſtruit, aliud nequaquam deſtruit.

(1) *In d. l. Si tutor* 2. *ff. quand. ex fact. tut.* (26. 9.)

(✠2) *Deciſ.* 8. *maji* 1645. *refer D. Barberis in cauſſa Dionyſii Borellæ cont. Cattaneam per tot.*

(3) *L. Si curator* 3. *cod. arbitr. tutelæ* (5. 51.)

DEFINITIO VI.

Quid ſi res emta ſit ab extraneo ex pecunia pupilli, quæ quomodocumque ad ipſum pervenerit?

Difficilior eſt quæſtio de caſu, quo non ab ipſo tutore, ſed ab alio, ad quem pecunia pupilli quacumque ratione pervenerit, res emta ſit, utrum hypotheca concedenda, an deneganda pupillo ſit. Alii eum denegant, unico, ſed validiſſimo argumento, videlicet, inquiunt, pupillo hypotheca tribuenda non eſt, niſi lex proferatur, quæ ſingulare hoc jus tribuat, quod ceteris denegatur (1): nulla autem lex afferri poteſt, quæ hujuſmodi beneficium concedat. Alii eam pupillo competere exiſtimant, atque nituntur auctoritate Ulpiani generatim aſſerentis, hypothecam cum prælatione pupillo competere, ſi ex nummis ejus res comparata ſit (2); quem tamen prioris ſententiæ patroni volunt intelligendum eſſe de eo caſu, quo ab ipſo tutore res fuerit emta, vel quo ſpecialis hypothecæ conventio facta ſit, tum quia Ulpiani conſilium non eſt, inquirere, an pupillo in hoc caſu hypotheca competat; ſed exempla afferre, in quibus poſterior creditor hypothecarius præfertur priori; an vero hypothecam hic habeat, ex generalibus juris regulis definiendum eſt; tum quia idem jus extraneo, ac pupillo competere tradit Jureconſultus, videlicet extraneum, cujus pecunia res ex parte comparata eſt, cum antiquiore creditore concurrere

Digitized by Google

(3). Nemo autem dixerit, jus aliquod hypothecæ, aut prælationis majorem habere in hac ſpecie, niſi conventione ſibi proſpexerit. Alios vero juris textus, quos objiciunt (4), de re ab ipſo tutore emta intelligunt, vel de caſu, quo hypothecæ conventio facta ſit. In hac ſententiarum varietate recipi poteſt media aliorum ſententia, quæ nec ſenatui diſplicuiſſe videtur: nimirum pupillum in re emta nummis ſuis, ſed a tutore præferri creditoribus etiam antiquioribus, & privilegiatis propter dominium pupillo ex emtione a tutore facta quæſitum (definit. præced.): ſi vero ab alio res emta ſit, prælationem quidem habere etiam contra anteriores, dummodo privilegiati non ſint (✠5), quia ſi res agatur inter eos, qui eodem utuntur privilegio, ſervanda eſt temporis prærogativa; cum in poſteriori hoc caſu dominium pupillo a lege tributum non ſit, ut in priore (defin. præced.), ſed ad ſummum jus hypothecæ cum prælatione, quod eodem privilegio utentibus nocere non debet (6).

(1) *Receptiſſimum enim in jure eſt, ut mutuans in emtionem prædiorum, ſolam perſonalem actionem habeat, non vero hypothecariam, L. Quamvis ea 17. cod. de pign. (8. 14.): niſi nominatim, & ſpecialiter convenerit, ut idem fundus obligatus ſit ei, ex cujus pecunia emitur, & conventio hæc ipſo inſtanti facta ſit, quo fundus comparatur, quia cuique licet, rei ſuæ, quam vult, ab initio legem dicere, L. ult. cod. de pactis inter emtor., & vend., L. In traditionibus 48. ff. de pact., Fab. cod. Qui potior. in pign. lib. 8. tit. 8. def. 10.*

(2) *Interdum poſterior. potior eſt priori, L. 5. ff. qui pot. in pign.* (20. 4) *Idemque eſt, ſi ex nummis pupilli fuerit res comparata l. 7. ff. eod. tit.*

(3) *Quod ſi res non in totum ex nummis cujuſdam comparata eſt, erit concurſus utriuſque creditoris, ideſt & antiquioris, & ejus, cujus nummis comparata: D. L. Idemque 7. ff. Qui pot. in pign.*

(4) *L. Penult. cod. de ſervo pign. dato manumiſ.* (7. 8), *L. Ex pacto 52. verſic. Plane ff. de peculio* (15. 1.), *L. ſi curator 3. cod. arbitr. tutor.* (5. 51.), *L. Sed ſi pecunia 3. ff. de. rebus eorum* (27. 9.)

(✠5) *D. Deciſ. 20. decembris 1680. refer. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier, §. Rurſus hæc, in qua Relator diſtinctionem hanc tamquam certam profert, Merlin de pignoribus lib. 5. quæſt. 65. num. 6., Gail de credit. cap. 4. quæſt. 11.*

(6) *L. Aſſiduis 12. §. 1. in fine cod. qui potior. in pign.* (8. 18.)

DEFINITIO VII.

Hypotheca pupillorum, & minorum in bonis tutorum, & curatorum incipit a die, quo hi gerere debuerunt.

Hypotheca, quæ pupillis, & minoribus competit in bonis tutorum, & curatorum, incipit non a die, quo male gerere cœperunt, ſed ab eo, quo adminiſtrationi ſe immiſcuerunt (✠1); initium rei, quod certum eſt, potiuſquam iniquum progreſſum, qui ſæpe incertus eſt, ſpectandum placuit Juſtiniano (2); ne alioquin pupilli, & minores in damno hæreant. Initium autem adminiſtrationis non illud tempus intelligendum interpretatus eſt Senatus Sabaudus, quo tutor revera geſſit pupillaria negotia, ſed quo gerere debuit (3); cum tutor non tantum de iis, quæ geſſit, ſed etiam de omiſſis, & neglectis teneatur (4); alioquin propria tutori culpa, & negligentia prodeſſet. Quare ſi tutor plurium pupillorum bona adminiſtraverit, non præfertur ille, cujus negotia prius attigit; ſed ille, cujus adminiſtrationi prius ſe ingerere debuit; cum inter creditores hypothecarios, eodemque privilegio gaudentes, prior tempore potior jure ſit (5).

Digitized by Google

(✠1) *Deciſ.* 20. *decembris* 1680. *ref. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Laugier, in princip., Deciſ.* 17. *decembris* 1686. *ref. D. Rolando in cauſſa Concurſ. Merlo,* §. *Deinde vero poſt expenſas.*

(2) *L. Cum oportet* 6. §. *ult. cod. de bon. quæ liber.* (6. 61.)

(3) *Fab. cod. in quib. cauſſ. pign. lib.* 8. *tit.* 7. *def.* 1.

(4) *Toto tit. cod. ſi tutor, vel curat. non geſſ.* (5. 55.)

(5) *L.* 1. *cod. qui potior. in pign.* (8. 18.)

DEFINITIO VIII.

Nonniſi redditis rationibus, regulariter agi poteſt contra tertios poſſeſſores. An competat retentio pro meliorarmentis, & fructibus?

Adverſus tertios bonorum pupilli, vel minoris poſſeſſores regulariter agi non poteſt, priuſquam rationes tutelæ a tutore, vel ejus heredibus acceptæ ſint: potiſſimum ſi de re pupilli vendita, & ab eodem vindicanda agatur, ut ſciatur, an pretium verſum ſit in pupilli utilitatem; niſi aperte conſtet de vitio, ſeu, ut ajunt pragmatici de nullitate contractus (1): tertio autem poſſeſſori contra pupillum rem vindicantem actio, ſeu exceptio competit pro impenſis melioris effecti prædii (✠2). Fructus vero rei perperam alienatæ a die occupationis reſtituendi ſunt, ſi tertii poſſeſſores fuerint in mala fide: a die vero motæ litis, ſi bona fide rem comparaverint, compenſandis tamen in utroque caſu fructibus cum meliorationibus (✠3) ſecundum generales juris regulas.

(1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 75. *num.* 12.

(✠2) *Theſaur. ibid. num.* 11., *Deciſ.* 23. *junii* 1732. *ref. D. Nomis in cauſſa ſoror. de Barbetis contra Ancinum, & alios* §. *Sed cum adverſus.*

(✠3) *D. Deciſ., & d.* §., *L. Si contra* 2. *cod. ſi quis ignorans rem minor.* (5. 73.)

TITULUS XXXIII.

De contraria tutelæ, & curæ actione.

DEFINITIO I.

Tutores, & curatores actionem contrariam tutelæ, & curæ habent, non tamen hypothecam in bonis pupillorum, & minorum.

Cum æquitas ipſa naturalis demonſtret, nemini damnoſum eſſe debere officium, quod alterius gratia ſuſcepit (1); tum etiam, ſi Ulpiano credimus, ut tutores, & curatores facilius huic oneri ſe ſubjiciunt, ſcientes ſe pupillum, & minorem ſibi ex adminiſtratione obligatum eſſe (2); legumlatores quemadmodum pupillis, atque minoribus actionem dederunt contra tutores, & curatores, qua propoſita obtineant, quæ ad ipſos pertinent, & reſtaurationem damni, quod dolo, aut culpa tutorum, vel curatorum paſſi ſunt: ita ut eorumdem tutorum, & curatorum indemnitati proſpiceretur, tributa fuit actio contraria contra pupillos, & minores, qua tutores, & curatores conſequantur, quod ipſorum cauſſa impenderunt, vel etiam indemnes ſerventur ex adminiſtratione (3). Non tamen tutori, & curatori æque competit hypotheca in bonis pupilli, & minoris (✠4); etenim hypotheca ſpeciale jus eſt, non ex naturali, ut actio tutelæ directa, & contraria, ſed ex poſitiva civili lege deſcendens; quæ ideo nemini, præciſa

Digitized by Google

conventione, competit, niſi lex eam ſpecialiter conceſſerit (5), cujus conceſſionis favore tutorum, & curatorum nullum in jure veſtigium apparet.

(1) *L. Si ſervus 61. §. Quod vero 5. ff. de furt.* (47. 2.)

(2) *L. 1. ff. cod. tit. de contrar. tutel., & util. action.* (27. 4.)

(3) *D. L. 1. princip., & §§. ſeqq.*

(✠4) *Deciſ. 13. junii 1738. refer. D. Bruno in cauſſa diſcuſſionis bonorum Proni, §. Ad chirographariam, poſt num. 18., Fab. cod. hoc tit. lib. 5. tit. 34. definit. 1.*

(5) *Toto tit. ff., & cod. in quibus cauſſ. pign., vel hypothec. tacit. contrahit.*

DEFINITIO II.

An ſalarium tutoribus, & curatoribus debeatur?

Quamquam ſalarium aliquando conſtitui ſolet tutoribus, & curatoribus a teſtatore, vel etiam ex juſtis cauſſis a judice: quo tamen caſu tutor, vel curator non repetit ſumtus, quos in pupilli utilitatem, puta in itineribus, erogavit (1) (niſi graviores ſint ſalarii, & negotiorum ratione habita): quia, cum tutelæ munus, exemplo ceterorum civilium munerum, gratuitum eſſe debeat, ſalarium potius datur in repenſationem damni, quod tutori imminere poteſt ex officio ſuo, quam in pretium laboris. Quod ſi nec a teſtatore, nec a judice decretum ſalarium fuerit, romano jure inſpecto, neutiquam deberi plerique defendunt exemplo mandatarii, qui ſalarium etiam promiſſum nonniſi extra ordinem tantummodo petere poteſt (2): nec promiſſio tenet, niſi quantitas fuerit definita (3), quia ſcilicet mandatum, utpote ex amicitia ſuſceptum (4), gratuitum eſſe debet, vel ſaltem tale ex communi hominum agendi ratione plerumque eſt: quia tamen non eadem amicitiæ ratio in tutela occurrit, quæ plerumque ex neceſſitate ſuſcipitur, atque eorum favore, qui nec conſanguinitatis, nec amicitiæ ullo ſunt vinculo connexi, idcirco apud pleraſque gentes uſus invaluit, ut ſalarium quibuſcumque tutoribus conſtituatur (5). Sed, ſublata hujuſmodi conſuetudine, vel ſpeciali lege (6), ſalarium non conventum non debetur adminiſtratoribus rerum alienarum: niſi adminiſtrator ſit ex numero eorum, qui ſoliti ſunt locare operas ſuas, & ille, cujus bona fuerunt adminiſtrata, ſolitus ſit conducere (✠7): vel niſi æquitas aliud ſuadeat (8).

(1) *L. A tutoribus 33. §. ult. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26. 7.)

(2) *L. Salarium 7. ff. mandati* (17. 1)

(3) *L. Qui mutuam 56. §. penult. ff. cod. tit.*

(4) *L. 1. §. ult. ff. eod. tit.*

(5) *Ita teſtatur Voet in pandect. hoc tit. de contrar. tutel., & util. action. lib. 27. tit. 4. num. penult.*

(6) *Curatori bonorum abſentis, & jacentis hereditatis congruum ſalarium dandum eſſe cavetur Reg. conſtit. lib. 3. tit. 4. §. 13.*

(✠7) *Deciſ. 13. novembris 1648. ref. D. Filippa in cauſſa Rectorum SS. Trinitatis contra Pauperes Sancti Georgii, § Senatus inhærendo: ubi denegatum fuit ſalarium dictis rectoribus, quod petebant pro adminiſtratione bonorum ad dictos Pauperes pertinentium.*

(8) *V. ſupra tit. XVII. de curator. bonor. debitor. defin. I. in fine.*

Digitized by Google

DEFINITIO III.

An, & quibus caſibus tutori, vel curatori ſalarium a judice conſtitui debeat?

An vero conſtituendum ſit ab initio officii ſalarium tutori, res pendet a prudenti judicis arbitrio, perpenſa patrimonii pupillaris qualitate, & quantitate, & potiſſimum conditione perſonarum. Si de perſonis pauperibus agatur, æquum non eſt, ut in mendicandi neceſſitatem conjiciantur, quo alienis negotiis vacent (✠1). Immo, cum officium ſuum nemini debeat eſſe damnoſum (2), juſtam habet tutor, ſe a tutela excuſandi cauſſam, ſi res pupillares non ſine rei ſuæ diſpendio poſſit adminiſtrare (3): quo fundamento Romani jureconſulti reſponderunt, non eſſe cogendum tutorem, ut bona gerat in longinquis regionibus conſtituta (4), non tamen ſalarium tutori conſtituendum eſt ex ſola voluntate conſanguineorum, quippequi timeri poſſunt, ne exonerandi ſui gratia pupillum onerent, ſed judicis auctoritate. Perpenſa autem conditione perſonarum, qualitate, & copia patrimonii, quantitatem ſalarii judex definiet.

(✠1) *D. Deciſ. (defin. praced.) refer. D. Filippa, & d. §. Senatus inhærendo.*

(2) *L. Si ſervus communis 61. §. Quod vero 5. ff. de furtis.* (47. 2.)

(3) *Fab. cod. de excuſat. lib. 5. tit. 36. def. unic.*

(4) *L. Illud 19., L. Propter litem 21. §. Licet datus 2. ff. de excuſation.* (27. 1.)

DEFINITIO IV.

Quæ ſint ſolemnitates in liberationibus tutorum, & curatorum adhibendæ?

In liberationibus, quæ poſt finitum officium plerumque fiunt favore tutorum, & curatorum, ſi jus Romanum ſpectemus, nullæ ſpeciales ſolemnitates præſcriptæ inveniuntur; proinde ſufficit interventus tutoris, vel curatoris, & judicis decretum, quod nec omnino, nec in omnibus caſibus neceſſarium videtur (1). Sed, ut omnis dubitandi occaſio tollatur, atque pupillis, & minoribus in hoc maximi momenti negotio proſpectum ſit, certa forma Principum noſtrorum ſanctionibus jampridem conſtituta fuit (2), poſterioribus conſtitutionibus firmata (3). Præſcriptum eſt quippe, ne minoribus liceat, tutores, aut curatores liberare, niſi concurrat præſentia, & decretum judicis cum interventu duorum ſaltem ex proximioribus conſanguineis, aut amicis, ſi conſanguinei nulli ſint: ita ut liberatio aliter facta, quacumque ratione concipiatur, nullas vires habeat (4), quamtumvis ampliſſima ſint liberationis verba (✠5). Definitum tamen a Senatu fuit, valere liberationem, quamvis nulli conſanguinei interveniſſent, cum in civitate, ubi redditæ ſunt rationes, nulli adeſſent: amicorum vero interventum, qui in defectum conſanguineorum præſcribitur, cenſuerunt patres ampliſſimi, ſuppleri poſſe per æquipollens, puta per advocatum, & procuratorem, qui minoris cauſſam rite defenderint (✠6), prout in multis caſibus fieri jura ſinunt (7).

(1) *V. Juriſpr. Tom. II. §. 1255. p. 308.*

(2) *Edict. Amed. VIII. penes Solam decr. Quitationem pag. mihi 145.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 10. §. 1.*

(4) *Reg. conſt. d. loco §. 1.*

(✠5) *Deciſ. 14. auguſti 1643. refer. D. Piſcina in cauſſa utrinque Cremona, §. Senatus tamen, Deciſ. 27. jan. 1648. refer. D. Abeccleſia in cauſſa Rochiardæ contra Galletium, §. In reconventionali, Deciſ. 11. ſeptembris 1734. refer. D. Demorra in cauſſa Concurſ. Braja, §. Irritam quoque, num. 5, & ſeqq.*

(✠6) *Deciſ. 27. januarii 1733. refer. D. Meynier in cauſſa Alemandi contra ſorores Coranas, §. Nec etiam cenſuit, & ſeqq., num. 6.*

(7) *L. Julianus ait 47. §. 1. L. ult. §. ult. ſſ. mandati (17. 1.), L. Julianus 45. ſſ. de condit., & demonſtrat. (35. 1.), L. ult. cod. de donationib., quæ ſub modo (8. 55.)*

DEFINITIO V.

Liberatio conceſſa tutori, aut curatori, non prius redditis rationibus, vel in qua dolus, aut error intervenerit, nulla eſt.

Hinc ſponte fluit, nullam eſſe liberationem præſtitam non prius legitime redditis rationibus: aut in qua error, vel dolus intervenerit, quamvis & jusjurandum ſuperadditum ſit (✠1); quia, prætermiſſa redditione rationum, ſciri nequit, an, & quantum tutor debuerit, nec ne: neque liberatio facta dici poteſt cum cauſſæ cognitione, quam leges omnino requirunt, ut omnis doli præſumptio tollatur (2).

(✠1) *D. Deciſ. 27. januarii 1648. refer. D. Abeccleſia in cauſſa Rochiardæ, & d. §., D. Deciſ. ref. D. Demorra, & d. §., Deciſ. 26. januarii 1657. ref. D. Dalmazzono in cauſſa Bertolotti, & Emmanuelis in princip., Deciſ. 23. novembris 1643. refer. D. Piſcina in cauſſa Raſini contra Ruffinatum, §. In tertio fuit condemnatus, L. Cum hi 8 §. Si prætor 17. ſſ. de tranſactionib. (2. 15.)*

(2) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 10. §. 2., & 3.*

DEFINITIO VI.

Liberatio tutori, vel curatori præſtita, nonniſi præteritam adminiſtrationem complectitur, niſi forte inter conjunctos.

Liberatio tutori, vel curatori conceſſa regulariter complectitur ſolam præteritam adminiſtrationem, quantumvis ampliſſima fuerit; nullum etenim pactum extra fines ſuos extrahendum eſt, neque ad ea, de quibus veroſimiliter contrahentes non ſenſerunt (1); ne actus agentium operentur ultra eorum intentionem (2); inter conjunctos tamen facilius præſumitur, atque facilius protrahitur, ut reliqua comprehendat (✠3); quæ præſumptio mutua dilectione innititur, qua conjuncti ſe ſe invicem proſequi debent.

(1) *Cum Aquiliana ſtipulatio interponitur, quæ ex conſenſu redditur, lites, de quibus non eſt cogitatum, in ſuo ſtatu retinentur; liberalitatem enim captioſam interpretatio prudentum fregit, L. Cum Aquiliana 5. ſſ. de tranſactionibus (2. 15.)*

(2) *L. Non omnis 19. ſſ. de reb. cred. (12. 1.)*

(✠3) *Deciſ. 19. auguſti 1678. refer. D. Torrini in cauſſa Maffei contra Maffeum, §. Nam reſpondetur.*

Digitized by Google

TITULUS XXXIV.

De fidejuſſoribus, *nominatoribus*, *& heredibus tutorum*, *vel curatorum*.

DEFINITIO I.

Fidejuſſor tutoris ad ea omnia in ſubſidium tenetur, quæ ipſe tutor actione tutelæ præſtare cogitur.

Cum fidejuſſores teneantur in ſubſidium tutorum, & curatorum (1), reficere quoque debent damnum quodcumque a pupillo paſſum ex dolo, culpa lata, vel levi tutoris; quemadmodum & ipſe tutor tenetur: atque generatim præſtant pupillo, quidquid actione tutelæ peti poteſt (2); nec ſortem tantum, ſed etiam uſuras, quæ tutoris oneri ſunt, tum ob debita contracta erga pupillum durante tutela; tum & ob moram a tutore admiſſam poſt depoſitum officium in reliquis reſtituendis (3); quia hæc omnia tutelæ actione petuntur (4). Hinc cenſuit Senatus noſter, fidejuſſorem, qui admiſerat ſe teneri ad reddendas rationes, ſed allegabat, quædam temere fuiſſe in inventario deſcripta, cogendum eſſe, ut juxta inventarium rationes redderet, quemadmodum & ipſe tutor (✠5).

(1) *L. Cum oſtendimus* 4 §. *Fidejuſſores* 3., *& paſſim ff. hoc tit. de fidejuſſoribus, nominat., & heredib. tutor., vel curator.* (27. 7.)

(2) *L. Cum rem* 11. *ff. rem pupilli ſalvam fore* (46. 6.)

(3) *Si poſtquam pupillus ad pubertatem pervenerit, tutor in reſtituenda tutela aliquandiu moram fecerit, certum eſt, & fructuum nomine, & uſurarum medii temporis, tam fidejuſſores ejus, quam ipſum teneri, L. Si poſtea* 10. *ff. eod. t. rem pupil. ſalv. for.*

(4) *L. Ejus, quod* 2. *cod. de uſur. pupillarib.* (5. 56.), *V. ſupra de reſtit. reliquor. titul.* XXXI. *defin.* I.

(✠5) *Deciſ.* 20. *junii* 1644. *refer. D. Beccaria in cauſſa Meruli contra Carchiottum per tot.*, *L. ult. cod. arbitr. tutelæ* (5. 51.)

DEFINITIO II.

Fidejuſſorum loco habentur, qui aliquem coram judice idoneum ad tutelam gerendam affirmaverint. Quid ſi tamquam teſtes? An idem jus in majoribus ſervetur?

Qui a judice interrogati, utrum quis tutelæ gerendæ capax ſit, idoneum aſſeruerunt, vices fidejuſſorum ſuſtinent (✠1): immo placuit Sabaudis patribus, pro fidejuſſoribus tutorum, aut ſaltem collaudatoribus habendos eos eſſe, qui aliquem idoneum affirmaverint, etiam tamquam teſtes (2), quia & hi de idoneitate, & diligentia tutoris ſpondere videantur. Hæc autem pupillorum, & minorum favor extorſit: ſed aliud obtinet in majoribus; niſi quis dolo alterum idoneum affirmaverit (✠3); quippe ipſis imputari poteſt, cur temere fidem præſtiterint: contra pupilli in ea cauſſa ſunt propter conſilii imbecillitatem, ut de idoneitate tutoris ipſi inquirere nequeant. An autem indiſtincte nominatores hi, atque affirmatores fidejuſſorum vicem ſuſtineant, ita ut in ſubſidium teneantur, tunc etiam, cum præ ruſticitate, vel ſimplicitate tutorem non idoneum petierunt, aut idoneum falſo affirmaverunt, alibi expendimus (4).

(✠1) *L. Cum oſtendimus* 4. §. *ult. ff. hoc tit. de fidejuſſorib., nominatoribus, & heredib. tutor., vel curator.* (27. 7.), *Deciſ.* 23. *martii* 1735. *refer. D. Bla-*

Digitized by Google

vet in cauſſa Concurſ. Presbyteri, §. Sponderat Presbyterus.

(2) *Fab. cod. hoc tit. de fidejuſſoribus tutor., vel curator. lib. 5. tit. 33. def. 1. num. 7. in allegat.*

(✠3) *L. Et eleganter 7. §. ult. ff. de dolo malo* (4. 3.), *d. Deciſ. ref. D. Blavet, & d. §.*

(4) *V. Juriſprud. Tom. II. §. 1290. pag. 316.*

TITULUS XXXV.

De in integrum reſtitutione minorum: quibus detur, quibus conditionibus, & adverſus quos.

DEFINITIO I.

Minorem ætatem, ſeu contractum in minori ætate celebratum fuiſſe probare debet, qui in integrum reſtitui vult.

Reſtitutio in integrum ex capite minoris ætatis impetrari non poteſt, niſi probetur minor ætas, ſeu demonſtretur, contractum, quem quis reſcindi poſtulat, in minore ætate geſtum fuiſſe (✠1); cum minor ætas fundamentum ſit, quo beneficium reſtitutionis innititur (2): quare ſive inſtar actionis beneficium reſtitutionis imploretur, ſive exceptionis remedio quis ſe tueri velit; probari debet, cum æque reo fundamentum ſuæ exceptionis, ac actori fundamentum actionis demonſtrandi onus incumbat (3).

(✠1) *L. Si minorem 4. cod. hoc tit. de in integr. reſtitut. minor.* (2. 22.), *L. Cum te minorem 9. cod. de probat.* (4. 19), *Deciſ. 25. ſeptembris 1645. refer. D. Pio in cauſſa Deliæ contra PP. Sancti Dominici §. Sed quod magis eſt.*

(2) *L. 1. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4).

(3) *L. In exceptionibus 19. ff. de probat.* (22. 3.)

DEFINITIO II.

Minor ætas quibus modis probetur?

Probatur minor ætas inſtrumentis authenticis, teſtibus, epiſtolis etiam, aliiſque ſimilibus rationibus (✠1): congruentius autem, quemadmodum inter orthodoxos fieri ſolet, fide baptiſmatis, quæ ſit a parocho ſubſcripta, & ab Epiſcopo, ſi neceſſitas poſtulet, confirmata (✠2). Imo etiam ex libro informii, ſi res ſit in antiquis, & adſint alia adminicula, niſi aliud jure municipali inductum ſit (✠3).

(✠1) *L. Imperatores 29. ff. de probationibus* (22. 3.) *L. Omnes adoleſcentes 2. cod. de his, qui veniam ætatis* (2. 45), *Fab. cod. de probationib. lib. 4. tit. 14. def. 9, ubi per ſolam dationem curatoris non probari minorem ætatem defendit, niſi cum iis res ſit, qui adfuerunt, & conſenſerunt, cum curator datus fuit.*

(✠2) *Deciſ. 8. martii 1646 refer. D. Pergamo in cauſſa Prandi contra Canem in fine, Fab. cod. cod. tit. de probat. defin. 11.*

(✠3) *Deciſ 2. auguſti 1734. ref. D. Demorra in cauſſa de Allardis, & Moccagatta contra Comit. Provana, & alios §. Fideicommiſſum reciprocum, in qua & traditur, jure municipali Montisferrati minorem ætatem non niſi per tres teſtes probari poſſe.*

DEFINITIO III.

Læſio probanda eſt ab eo, qui beneficium reſtitutionis implorat.

Qui beneficium reſtitutionis implorat, læſionem probare debet (✠1): ita ut neque communitas, cujus cauſſa maxime favorabilis eſt, niſi demonſtrata læſione,

reſtituatur (2); quia læſio fundamentum eſt reſtitutionis (3). Non tamen requiritur, ut ex adverſarii dolo læſio contigerit (4); reſtitutio enim non conceditur, ut dolus alterius contrahentis puniatur, ſed ut pupillorum, & minorum indemnitati proſpectum ſit (5).

(✠1) *L. Non omnia* 44. *ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.), *L. Verum* 11. §. *Sciendum* 3. *ff. eod. tit.*, *Deciſ.* 25. *ſeptemb.* 1645. *in cauſſa Deliæ contra PP. S. Dominici refer. D. Pio* §. *Quia licet minor*, *Deciſ.* 11 *maji* 1646 *refer. D. Beccaria in cauſſa Chioſtræ contra jugales de Ugonottis.* §. *Et fuerunt in votis*, *Deciſ.* 22. *maji* 1655 *ref. D. Dalmazzono in cauſſa Capræ, & Regis in princip.*, *Deciſ.* 20. *januarii* 1731. *refer. D. Blavet in cauſſa utrinque Nazarii* §. *Primum enim*, *Deciſ.* 2. *auguſti* 1734. *refer. D. Demorra in cauſſa de Allardis contra Moccagata*, *poſt. num.* 10.

(✠2) *L. Rempublicam* 3 *cod. de jur. repub.* (11. 29.), *Dec.* 29. *nov* 1683. *ref. D. Torrini in cauſſa Com. Oltanici cont. Communn. Sanfrè*, §. *Nec locum eſſe*, *in fine deciſ.*

(3) *D. L.* 11. §. 3, *D. L.* 44. *ff. hoc tit. de minorib.*

(4) *L. Minoribus* 5. *cod. hoc tit. de in integr. reſtitut. minor.* (2. 22.)

(5) *L.* 1. *princip.*, & §. 1. *ff. hoc tit. de minorib.*

DEFINITIO IV.

Læſio res eſt facti incerti, quæ a judicis prudenti arbitrio pendet: generatim tamen ſufficit ad reſtitutionem læſio in ſexta pretii parte?

Cum autem læſio res ſit facti incerti, in qua nulla generalis regula tradi poteſt, quæ ſingulis facti ſpeciebus conveniat, jure placuit, arbitrio judicis plerumque relinquendam eſſe, conſideratis perſonis, cauſſa, ſumma, aliiſque rerum adjunctis: ita tamen ut læſio in ſexta parte pretii generatim ſufficiat (✠1), atque minor læſio aliquando ſufficere poteſt; ſi enim de locatione bonorum quæſtio ſit, quæ ad pupillos, minores, vel univerſitates, pertinent, noviſſimo jure, quo nunc utimur, duodecimæ partis pretii augmentum recipitur intra viginti dies poſt peractas ſubhaſtationes (2).

(✠1) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 12. §. 6, *Deciſ.* 25. *aug.* 1642. *refer. D. Beccaria in cauſſa Bernardi Bonæ, & aliorum: ubi cum quidam vendidiſſet domum pretio librarum* 1000, *quod ex teſtatoris præcepto in pauperum elemoſynas convertendum erat, nulla dicta eſt venditio, quia alter obtulerat amplius libras* 600 §. *Et omiſſa diſcuſſione, & ſeqq. atque ita pariter deciſum refertur favore univerſitatis*, *Deciſ.* 19. *januarii* 1641. *refer. D. Pergamo in cauſſa civit. Taurini contra Caponum, ubi & læſionem in ſexta pretii parte ſufficere ad reſtitutionem traditum eſt.* §. *Vidit autem hoc caſu: & favore minoris* 22. *octobris* 1633 *refer. D. Nomis.*

(2) *Reg. conſtit. ibid.* §. 7.

DEFINITIO V.

Læſionis probandæ modus potior ille eſt, qui fit per teſtes, qui deponant de rei valore, vel annuo reditu.

Læſionis probandæ potior ea videtur ratio, quæ fit per teſtes, qui deponant de rei valore tempore contractus, & de communi æſtimatione (✠1): vel etiam de annuo reditu, continuo tamen; quia ſterilitas, aut ubertas unius anni conſiderari non debet, ſed ea attenduntur, quæ contingere ſolent (2); ex reditus enim compararione verus rei valor dignoſci poteſt (✠3): quamquam & ſuamquoque æſtimationem habent, quæ nullos reditus pariunt, dummodo alicui uſui inſerviant, ſaltem ad voluptatem. Quod ſi teſtes ex parte actoris, & rei diſſentiant, communis una æſtimatio ex duabus fieri ſolet, quam judex ſequatur (4).

(✠1) *Deciſ.* 28. *junii* 1658. *refer. D. Dalmazzono in cauſſa Comit. Capræ contra Boſchis* §. *Tandem quoad remedium*, & *ſeqq.*, *Deciſ.* 5. *decembris* 1737. *refer. D. Blavet in cauſſa Oſaſcæ Buſſæ contra P.P. S. Franciſci Cortimiliæ poſt num* 9.

(2) *L. Pretia rerum* 63. §. *ult. cod. ad leg. Falcid.* (35. 2.)

(✠3) *Fab. cod. de reſcind. vend. lib.* 4. *tit.* 30. *def.* 2, *D. Deciſ. ref. D. Blavet loco citato.*

(4) *Fab. d. def.* 2. *num.* 4. *in allegat.* ✠

DEFINITIO VI.

Læſio probanda eſt de tempore contractus, niſi contractus habeat tractum, ut ajunt, ſucceſſivum.

Læſio probanda eſt tempore ipſius contractus ad reſtitutionem in integrum obtinendam; quæ poſt perfectum contractum eveniunt, vel eum præceſſerunt, ejus æquitatem evertere nequeunt, cujus initium ſpectandum eſt (✠1). Hinc colligit Faber (2), non videri probatam læſionem, ſi teſtes deponant, tanti rem nunc eſſe, nec minorem fuiſſe tempore contractus, quia jam tunc ejuſdem bonitatis eſſet; quia fieri poteſt, ut, eadem bonitate, eodemque rei ſtatu manente, pretium ex aliis extrinſecis cauſſis immutatum ſit. Aliud profecto obtinet in contractibus, qui habent, ut ajunt, tractum ſucceſſivum: in his totius temporis ratio haberi debet (✠3): atque, quod dicimus de pretio, ſeu rei valore tempore contractus, intelligi debet de pretio ſolito, & naturali, non vero de accidentali, & calamitoſo, puta tempore belli (✠4); ut enim ſcite ratiocinatur Paulus; pretia rerum non ex momentis temporum, nec ex ea, quæ raro accidat, caritate conſtituuntur (5).

(✠1) *L. Si voluntate* 8. *in fine cod. de reſcind. vendit.* (4. 44.), *Fab. cod. eod. tit. de reſcindend. vend. lib.* 4. *tit.* 30. *def.* 19, *Deciſ.* 1. *april.* 1702. *refer. D. Cumiana in cauſſa concurſ. ſuper bonis Maſſæ* §. *Replicabatur*, *prope finem deciſ.*, *Dec.* 25. *ſeptemb.* 1662. *ref. D. Beccaria in cauſſa Comit. Granerii contra Valpergam* §. *Ulterius nec fuerat.*

(2) *D. defin.* 19. *num.* 3. *in corp.*

(✠3) *Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1674. *ref. D. Gabuti in cauſſa D. D. fratrum de Graneriis contra univerſit. Cariniani* §. *Et pro hac ſententia*, *num.* 15, *Argum. L. Cum quidam* 17. *ff. de uſuris* (22.1), *Theſaur. deciſ.* 120. *num.* 2. *in fine.*

(✠4) *Deciſ.* 28. *novembr.* 1735. *refer. D. Bianchis in cauſſa Monialium Ss. Anunciationis Salutiarum contra Comit. Benevellum Abeccleſia* §. *Si vero de utilitate, poſt num.* 5.

(5) *L. Pretia rerum* 63. §. *ult. ff. ad leg. falcid.* (35. 2).

DEFINITIO VII.

Eccleſiæ, pia loca, & univerſitates gaudent jure minorum, quoad reſtitutionem in integrum ex cauſſa læſionis.

Eodem, ac minores, privilegio gaudent eccleſiæ, aliaque cujuſcumque generis pia loca, univerſitates, corpora, ſeu collegia, quorum negotia ab aliis adminiſtrantur; quia his quoque favet legis ratio, ne ex adminiſtratorum dolo, aut culpa damnum patiantur. Neque deſunt juris loca, quibus ſententia hæc adſtruatur. Quod ad eccleſias pertinet, non tantum canonico jure definitum apparet, eas jure minorum gaudere, ut in omnibus illeſæ ſerventur (1); ſed etiam jure civili ab Imperatoribus Leone, & Anthemio ſancitum fuit, ut adminiſtratores hoſpitalium conſiderari debeant, tamquam tutores, & curatores pupillorum, & minorum: atque pro eorum adminiſtratione eædem ſerventur regulæ, quas leges tutoribus, & curatoribus præſcripſerunt (2). Cum ergo pupillis, & minoribus æquiparentur loca pia, in adminiſtratione, & alienatione bonorum,

Digitized by Google

recte infertur, iis etiam æquiparanda eſſe in privilegiis, quæ pupillis, & minoribus data ſunt, ut bona ſua recipiant. Atque ita in foro receptum eſt (✠3). Nulla quidem lex eſt, quæ civitatibus, aliiſque corporibus, ſeu collegiis hujuſmodi privilegium indulgeat; ſed, cum traditum ſit, rempublicam, utpotequæ minorum jure uti ſoleat, reſtitutionis auxilium implorare poſſe (4), eamque, quaſi pupillam, extra ordinem juvari (5); civitates autem, atque alia collegia reipublicæ comparari poſſint, immo & eorum appellatione comprehendi (6), quatenus unumquodque collegium exigua quædam reſpublica eſt, jure defenditur, idem privilegium quibuſcumque univerſitatibus competere (✠7).

(1) *Cap. 1. extra de in integr. reſtitut.* (1. 41), *cap. 1, & 2. extra eod. tit. in* 6. (1. 21.)

(2) *L. Orphanotrophos 32. cod. de Epiſcop., & Cleric.* (1. 3).

(✠3) *Deciſ. 26. ſeptembris 1644. ref. D. Piſcina in cauſſa Nicolis contra Religionem Hyeroſolimitanam §. Videbatur concedendam, Fab. cod. de precib. imperat. offerend. lib. 1. tit. 9. defin. 20. num. 10 in allegat., & eod. de his, quæ ſub modo legat., vel fideic. relinq. lib. 6. tit. 24. def. 1. num. 1. in allegat., poſt plures alios.*

(4) *Reſpublica minorum jure uti ſolet; ideoque auxilium reſtitutionis implorare poteſt, L. Reſpublica 4. cod. quibus ex cauſſis majores &c.* (2. 54.)

(5) *L. Rempublicam 3. cod. de jur. reipublic.* (11. 29.)

(6) *Argum. L. ult. cod. eod. tit.*

(✠7) *Deciſ. 29. novembris 1683. ref. D. Terrini in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè §. Nec locum eſſe, in fine deciſ. Deciſ. 19 junii 1641. ref. D. Piſcina in cauſſa Caponi contra Civit. Taurini §. Vidit autem, Fab. cod. d. lib. 6. tit. 24. def. 1. num. 1. in allegat.*

DEFINITIO VIII.

Fiſcus ex cauſſa læſionis in integrum reſtitui poteſt.

Fiſci ex communi ſententia eadem, ac minorum ratio eſſe debet; nulla quidem lex eſt, quæ ei ſpeciatim hoc beneficium indulgeat: ſed, cum plurima ipſi in jure tribuantur, quæ minoribus competunt, puta jus tacitæ hypothecæ, non tantum pro tributis, ſed generatim in bonis eorum, qui fiſci bona adminiſtrant (1), vel etiam cum eo contrahunt (2), quod pupillis, & minoribus denegatur (3); in uſuris, quas fiſcus non ſolvit, accipit tamen (4), & ſimilibus, vulgo receptum eſt, ut fiſcus beneficio reſtitutionis in integrum utatur (✠5).

(1) *L. 1, & ſeqq. cod. de privileg. fiſc.* (7. 73), *L. 1. cod. in quib. cauſ. pign. &c.* (8. 15.)

(2) *L. 2. cod. eod. t. in quib. cauſ. pign.*

(3) *V. Juriſprud. Tom. II. §. 1180. pag. 292.*

(4) *L. Cum quidam 17. §. Fiſcus 5. ff. de uſuris* (22. 1.)

(✠5) *Deciſ. 7. februarii 1657. refer. D. Raſino in cauſſa Communit. Caſtrimontis contra Cealium §. Contrarius vero, Fab. cod. d. lib. 1. tit. 9. def. 20. num. 10. in allegat.*

DEFINITIO IX.

Filius, qui pro patre fidejuſſit, reſtitui poteſt. Quid ſi jusjurandum donationi, vel fidejuſſioni adjectum fuerit?

Per reſtitutionem in integrum ſuccurritur minori filio familias, qui pro quocumque fidejuſſerit, ſive ille extraneus, ſive pater ſit (✠1); cum enim fidejuſſio contractus ſit periculi plenus, facilius in ea beneficium reſtitutionis concedi

debet, quamvis pro patre filius intervenerit; nec aliquid facit contra obſequium patri debitum filius, qui a ſuſcepta temere obligatione liberari poſtulat. Quod ſi minor jurejurando adhibito fidejubeat, vel donet, læſionis prætextu non reſtituitur, niſi adſit fraus, vel lex municipalis aliud ſtatuat, quemadmodum apud nos (✠2); cum enim iſti contractus nullam apti ſint utilitatem afferre, læſio æque contingeret majori, (✠3), quæ reſtitutioni locum non facit (4).

(1) *L. 1. cod. de filioſamil. minore* (2. 23.)

(✠2) *Uſu apud pleraſque gentes in foro recepto ex L. 1., & Auth. Sacramenta puberum cod. ſi adverſ. vendit.* (2. 28.) *jurijurando ea vis tributa fuit, ut omnes ſuppleat extrinſecas ſolemnitates, & majorem faciat eum, qui etiamnum minor erat. Quod & apud nos olim obtinebat; quare etiam traditum eſt quitationem a minore jurato factam ſine ſolemnibus valere, nec poſſe retractari, niſi vis, error, vel dolus intervenerit, Deciſ. 9. ſeptembris 1654. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Perrachini contra Ponte. Sed, poſtquam jure regio cautum fuit, ut jusjurandum contractibus adjici nequeat, futurum alioquin, ut viribus careant, Reg. conſtit. ann. 1729. lib. 5. tit. 10. §. 11., & 12., & Reg. conſtit. ann. 1770. lib. 5. tit. 11. §. 13, & 14, aliud jus obſervatur.*

(✠3) *Deciſ. 20. decembris 1647. ref. D. Pergamo inter Rubeum, Carellum, & Rolancum, §. Reſpectu vero pacti.*

(4) *L. 1. in princip. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

DEFINITIO X.

Filius fidejubens pro patre ex cauſſa neceſſitatis, vel ut eum a carceribus eximat, læſus non videtur. Quid de fratre?

Deneganda tamen eſt reſtitutio in integrum filio, qui pro patre intercesſerit ex cauſſa neceſſitatis (✠1): vel ſi forte pater in carceribus detineatur, & filius pro eo fidejubeat, ut inde liberetur (2); quia læſus videri non poteſt filius, qui id fecit, quod quiſque major facturus fuiſſet (3), & facere debuiſſet pietatis intuitu, & metu exheredationis; cum non minus hac pœna dignus videatur filius, qui patrem carceribus detentum eripere negligit, ut bona ſua ſervet, quam qui captivum non redimit (4). Atque idem jus ſervandum eſſe placuit Senatui, ſi frater minor pro fratre fidejubeat, ut a carceribus liberetur (✠5), ob maximam, & arctiſſimam ſanguinis conjunctionem, quæ non ſinit, ut læſio allegari poſſit. An vero in his, & ſimilibus caſibus, quibus filiusfamilias minor admittitur ut pro patre fidejubeat, denegata ipſi ſpe in integrum reſtitutionis, curator dari debeat, qui eum defendat, ne forte decipiatur, affirmant aliqui, ſed placuit tamen Sabaudo Senatui, non poſſe ei curatorem dari (6); quia leges non patiantur, ut ſub curatore conſtituatur, qui in patris jure, ac poteſtate eſt (7), niſi de adeunda hereditate agatur, & pater diſſentiat, filio auctoritatem præſtare (8): præterquamquod inutile ſit auxilium curatoris ad explorandum, an filius præſtare debeat, quod ipſi a judice injungitur, cujus decretum & patris, & curatoris præſentiam ſupplet (9).

(1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 4. quæſt. 60. num. 2., Deciſ. 28. februarii 1674. refer. D. Leone in cauſſa Baronis Valpergæ contra Advoc. Martum, §. Nec*

Digitized by Google

minor, *Deciſ.* 19. *auguſti* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa Concurſ. Barel*, §. *Contrarium tamen*.

(2) *Fab. cod. de filiofamil. min. lib.* 2. *tit.* 14. *defin.* 1.

(3) *Non videtur circumſcriptus eſſe minor, qui jure ſit uſus communi*, *L. ult. cod. hoc tit. de in integram reſtitutione* (2. 22.)

(4) *Novel.* 115. *cap. Aliud quoque* 3. §. *Si quemlibet* 8.

(✠5) *D. Deciſ.* 28. *februarii* 1674. *refer. D. Leone in cauſſa Baronis Valpergæ contra Advocat. Martam*, §. *At dato etiam*, & *ſequ.*, *argum. L. Cum is* 32. §. *Mulier* 2. *ff. de condict. indebit.* (12. 6.)

(6) *Fab. cod. de filiofamil. min. lib.* 2. *tit.* 14. *defin.* 2.

(7) *Princip. inſtit. de tutel.* (1. 13.), *princip. inſtit. de curatorib.* (1. 23.)

(8) *L. ult.* §. 1. *cod. de bon. quæ liber.* (6. 61.)

(9) *L. Si infanti* 18. §. *ult. cod. de jur. deliberandi* (6. 30.)

DEFINITIO XI.

Succeſſores univerſales ex perſona minoris in integrum reſtituuntur, niſi defuncti memoria inde lædatur.

Succeſſoribus univerſalibus ex perſona defuncti, quam repræſentant, & in cujus jura, æque ac in onera, ſuccedunt (1), beneficium reſtitutionis competere placet (✠2); niſi, reſtitutione heredi conceſſa, futurum ſit, ut turpi quadam nota defunctus afficiatur, puta ingrati animi, ſi revocetur donatio, quam defunctus in remunerationem officiorum ſe feciſſe dixerit (3): heredi enim, majoris lucri ex hereditate percipiendi cauſſa, permittendum non eſt, ut defuncti famam lædat, cum potius naturalis æquitatis ratio ſuadeat, ut ex cujus perſona quis lucrum ſentit, ejus factum præſtet (4).

(1) *L. Heredem* 59. *ff. de reg. jur.*, *L. ult. ff. ſi famil. furt. feciſſ. dicat.* (47. 6.)

(✠2) *L. Minor autem* 18. §. *ult. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.), & *L.* 19. *ff. eod. tit.*, *L. Non ſolum* 6. *ff. de in integ. reſtit.* (4. 1.), *Dec. Senat. Nic.* 17. *ſeptembris* 1739. *refer. D. Granella in cauſſa utrinque Juglarii*, §. *Primo ex regula generali num.* 53.

(3) *Fab. cod. qui*, & *adverſ. quos in integr. reſtitut. lib.* 2. *tit.* 27 *def.* 5.

(4) *L. Ex qua perſona* 149. *ff. de reg. juris.*

DEFINITIO XII.

An minor reſtituatur contra minorem, vel univerſitatem?

In quæſtione, utrum ex cauſſa læſionis reſtituatur in integrum minor, qui cum minore contraxit, diſtinguendum eſt, an uterque de lucro captando, aut damno vitando agat: an vero alter de lucro quærendo certet, alter damnum effugere velit. In priore caſu reſtitutio denegatur (1); prodeſſe enim non poteſt privilegium contra alium, qui eodem privilegio gaudet (2); ſed res ad jus commune reducitur. Reſtitutio tamen conceditur minori, qui de damno vitando agit adverſus alterum minorem, vel minoris jure utentem, qui lucrum captare velit (3): puta filiofamilias minori, qui alteri mutuam pecuniam crediderit, niſi tamen locupletior factus ſit ille, qui accepit (4). Quo fundamento definitum fuit, minorem etiam contra eccleſiam, & monaſterium reſtitui, ne damnum minor ſentiat, & viciſſim eccleſiam reſtitui in eadem ſpecie contra minorem (✠5).

(1) *L. Verum* 11. §. *penult. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

Digitized by Google

(2) *L. Aſſiduis* 12. §. 1. *in fine cod. qui potior. in pign.* (8. 18.)

(3) *D. L.* 11. §. *penult. ff. hoc tit.*, *Fab. cod. de in integ. reſtit. min. lib.* 2 *tit.* 12. *definit.* 10. *in fin.*

(4) *L. Si minor* 33. *ff. hoc tit. de minorib.*

(✠5) *Deciſ.* 11. *auguſti* 1676. *refer. D. Raſino in cauſſa pupillæ Poviæ contra Monaſter. SS. Annunciat. Aſtæ*, §. *Limitatio tamen.*

TITULUS XXXVI.

Si adverſus venditionem, & tranſactionem reſtitutio petatur.

DEFINITIO I.

Reſtituitur ex cauſſa læſionis minor adverſus venditionem etiam publice, & ſub haſta factam. Quid de locatione, & illis, qui minorum jure utuntur?

Minor reſtituitur adverſus venditionem, non eam ſolum, quæ omiſſis præſcriptis ſolemnitatibus facta fuerit, poſtquam in foro receptum eſt, ut etiam adverſus nullam ipſo jure alienationem reſtitutio impetretur, ut quod de facto, quemadmodum ratiocinantur pragmatici, valuit, facto etiam reſcindatur: ſed & eam, quæ tutore, vel curatore auctore, & approbante judice fuerit celebrata, ſi læſio aliqua ex ætatis lubrico intervenerit (1): immo etiamſi ſub haſta publice facta venditio fuerit alius, ſi majus offerat pretium; poſtquam receptum fuit, ut & in lucro minoribus ſubveniatur (2); quamquam caute in hoc caſu indulgendam eſſe reſtitutionem ſcite monet Ulpianus, ne alioqui nemo res pupillares emere vellit, atque ita minores in damno hæreant, & via ipſis præcludatur, qua ſuis neceſſitatibus ſubveniant (3). Jure autem in foro recepto ſufficit ad reſcindendam publicam venditionem, ſi alius ſexta pretii parte amplius offerat (✠4), prout jam innuimus. Quod beneficium novo patrio jure etiam majoribus conceſſum eſt; dummodo (5) majoris pretii oblatio fiat intra viginti dies a poſtrema licitatione (6). Immo poſtremo cautum fuit, ut dimidiæ ſextæ auctio ſufficiat ad reſcindendam locationem bonorum, quæ ad univerſitates, & alia corpora, vel perſonas privilegio utentes pertinent, dummodo intra idem temporis ſpatium offeratur (7).

(1) *L. penult. ff. hoc tit. de minoribus* (4. 4.)

(2) *L. Prætor* 7. §. *Hodie* 6. *ff. de minorib.*

(3) *D. L.* 7. §. *Quæſitum* 8.

(✠4) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 35. *num.* 12., & 13., *Deciſ.* 7. *februarii* 1657. *refer. D. Raſini in cauſſa Communit. Caſtrimontis contra Cerlium*, §. *Contrariis vero*, *Deciſ.* 8. *maii* 1690. *refer. D. Gibuti in cauſſa fratr. de Maſſenis contra Comit. a Ponte Spatis*, §. *Et quamvis prædicta.*

(5) *V. tit. præced. de in integr. reſtitut. defin. V.*

(6) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 12. §. 6.

(7) *Reg. conſtit. d. loco* §. 7.

DEFINITIO II.

Minor reſtituitur adverſus emptionem publice, & ſub haſta factam, ſi læſum ſe probet ætatis imbecillitate.

Reſtitui poteſt minor adverſus emptionem publice factam, qua læſum ſe dicat, quia majus pretium obtulerit, quam res ſit; vel quia rem emerit, quod ipſius intererat non emere (✠1); in his enim caſibus certat de damno ex ætatis fragilitate ſibi imminente per re-

ſtitutionem vitando; ideoque a legum beneficio repellendus non eſt, nec danda eſt venditori electio pretii minuendi (2).

(✠1) *Deciſ.* 19 *aprilis* 1651. *refer. D. Blancardo in cauſſa jugal. de Mangiardis contra DD. de Sancto Andrea, & Ferrerios litis conſortes verſic. Corroborantur exceptiones, fere poſt medium deciſ.*

(2) *Argum. L. Ait prætor* 7. §. *Quæſitum* 8., *& L. penult. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

DEFINITIO III.

Tranſactio ex cauſſa læſionis per reſtitutionem in integrum reſcindi poteſt: ſed, ſi utilis ſit, ſuſtinetur, licet ſolemnitates omiſſæ fuerint.

Difficilius quidem reſcinditur tranſactio, quam emtio, & venditio, quia difficilius in ea probatur læſio: ſi tamen ex tranſactione læſus minor demonſtretur, non dubium, quin contra eam reſtituendus ſit (1). Sed inſpiciendum inprimis eſt, utrum ſolemnitates a jure requiſitæ in tranſactione adhibitæ fuerint, videlicet cauſſæ cognitio, judicis decretum, propinquorum interventus, & alia, quæ in alienatione bonorum immobilium (2) ad minores pertinentium obſervanda ſunt, cum etiam in tranſactione ſpecies quædam alienationis interveniat (3): tum præcipue inquiri debet, an læſus ex tranſactione minor fuerit, quia ſi læſionis vitio tranſactio non laboret, ſuſtinetur, quamvis ſolemnitates quædam omiſſæ fuerint (4). Quo fundamento definitum fuit ratam eſſe debere tranſactionem initam a pupillo, aſſiſtente matre tutrice, licet non expectato judicis decreto; quia nullum inde pupillo damnum illatum conſtabat (✠5). Immo ſolemnitates tranſactionis etiam per æquipollens ſuppleri poſſe traditum eſt, puta ex eo, quod contractus fiat coram præſide Senatus, re bene examinata; quamvis non ſufficeret ad ſupplendas ſolemnitates, a judice pedaneo tranſactionem probari (✠6). Læſio autem non aliter tranſactioni reſcindendæ favore pupilli locum facit, quam ſi ad ſextam pretii aſcendat (✠7): quæ tamen enormem excedere debet, ſi major tranſactionem irritari poſtulet, ob dubium ſcilicet litis eventum (✠8).

(1) *L. In ſumma* 65. §. 1. *ff. de condict. indebit.* (12. 6.), *L.* 1. *cod. ſi adverſ. tranſaction.* (2. 32.)

(2) *De quibus diximus Juriſpr. Tom. II.* §. 570., *& ſeqq. pag.* 139.

(3) *Cum per eam jus ad rem immobilem, non quidem certum, ſed probabile transferatur.*

(4) *V. ſupra tit. XXIII. de præd., & al. reb. minor. defin. XX.*

(✠5) *Deciſ.* 22. *junii* 1735. *refer. D. Demorra in cauſſa Cotti contra Angleſium*, §. *Fruſtra etiam objiciebatur.*

(✠6) *Deciſ.* 20. *decembris* 1686. *refer. D. Garretti in cauſſa Freſia contra Comit. Maronis Caſtelli*, §. *Ratio igitur decidendi.*

(✠7) *D. Deciſ. refer. D. Demorra*, §. *Ad articulum læſionis.*

(✠8) *D. Deciſ.*, *& d.* §., *Fab. cod. communia utriuſque judic. lib.* 3. *tit.* 27. *def.* 6. *in fine.*

DEFINITIO IV.

Quid ſi tranſactio plura contineat controverſiarum capita?

An autem in tranſactione læſio intervenerit, nec ne, pendet ab ejus indole, videlicet an plura controverſiarum capita contineat, an unicum: ſi de pluribus capitibus tranſactum ſit, intereſt, utrum confuſim de omnibus, an ſigillatim de unoquoque capite actum ſit. Si tranſactio omnia litium capita confuſim reſpiciat, læſio in uno capite non ſufficit ad reſcindendam tranſactio-

Digitized by Google

nem, ſi damnum ex alio compenſetur (✠1): ſi vero ſingillatim de ſingulis litibus tranſactum ſit, reſcindi poteſt unum tranſactionis caput, læſionis vitio laborans, firmis manentibus ceteris ad æquitatem compoſitis (✠2); dummodo neque ex rerum natura, neque ex contrahentium mente invicem ſint connexa: alioquin jure petit alter contrahens, ut, uno reſciſſo capite, cetera quoque corruant, quia de his ſeparatim non fuiſſet tranſacturus; eadem fere ratione, qua, venditione pro parte reſciſſa, licet emtori, qui partem non fuiſſet emturus, a tota venditione diſcedere (3).

(✠1) *Deciſ. 15. martii 1671. refer. D. Garretti in cauſſa Oliverii contra Cameranum, §. Sed dato, quod tranſactio.*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Garretti, & d. §.*

(3) *L. Tutor urgentibus 47. §. 1. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

TITULUS XXXVII.

Si adverſus fidejuſſionem, dotem, jusjurandum, vel locationem reſtitutio petatur.

DEFINITIO I.

Quid ſi filius prohibitus, ne bona ante annum XXV. alienet, pro alio minore fidejubeat?

Filio, qui etiam pro patre fidejuſſerit, niſi ex cauſſa neceſſitatis, vel jure vetere inſpecto, niſi jusjurandum fidejuſſioni adjectum fuerit, ſuccurri per reſtitutionem in integrum, ſuperius diximus (1). Hinc, cum Senatui propoſita fuiſſet quæſtio de minore, qui pro alio minore, adhibito jurejurando, fidejuſſerat, cenſuit Senatus, minorem a ſuſcepta obligatione eximendum non eſſe: tum propter vim jurisjurandi; tum quia privilegio reſtitutionis minor fidejubens uti non poſſet contra alium minorem eodem beneficio utentem (2): quia tamen pater prohibuerat, ne filius intra XXV. annum bona alienaret, placuit, bona a patre ad filium profecta in fidejuſſoriam obligationem non venire (✠3).

(1) *Titul. XXXV. de in integr. reſtit. defin. X., & XI.*

(2) *V. d. titul. XXXV. defin. XIII.*

(✠3) *Deciſ. 11. ſeptembris 1643. ref. D. Barberis in cauſſa Belli contra Rochium, §. Tamen, ſtante, quod agitur.*

DEFINITIO II.

Minor reſtituitur adverſus dotem promiſſam, ſi in ea promiſſione læſum ſe probet.

Quamquam maxima ſunt dotis privilegia, ita ut in dubio pro dotibus reſpondendum eſſe ſcripſerit Jureconſultus (1), & præcipue favore digna eſt mariti conditio, qui alioquin matrimonium non fuiſſet contracturus (2), ſi tamen minor immodicam dotem promiſerit, adverſus hanc promiſſionem reſtitutionis beneficio minor juvandus eſt (✠3); prætor enim auxilium ſuum minoribus generatim, & indiſtincte pollicetur (4): atque ſibi imputare debet maritus, cur, cum minorem ſciret, diligentius ſibi non proſpexerit.

(1) *L. In ambiguis 85. ff. de reg. jur.*

(2) *L. ult. §. 1. in fin. ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8.)

(✠3) *L. unic. cod. ſi adverſ. dot.* (2. 34.), *L. Si ex cauſſa 9. §. 1. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.), *Deciſ. 20. februarii 1679. refer. D. Rufino in cauſſa de Vachieris contra jugal. de Blanchis, §. Attamen, quod minor.*

(4) *L. 1. princip. §. 1., & paſſim ff. hoc tit. de minorib.*

DEFINITIO III.

Mulier ætate minor reſtitui poteſt adverſus dotem promiſſam, vel renunciationem.

Mulier ætate minor, quæ ultra patrimonii ſui vires, vel totum patrimonium circumſcripta, indeque læſa in dotem dederit, ſine dubio reſtituenda eſt (1), quemadmodum in ceteris contractibus reſtitueretur ex generali prætoris edicto (2). Difficilior videri poteſt quæſtio, an reſtitutio in integrum competat filiæ ætate minori, quæ, occaſione matrimonii, paternæ, & maternæ hereditati media dote renunciaverit, prout vulgo fieri ſolet, quæ renunciatio, quamvis civili jure prohibeatur (3), jure tamen canonico (4), & totius Italiæ conſenſu probata eſt (✠5): maxime ſi jusjurandum fuerit adjectum. Jure, quo utimur, ad hoc ut læſa dici nequeat mulier in dote, ſufficit, honeſto viro, & ſecundum conditionem ſuam nupſiſſe. Si autem adhuc non nupſerit, ea quantitas in dotem danda præſcribitur, quæ reſpondeat qualitati, & bonis familiæ, habita præſertim ratione ejus quantitatis, quæ aliis ejuſdem conditionis puellis ſecundum loci morem conſtitui ſolet (6), atque eodem patrio jure renunciationes, quæ fiunt a filiabus, media congrua dote, occaſione matrimonii, vel etiam a perſonis utriuſque ſexus occaſione ingreſſus in religionem, ratæ ſunt, quamvis a minoribus factæ ſint ſine ſolemnibus (7). Cum autem eodem jure filiæ, media congrua dote excludantur a quacumque ſucceſſione, conſequens eſt, nullam ab ipſis allegari poſſe læſionem in hac ſpecie (8), niſi gravior ſit.

(1) *L. Si ex cauſſa 9. §. 1. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.), *L. unic. cod. ſi adverſ. dot.* (2. 34.)

(2) *L. 1. princip. §. 1., & paſſim ff. hoc tit. de minorib.*

(3) *L. Pactum dotali 3. cod. de collat.* (6. 20.).

(4) *Capit. Quamvis 2. extra de pactis in 6.* (1. 18.(

(✠5) *Deciſ. 23. januarii 1737. refer. D. Nomis in cauſſa Equit. de Lucheria contra de Picchis, § Omittebamus.*

(6) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 7. §. 6.*

(7) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 15. §. 1.*

(8) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 7. §. 1. & 2.*

DEFINITIO IV.

Renunciatio, quæ damnoſa non ſit, ſuſtinetur, licet conſuetæ ſolemnitates prætermiſſæ fuerint.

Plane renunciatio non poteſt impugnari eo prætextu, quod præſcriptæ a legibus ſolemnitates adhibitæ non fuerint, ſi nulla læſio probetur (✠1), quemadmodum obtinet in ceteris minorum contractibus, quibus etiam eorumdem res immobiles legitimis omiſſis ſolemnitatibus diſtractæ fuerint, & in tranſactione (2); parum enim curandum eſt de ſolemnitatibus, quæ ad avertendam læſionem inſtitutæ ſunt, cum nulla revera læſio interceſſit (3), atque legum ſententiæ potius inhærendum eſt, quam verbis (4).

(✠1) *Deciſ. 14. aprilis 1734. refer. D. Nomis in cauſſa fratr. de Angleſio contra fratr. Pellion, §. Verumtamen, quum de utilitate.*

(2) *V. ſupra tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. ſine decret. non alienand. defin. XX., & tit. præced. ſi adverſ. vendit. defin. II.*

(3) *Argum. L. Sed ſi pecunia 3. §. 1, & 2. ff. de rebus eor., qui ſub tutela, vel cura ſunt &c.* (27. 9.), *L. Si prædium 16. verſic. Emtor autem cod. de præd., & aliis rebus minor. &c.* (5. 71.)

Digitized by Google

(4) *L. Labeo ait 7. §. Servius 2. in fin. ff. de ſupellectil. legat.* (33. 10.)

DEFINITIO V.

Minor ex læſione immodica reſtituitur adverſus jusjurandum ſive delatum, ſive præſtitum.

Reſtitutionis beneficio juvatur minor contra jusjurandum ſive delatum (1), ſive præſtitum, dummodo immodica, ſeu enormis læſio intervenerit (✠2): ita ſuadente religione jurisjurandi, quæ maxima eſt, nec patitur, ut propter modicam læſionem jurisjurandi vis infringatur (3). Quod ſi agatur de jurejurando adjecto in alienatione ſine ſolemnitatibus a minore celebrata, ex conſtitutione Imperatoris Friderici (4), ſeu potius ex doctorum interpretatione, communiter in foro recepta, jusjurandum ſupplet quidem ſolemnitates a jure præſcriptas; atque efficit, ut minor pro majore habeatur, ſed non impedit reſtitutionis beneficium, ſi non minima læſio intervenerit (5); quia jusjurandum nec ætatis defectum, nec conſilii infirmitatem ſupplere poteſt (6).

(1) *L. Nam poſteaquam 9. §. Si minor 4. ff. de jurejurando* (12. 3.)

(✠2) *Decif. 2. auguſti 1734. ref. D. Demorra in cauſſa de Allardis, & Moccagatta, poſt num. 9.*

(3) *L. 1., & Auth. ſeq. Sacramenta puberum cod. ſi adverſ. vendit.* (2. 26.)

(4) *D. Auth. Sacramenta puberum.*

(✠5) *Fab. cod. hoc tit. lib. 2. tit. 12. def. 1., Decif. 27. februarii 1654. refer. D. Beccaria in cauſſa Cortinæ contra Civit. Caramanoliæ, §. Aut enim monaſterium, d. Decif. refer. D. Demorra, & d. loco, Theſaur. decif. 66. per tot.*

(6) *V. ſupra tit. XXXV. de in integ. reſtitut. defin. X.*

DEFINITIO VI.

An ſextæ augmentum in privatis locationibus admittatur? Res immobiles minorum ad modicum tempus ſine ſolemnibus locari poſſunt.

Minores, atque generatim eos omnes, qui minorum jure utuntur, adverſus locationem ex cauſſa læſionis reſtitui, atque læſos exiſtimari, ſi alter ſexta pretii parte amplius, vel etiam duodecima, dummodo intra triginta a licitatione poſtrema dies offerat, ſuperius diximus (1): ſed hujuſmodi augmentum non admittitur in privatis locationibus, neque ex eo locus ſit reſtitutioni in integrum (✠2); cum de his leges non loquantur (3): res autem minorum, & ſimilium poſſunt ad modicum tempus locari, quin præviæ requirantur ſubhaſtationes (✠4).

(1) *V. tit. XXXVI. ſi adverſ. vendit. defin. I.*

(✠2) *Decif. 19. maii 1655. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Torrini, Sentæ, & Botteri, §. Hinc ſequitur, quod.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 12. §. 7.*

(✠4) *Argum. d. §. 7., d. Decif. ref. D. Dalmazzono, §. Item quod tutor.*

TITULUS XXXVIII.

De reſtitutione minorum adverſus hereditatem aditam, vel repudiatam: eamve cum beneficio inventarii adeundam.

DEFINITIO I.

Minor reſtituitur ex cauſſa læſionis adverſus aditionem hereditatis, & pronunciationem heredis.

Quemadmodum reſtituitur minor adverſus agnitionem legati, ſub aliqua conditione relicti, quæ deinceps damnoſa appareat (1), ita etiam reſtituitur contra aditionem hereditatis, quæ lucroſa ab initio, deinceps noxia videtur, ſive de extranei, ſive de paterna hereditate agatur, poſtquam ſuis etiam heredibus prætor conceſſit abſtinendi facultatem (2); dummodo minor nihil dolo fecerit, percepta reſtituat, niſi forte quid fato perierit (✠3), & hereditas vere ab initio damnoſa fuerit; ſi enim hereditas primum lucroſa fortuito lapſa ſit, denegatur reſtitutio (✠4); minor dici non poteſt ex infirmitate ætatis captus in eo, quod diligenti cuique patrifamilias æque contingere poteſt (5): niſi forte fingatur, minus penſo conſilio adiiſſe hereditatem, in qua eſſent res periculoſæ; quia tunc vere ætatis imbecillitas læſioni cauſſam præbuiſſet (6). Immo ex ſola vexatione creditorum, ob quam ſuſtinere cogatur multas lites, læſus reputatur minor (✠7), atque eadem fere ratione reſtituitur minor contra pronunciationem heredis, ſi hereditas damnoſa ſit, quamvis nullus fuerit adverſarii dolus (8).

(1) *L. Si minor 33. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

(2) *L. 1. cod. hoc tit. ſi minor ab hereditat. ſe abſtin.* (2. 39.), *L. Denique 3. §. Scio 2. ff. hoc tit. de minor.*

(✠3) *L. Quod ſi minor 24. §. Reſtitutio 4. ff. hoc tit. de minorib.*, *Deciſ. 21. junii 1680. refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Cheronis contra Advocatum Fabianum, & alios creditores in princip.*

(✠4) *Deciſ. 23. januarii 1679. refer. D. Garretti in cauſſa Vivaldi contra Gregorium Re, §. Cenſuit tamen Senatus, d. L. Denique 3. §. Scio 2. in fine, L. Verum vel de dolo 11. §. Si locupleti 5. ff. hoc tit. de minorib.*

(5) *D. L. 11. §. Si locupleti 5. ff. hoc tit.*

(6) *D. L. 11. §. 5. in fine.*

(✠7) *L. Quia poterat 4. ff. ad Trebell.* (36. 1.), *Deciſ. 4. junii 1672. refer. D. Rolando inter fratres Pariſios, & creditores hereditatis paternæ, §. Quod attinet ad primum, Deciſ. 25. ſeptembr. 1645. refer. D. Pergamo in cauſſa Luciani contra Monaſterium ſancti Jacobi Civit. Pineroli in princip., & §. ſeq.*

(8) *D. L. 3. §. Scio 2., L. Ait prætor 7. ff. hoc tit. de minorib.*

DEFINITIO II.

An heredes minoris, ſive ſui, ſive extranei adverſus aditam parentis, vel extranei hereditatem ex perſona minoris reſtituantur?

Non tantum minor (defin. præced.), ſed ejuſdem quoque heredes ex minoris perſona petere poſſunt reſtitutionis beneficium ad repudiandam hereditatem a minore aditam, ſi minor ante legitimam completam ætatem deceſſerit (1): niſi forte de hereditate parentis agatur, quæ jure ſuitatis ad filios defer-

tur; in qua heredi minoris, ſive ſuo, ſive extraneo, idem privilegium non competere ex ſententia Sabaudi Senatus tradit Faber (2); quam tamen ſententiam non omnes probant (3), atque Ulpiani auctoritate nituntur (4). Hinc, cum propoſita fuiſſet Senatui ſpecies de patre, qui heredem filium inſtituerat, eumque fideicommiſſo univerſali oneraverat, prohibitis omnibus etiam legitimæ detractionibus: atque filius nondum completa ætate XXV. annorum deceſſiſſet, quin expreſſim immixtionem in minori ætate factam comprobaſſet, Senatus, Regio diplomate fretus, filii fiduciarii heredes reſtituit ad repudiandam hereditatem ex perſona defuncti, acquirendamque legitimam, reddita tamen ratione hereditatis, ac primogenii, non autem legitimæ (✠5).

(1) *V. tit. XXXV. de in integr. reſtit. defin. XII.*

(2) *Fab. cod. hoc tit. ſi min. ab heredit. ſe abſtin. lib. 2. tit. 25. def. 5.*

(3) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 1351., *&* 1352. *pag.* 332.

(4) *Si filius*, ait Jureconſultus, *priuſquam ſciret ſe, neceſſarium extitiſſe patri heredem, deceſſerit, relicto filio neceſſario, permittendum eſt nepoti abſtinere ſe avi hereditate, quia & patri ejus idem tribueretur, L. Si quis filiusfamilias* 7. §. *ult. ff. de acquirend. vel omittend. hereditat.* (29. 2.)

(✠5) *Decif.* 12. *ſeptembris* 1740. *ref. D. Dezoppis in cauſſa fratrum de Gaſpardonis contra PP. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Civit. Caſalis*, §. *Verum enim vero, in fine deciſ.*

DEFINITIO III.

Hereditas damnoſa reputatur, quamvis ſolvendo ſit, ob negotiorum difficultatem, & magnum æris alieni cumulum.

Damnoſa reputatur hereditas, non illa ſolum, quæ tanto ære alieno prægravata eſt, ut facultates hereditariæ ei ſolvendo impares ſint; ſed etiam, quæ tot litibus, vel difficultatibus implicata eſt, ut ſine magno diſpendio, vel ſaltem ſine gravi incommodo explicari nequeat (1); læſus non immerito videtur minor, ob negotiorum difficultatem, creditorum vexationem, offenſam, vel invidiam: tum etiam propter æris alieni cumulum, quamvis ſolvi poſſit (✠2).

(1) *Fab. cod. ſi minor ab hereditate ſe abſtineat lib. 2. tit. 25. def. 3.*

(✠2) *Minoribus viginti quinque annis ſubvenitur per in integrum reſtitutionem non ſolum, eum de bonis eorum aliquid minuitur; ſed etiam eum interſit ipſorum litibus, & ſumptibus non vexari, L. Minoribus 6. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.), *L. Quia poterat 4., L. Sed & ſi alio 9.*, §. *Quod ſi ſuſpectam 2. ff. ad S. C. Trebell.* (36. 1.), *Decif.* 27. *auguſti* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa Gaſtaldi contra prætendentes*, §. *Ceterum Senatus noſter.*

DEFINITIO IV.

Reſtitui ex cauſſa poteſt minor ad adeundam cum beneficio inventarii hereditatem.

Cum autem ſæpe contingat, ut omnimodo damnoſa non appareat adita hereditas, ſed periculum ſit ob æs alienum, quod latere timetur, ne in damno hereat minor, & ſimul lucri ſpes affulgeat, ita ut conſultius ſit, hereditate retenta, eam cum beneficio legis,

& inventarii habere; ſi malit minor, poteſt reſtitutionem obtinere ad conficiendum inventarium, ſeu ad eam cum inventarii beneficio adeundam (1), dummodo aliqualem ſaltem læſionem, vel ejus periculum probet; puta quod hereditas litibus ſit implicata, grandi æri alieno ſubjaceat (✠2); vel creditores inſtent (✠3).

(1) §. *Extranei* 5. *inſtit. de hered. qualit.*, *& differ.* (2. 19.)

(✠2) *D. Deciſ.* 27. *auguſti* 1680. (*definit. præced.*) *refer. D. Torrini*, *& d.* §. *Deciſ.* 23. *junii* 1692. *refer. D. Balegno in cauſſa Joanninæ contra Valpergam*, *& prætendentes*, *in princip.*, *d. L. Sed & ſi alio* 9. §. 2. *ff. ad S. C. Trebell.* (36. 1.)

(✠3) *Deciſ.* 8. *aprilis* 1672. *refer. D. Ocelli in cauſſa Franciſci Antonii Carſini contra ſorores per tot.*, *d. L. Quia poterat* 4. *ff. ad Senat. Conſult. Trebellian.*

DEFINITIO V.

Major quoque reſtitui poteſt ad adeundam cum beneficio inventarii hereditatem, ſi gravem læſionem probet.

Reſtitui utique poteſt a Principe etiam major poſt aditam ſimpliciter hereditatem ad conficiendum inventarium (1): ſed nonniſi ex gravi læſione, cum in minore ſufficiat aliqualis læſio (✠2); vel ex gravi aliqua juſta cauſſa, puta ſi legitime fuerit impeditus, maxime ratione publici officii (✠3); longe favorabilior eſt cauſſa minorum ob conſilii imbecillitatem. Atque reſtituitur minor ad conficiendum inventarium; quamvis hereditati ſe immiſcuerit: modo non ex dolo, ſed ex ſimplicitate, quæ facile præſumitur (✠4). Conceſſa autem ſive majoribus, ſive minoribus a Principe reſtitutione ad conficiendum inventarium, vocandi ſunt omnes, quorum intereſſe poteſt, atque dandus eſt curator abſentibus, ut ii, de quorum re agitur, rationes, ſi quas habeant, allegare poſſint, ex quibus reſtitutio forte ſit deneganda (✠5).

(1) §. *Extranei* 5, *& ſeq. inſt. de hered. qualit.*, *& differ.* (2. 19.)

(✠2) *Dictis* §§. 5., *&* 6., *D. Deciſ.* 23. *junii* 1692. *refer. D. Balegno in cauſſa Joanninæ contra Valpergam*, *& prætendentes*, *in princip.*

(✠3) *Deciſ.* 4. *februarii* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa Duſnaſii contra PP. S. Auguſtini Civit. Albæ*, *& alios litis conſortes*, §. *Primo quia ex actis*; *ubi Duſnaſius ſe impeditum aſſeruit officio ſecretarii Communitatis Caballarii Leonis*, *L.* 1. §. 1., *L. Item hi* 4., *L.* 5., *& paſſim ff. ex quib. cauſſis majores &c.* (4. 6.)

(✠4) *Deciſ.* 9. *junii* 1651. *refer. D. Dalmazzono in cauſſa fratrum Corderiorum contra prætendentes per tot.*; *L. In integrum* 22., *L. Si mulier* 31. *ff. hoc t. de minorib.* (4. 4.)

(✠5) *Novel.* 119. *cap. Ad hæc quoque* 6., *quæ loquitur tantum de minoribus*, *Deciſ.* 23. *junii* 1704. *refer. D. Hondio in cauſſa utrinque Baratta*, §. *Nec obſtare viſum fuit*, *prop. fin. deciſ.*

DEFINITIO VI.

Minor reſtituitur adverſus lapſum temporis conficiendo inventario præſtituti.

Facilius, quàm ad adeundam cum beneficio legis, & inventarii hereditatem, quam pure adierat, reſtitui debet minor, ſi ex culpa tutoris lapſum ſit tempus conficiendo inventario præſtitutum (1); ne tutoris negligentia, vel curatoris minori noceat (2): tutor autem proprio nomine condemnandus eſt, quamvis doli reus non ſit, ut damnum reficiat, quod vel ipſe minor, vel alius ob moram in conficiendo inventario

paſſus eſt (3); ſua cuique mora, vel culpa nocere debet (4): minor autem reſtitui in hoc caſu debet ad conficiendum inventarium; quamvis hereditati interim ſe immiſcuerit, ſi non dolo, ſed ſimplicitate, cui ætatis favore facile paritur, bona hereditaria attigerit (✠5).

(1) *Fab. cod. ſi minor ab heredit. ſe abſtineat lib. 2. tit. 25. def. 1.*

(2) *Fab. cod. in quib. cauſſ. non eſt neceſſ. in integr. reſtit. lib. 2. tit. 26. defin. 2.: quin, etſi proponeretur minor curatorem non habens, reſtitueretur tamen ad conficiendum inventarium, quippe ipſius culpa ex ætatis imbecillitate veniam haberet.*

(3) *Fab. d. defi. 1. num. 5., & ſeqq. in corp.*

(4) *L. Mora* 88. *ff. de verbor. obligationib.* (45. 1.)

(✠5) *Deciſ. 9. junii 1651. refer. D. Dalmazzono in cauſſa fratrum Corderiorum contra prætendentes per tot., L. In integrum 22., & L. Si mulier 31. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

TITULUS XXXIX.

De reſtitutione minorum in judiciis, ſeu adverſus confeſſionem, & rem judicatam.

DEFINITIO I.

Minor, errore probato, & læſione, reſtituitur adverſus propriam confeſſionem in judicio factam. An contra pronunciationem poſitionum?

Reſtituitur minor adverſus propriam confeſſionem in judicio factam, ſi ex ea lædatur, dummodo errorem probet (✠1); etiam in hac ſpecie ætatis imbecillitas veniam meretur, quemadmodum in ceteris (2). Si autem tutor pupilli nomine jusjurandum adverſæ parti detulerit defectu probationum, prout poteſt (3), reſtitui poteſt minor adverſus oblationem hanc, ſi tutori aliqua negligentia poſſit imputari (4): ſed ſi prudenter ſe geſſerit tutor, diſcuſſis omnibus juribus, & perquiſitis ſcripturis, reſtitutio minori denegatur, quamvis poſtea inveniantur ſcripturæ, vel teſtes aliud probantes (✠5), quia & ita contingere potuiſſet majori: adeoque læſus dici non poteſt minor ex infirmitate ætatis, quæ tamen conditio ad obtinendam reſtitutionem omnino neceſſaria eſt (6). Difficilior eſt quæſtio, an minor reſtituendus ſit adverſus pronunciationem poſitionum a ſtatuto inductam, ſcilicet cujus vi poſitiones habentur ipſo jure pro confeſſis, ſi intra præſcriptum tempus illis reſponſum non fuerit (7): verum, cum pronunciatio hæc ipſo jure ex vi ſtatuti inducatur, reſtitutio videtur deneganda, niſi juſta aliqua cauſſa excuſet (✠8); maxime quia ſalvum eſt jus probandi contrarium (9).

(✠1) *L. Certum confeſſus* 6. §. *In pupillo* 5. *ff. de confeſſis* (42. 2.), *Loquimur de minore, pupilli enim confeſſio non interveniente tutoris auctoritate, nulla eſt, ut ait Ulpianus in d.* §. 5., *adeoque reſtitutionis beneficio opus non eſt, ut eadem irritetur. Deciſ. 9. junii 1673. refer. D. de Balbis in cauſſa Molettæ contra Zuecam, §. Ideoque ſuperabundabat.*

(2) *L. 1. princip.* §. 1, *& paſſim ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

(3) *L. Jusjurandum* 17. §. *Si tutor* 2.. *L. Tutor pupillo* 35. *ff. de jurejurando* (12. 2.)

(4) *Theſaur. dec.* 240. *num.* 3. ✠

(✠5) *Theſaur. deciſ. 9. num. 4.* ✠, *Deciſ. 30. aprilis 1642. refer. D. Pio in cauſſa Cinzanotti contra de Vallettis, §. Secundo vero contracta.*

Digitized by Google

(6) *L. Verum* 11. §. *Si locupleti* 5. *ff. hoc tit. de minorib.*

(7) *Reg. conſtit. lib.* 3. *tit.* 15. §. 5.

(✠8) *Oſaſc. deciſ.* 87. *num. ult.*, *Sola de poſitionib. gloſ.* 4. *pag.* 369., *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1662. *refer. D. de Mazzettis in cauſſa Gothifredi contra Avogadrum*, §. *Et quoad primam*, *junct.* §. *Cum igitur*.

(9) *Reg. conſtit. d.* §. 5.

DEFINITIO II.

Minores reſtitui poſſunt adverſus ſententias etiam prolatas a judicibus præfecti prætorii auctoritate præditis.

Reſtitutio in integrum conceditur minoribus adverſus ſententias, quibus læſi fuerint (✠1), ſive a judicibus inferioribus, ſive a ſupremis magiſtratibus fuerint prolatæ, a quibus appellare non licet; etenim appellatio iniquitatis arguere videtur ſententiam, reſtitutio vero in integrum propriæ imbecillitati, aut adverſarii dolo nititur (2). Immo & contra ſententiam delegati Principis, vel ab ipſo Principe prolatam reſtituitur minor (3): difficilius tamen, cum Principis oraculo res fuit definita (4). Sed hæc obtinent, cum ſententia contra ipſum minorem lata fuit: non tamen minor reſtituitur adverſus ſententiam latam contra defunctum, cui ſucceſſit (✠5): cum enim majorem defunctum tamquam heres repræſentet, ejus jure uti debet: nec poteſt res a defuncto finita iterum in diſceptationem revocari, ut loquuntur Imperatores (6).

(✠1) *L. ult. cod. hoc tit. ſi adverſus rem judicat.* (2. 27.), *Deciſ.* 25. *ſeptembris* 1645. *ref. D. Pio in cauſſa Delia contra PP. S. Dominici*, §. *Quia*, *licet minor.*

(2) *L. Præfecti* 17. *ff. hoc tit. de minor.* (4. 4.)

(3) *L. Minor autem* 18. §. *Sed etſi* 4. *ff. hoc tit. de minorib.*

(4) *D. L.* 18. §. 1. *ff. hoc tit. de minoribus*.

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Pio*, §. *Immo ſententiam*.

(6) *L. Polla quidem* 2. *cod. de his, quibus, ut indign.* (6. 35.)

DEFINITIO III.

An minores reſtituantur adverſus tres ſententias conformes? Princeps ex juſta cauſſa reſtituere poteſt adverſus tres ſententias conformes.

Tanti viſus eſt ætatis favor, ut etiam contra res bis judicatas reſtitutionem concedendam Imperatores tradiderint (1). An vero reſtitui minor poſſit contra tres ſententias conformes, diſſentiunt interpretes. Negant aliqui, affirmant alii; nemo ſane dubitat, quominus præſumtio ſit contra minorem, qui a tribus diverſis judicibus condemnatus eſt, adeoque vix reſtitutionem mereatur: ſi tamen Principi juſta reſtitutionis concedendæ cauſſa videatur, nihil proponi poteſt, cur reſtitutionem nequeat indulgere præ ſuprema, qua pollet, auctoritate (✠2): reſtitutio autem in hoc caſu denegata (3) de majoribus intelligenda eſt, non de minoribus, quorum præcipuus eſt favor (4).

(1) *L. Minor autem* 18. §. 1. *ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

(✠2) *Deciſ.* 1. *decembris* 1649. *refer. D. Filippa in cauſſa Loberiæ contra Vicendettum prop. fin.*

(3) *Reg. conſtit. lib.* 3. *tit.* 27. §. 1.

(4) *V. Theſaur. deciſ.* 122. *in additionib.*

Digitized by Google

DEFINITIO IV.

Sententia per reſtitutionem in integrum irrita facta, tum minor, tum adverſarius minoris jura ſua recipit.

Cum reſtitutionis indoles ea ſit, ut omnia in priſtinum reducat, perinde ac ſi nihil geſtum eſſet (1), conſequens eſt, irrita facta reſtitutionis remedio ſententia, tum minorem jura ſua recipere, tum etiam adverſarium, qui cum eo contendit (✠2): niſi forte reſtitutio tantum impetrata fuerit ſuper uno ſententiæ capite, quo caſu non prodeſt adverſario in capite ſeparato (3); ad quod reſtitutio non extenditur.

(1) *L. unic. princip., & ſeqq. cod. de reputat., quæ fiunt in judic. in integr. reſtitut.* (2. 48.)

(✠2) *Abecceleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 54. *num. ult.* ✠, *Deciſ.* 20. *decembris* 1649. *refer. D. Vercelli in cauſſa ſoror. de Iſnardis contra fratrem, & filium de Laſcaris*, §. *Ulterius non poteſt affirmari, prope finem deciſ.*

(3) *Abecceleſ. d. num. ult.*

DEFINITIO V.

Sententiæ executio an impediatur, reſtitutione in integrum implorata?

Quamquam omnia in ſuô ſtatu, reſtitutione poſtulata, eſſe debere, donec ex cauſſæ congnitione ſtatui potuerit, indulgenda ne, an deneganda ſit reſtitutio, reſcriptum eſt (1); quia tamen judiciale decretum magnam pro ſe habet æquitatis præſumptionem, idcirco diſtinguere ſolent pragmatici, cum quæritur, an, reſtitutione implorata, ſententiæ executio differri debeat, utrum læſio incontinenti probari poſſit, nec ne: ita ut in prima ſpecie abſtinendum ſit ab executione ſententiæ ab inferioribus judicibus prolatæ, non in altera (✠2). Executio autem ſententiarum Principis, vel Senatus, qui invicem æquiparantur (3), differri non debet, niſi jura ita clara ſint, ut in promptu conſtet de juſtitia petentis reſtitutionem (4): prout etiam obſervari debet, quoties Princeps reſtituit contra ſententiam, quatenus foveat jus in meritis (✠5).

(1) *L. unica cod. in integr. reſtit. poſtul.* (2. 50.)

(✠2) *Sola de modo, & forma ſupplic. a ſentent. Senat. gloſ.* 2. *num.* 35., & *ult. pag. mihi* 549., *Deciſ.* 19. *junii* 1669. *refer. D. Viliono in cauſſa Marchion. de Bonnierre contra Comit. Viliani in princip., &* §. *Fallit etiam: in qua etiam traditur, implorata reſtitutione non impediri executionem ſententiæ, cujus executio jam cœpta fuerit, media tamen cautione de reſtituendo.*

(3) *Sola d. num.* 35, & *ult.*

(4) *Sola d. num.* 35.

(✠5) *Theſaur. deciſ.* 181. *num.* 3., *Deciſ.* 15. *februarii* 1644. *refer. D. Barberis in cauſſa Archerii contra Portium per tot.*

DEFINITIO VI.

Reſtitutio adverſus ſententiam excludit neceſſitatem reviſionis, ſeu civilis ſupplicationis.

Beneficium minoribus competens reſtitutionis in integrum excludit neceſſitatem civilis ſupplicationis, ſeu reviſionis a ſententia ſenatus (✠1); quia per reſtitutionem a Principe conceſſam perit vis ſententiæ (2).

(✠1) *Deciſ.* 11. *ſeptembris*, 1734. *refer. D. Demorra in cauſſa Concurſ. Joſephi Braja num.* 2, §. *Neque huic dotis petitioni.*

(2) *L. ult. cod. hoc tit. ſi adverſus rem judicat.* (2. 27.), *L. Minor au-*

Digitized by Google

rum 18. §. 1., & 4. ff. hoc tit. de minorib. (4. 4.)

TITULUS XL.

De reſtitutione minorum adverſus uſucapionem.

DEFINITIO I.

Præſcriptio ordinaria non currit contra pupillos, aut minores: contra hos vero currit præſcriptio longiſſimi temporis, ſed reſtitui poſſunt.

Poſtquam Juſtinianus diſcrimen ſuſtulit inter uſucapionem, & præſcriptionem; ſeu, abrogata uſucapione, ſolam retinuit præſcriptionem (1), ordinaria præſcriptio, ſeu decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes non currit, neque contra pupillos, neque contra minores (2): proinde neceſſarium in hac præſcriptione non eſt reſtitutionis beneficium (✠3): quo tamen indigent minores in præſcriptione longiſſimi temporis, non autem pupilli (✠4). Ab hac regula noviſſimis ſuis conſtitutionibus duos caſus excepit Juſtinianus, quibus præſcriptio etiam modici temporis, tum contra minores, tum contra pupillos vires habeat. Primus pertinet ad ſpatium decem dierum, unicuique conceſſum ad appellandum (5); reſtitutio tamen etiam locum habere poteſt, ſi læſio proponatur (6); alter reſpicit tempus viris conceſſum, quibus promiſſa, nec tamen ſoluta dos fuit, ut actionem non numeratæ dotis inſtituant (7).

(1) *L. unic. cod. de uſucap. transform.* (7. 31.)

(2) *L. ult. cod. in quibus cauſſ. in integ. reſtit. neceſſaria non eſt* (2. 41.)

(✠3) *Deciſ. 8. octobris 1662. refer. D. Sandiliano in cauſſa ſororum de Carenis contra Barilottum in fine, Deciſ. 29. junii 1731. refer. D. Laurenti in cauſſa Leonardi contra Quarellum in fin.*

(✠4) *Deciſ. 14. novembris 1672. refer. D. Balegno in cauſſa Annibalis de Martinis contra fratrem, §. Obſtabat tandem, Fab. cod. ſi adverſ. uſucap. lib. 2. tit. 23. def. 2.*

(5) *Novel. 23. princ., & cap. 1.*

(6) *V. Juriſprud. Tom. II. §. 1499. pag. 373.*

(7) *Novel. 100. cap. Generaliter 2. princ., & §. 1.*

TITULUS XLI.

De temporibus in integrum reſtitutionis.

DEFINITIO I.

Quadriennium petendæ reſtitutioni præfinitum utile eſt ab initio, ideſt incipit tantum ab eo die, quo ſcientia vitii haberi cœpit.

Quadriennium a Juſtiniano conceſſum ad petendam reſtitutionem in integrum (1) ex ejuſdem ſententia continuum ex poſt facto eſſe, ideſt currere, quamvis poſtea ſupervenerit ignorantia; ita ut defuncto eo, qui ſcire cœperat, non ideo interrumpi exiſtimetur ſcientia in herede, qui ex propria perſona ignoret, conſentiunt omnes (2): æque nocere debet heredi ſcientia defuncti (3), ac prodeſt ignorantia; cum æquum ſit, ut ille, qui commoda defuncti habet, onera quoque, & incommoda ferat (4). Sed non conveniunt interpretes, utrum ab initio quadriennium hoc continuum ſit, in ea nimirum ſpecie, qua ſcientia læſionis poſtea ſupervenerit. Quidam affirmant moti auctoritate Juſtiniani,

Digitized by Google

qui exceptionem præfinitæ regulæ adjiciens caſus quidem commemorat, quibus legitimum allegetur impedimentum, ne agi potuerit (5); ignorantiæ vero non meminit. Verum contra ſententium opinio æquitati magis conſentanea eſt, nec legum præſidio deſtituitur; nam Juſtinianus profitetur, ſe quadriennium concedere ad exemplum utilis anni, quod anteriore jure competebat, ita ut eodem die currere incipiat, quo currebat annus utilis (6). Probabilius autem defenditur, annum utilem non niſi a die ſcientiæ olim cœpiſſe, exemplo centum dierum, quos prætor conceſſit ad bonorum poſſeſſionem amplectendam (7): tum quia ita innuere videtur ipſa utilis anni vox: tum quia non ſatis proſpectum fuiſſet olim minorum indemnitati, ſi, ſecluſa ſcientia læſionis, annus ille utilis lapſus fuiſſet. Jure ergo ſententiam hanc amplexi ſunt Pedemontanus (✠8), & Sabaudus Senatus (9).

(1) *L. ult. cod. hoc tit. de temporib. in integ. reſtit.* (2. 53.)

(2) *Fab. cod. de temporib. in integr. reſtitution. lib. 2. tit. 35. def. 3.*

(3) *L. Sequitur 4. §. Heres, qui 15. ff. de uſurpat., & uſucap.* (41. 3.), *L. Cum heres 11. ff. de diverſ., & temporalib. præſcriptionib.* (44. 3.), *L. ult. cod communia de uſucapionib.* (7. 30.)

(4) *L. Heredem 59. ff. de reg. jur., L. Nihil aliud 4. ff. de verbor. ſignificat.*

(5) *D. L. ult. §. 1. cod. hoc tit. de temporib. in integr. reſtitut.*

(6) *Quadriennium continuum tantummodo numerari ex die, ex quo annus utilis currebat, d. L. ult. cod. hoc tit.*

(7) *Si bonorum poſſeſſio tibi dumtaxat competit proximitatis nomine, habuiſti ſpatium centum dierum utilium, ex quo eum defunctum ſciſti, ad bonorum poſſeſſionem amplectendam, L. Si bonorum 2. cod. qui admit. ad bon. poſſeſſ. poſſunt, & intra quod tempus* (6. 9.)

(✠8) *Theſaur. deciſ. 133. num. 4. ✠, Deciſ. 23. junii 1692. refer. D. Balelegno in cauſſa Comitiſſæ Joanninæ contra Valpergam, & prætendentes, § Neque etiam obſtat, Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Piſcina in cauſſa Nicolis contra Religionem Hyeroſolimitarum, §. Et quatenus eſſent.*

(9) *Fab. cod. hoc tit. de temporib. in integ. reſtit. lib. 2. tit. 35. def. 3.*

DEFINITIO II.

Læſionis ſcientia non præſumitur, nec in herede, qui fateatur, hereditatem magno ære alieno gravatam eſſe; vel qui a creditoribus vexetur.

Cum rerum, quæ facti ſunt, ignorantia præſumatur (1), conſequens eſt, ſcientiam læſionis ab allegante probandam eſſe, contra quem militat contraria præſumtio (2). Quia tamen difficilis eſt probatio facti alieni, potiſſimum quod per ſe in animo latet, indicia, & conjecturæ admittuntur (3). Non tamen læſionis ſcientia demonſtratur ex eo, quod heres, reſtitui poſtulans ad conficiendum inventarium, publico etiam inſtrumento fateatur, hereditatem magno ære alieno gravatam eſſe; quia adhuc fieri poteſt, ut ex bonis hereditariis illud diſſolvatur (✠4); neque ex eo, quod heres a creditoribus fuerit moleſtatus, cum poſſit vexatus ope exceptionis ſe tueri. Immo, etiamſi plures contra heredem ſententiæ prolatæ fuerint, ſcientia læſionis omnino non præſumitur, niſi a poſtrema (✠5), ſi ex hac tantum læſio oriatur.

(1) *L. Regula eſt 9. ff. de jur., & fact. ignor.* (22. 6.)

(2) *L. Ab ea parte 5, & L. ſeq., L. Quoties operæ 18. princip., & §. 1. ff. de probationib.* (22. 3.)

(3) *L. Non omnes 5. §. A barbaris 6. ff. de re militar.* (49. 16.)

Digitized by Google

(✠4) *Deciſ. 23. junii 1692. refer. D. Balegno in cauſſa Comitiſſæ Joanninæ contra Valpergam, & prætendentes, prope fin. §. Data igitur ignorantia.*

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Balegno, & d. §., Non enim læſio cognita diei poteſt, quamdiu non præceſſit cauſſa, quæ læſionem inducat.*

DEFINITIO III.

An reſtitutio ex capite ignorantiæ concedatur minoribus poſt triginta, vel quadraginta annos.

An reſtitutio ex capite ignorantiæ poſt lapſum XXX., vel XL. annorum minoribus concedenda ſit, non omnes idem ſentiunt: affirmant aliqui (✠1): negant alii tum ex auctoritate Juſtiniani ſancientis, actiones omnes præſcriptione longiſſimi temporis extingui (2); tum ex publicæ utilitatis cauſſa, quæ non patitur, ut dominia tamdiu in incerto ſint: atque ſententiam hanc, Theſauro teſte, rebus omnibus mature penſatis, amplexus eſt Senatus noſter, ita ut nec poſt quadraginta, nec poſt triginta annos reſtitutio ex capite ignorantiæ concedatur: anni autem non a die adeptæ legitimæ ætatis, ſed a completo quadriennio computantur (3). Quamquam vero perpetua non eſt ex capite juſtæ ignorantiæ facultas implorandæ in integrum reſtitutionis, perdurare tamen poteſt tranſacto quadriennio juxta quorumdam ſententiam in pluribus caſibus: veluti ſi fraus manifeſte probetur interveniſſe: ſi reſtitutio petatur contra ſententiam notorie injuſtam, vel adverſus actum cum gravamine quotidiano inferente præjudicium animabus: ſi allegetur enormiſſima læſio; quia in hiſce caſibus æquitas ſuadere videatur, ut odio alterius contrahentis longius temporis ſpatium, non tamen ultra triginta annos, concedatur petendæ reſtitutioni (✠4).

(✠1) *V. Deciſ. 3. junii 1692. refer. D. Balegno in cauſſa Comitiſſæ Joanninæ &c. prope fin. §. Neque etiam obſtitit, ubi hæc ſententia traditur, obiter tamen, nec neceſſario ad rem.*

(2) *L. Sicut in rem 3., & ſeqq. cod. de præſcript. XXX., vel XL. annor.* (7. 39.)

(3) *Theſaur. deciſ. 133. num. ult.* ✠, *& in addit. litera A.*

(✠4) *Ita diſputando refert more ſuo Dom. Torrini in Deciſ. 29. novembris 1683. in cauſſa Comit. Olianici contra Communit. Sanfrè, §. Fallit hæc traditio, argum. cap. 1. extra de reſtit. in integr. in 6.* (1. 21.)

DEFINITIO IV.

Major heres minoris in petenda reſtitutione idem tempus habet, quod defunctus habuiſſet.

Si major ſucceſſerit ei, qui in minore ætate læſus fuit, ſed major factus ſupremum diem obiit, idem habet heres reliquum temporis ſpatium, quod defuncto ſupererat (1): cum heres nullum jus habeat, niſi quod a defuncto conſecutus eſt, in eadem conditione eſſe debet, qua defunctus fuiſſet, ſi ſupervixiſſet (2), eodemque jure uti.

(✠1) *L. Interdum tamen 19. ff. hoc tit. de minorib.* (4. 24.), *L. Ea, quæ 5. §. Quod ſi majoris eod. hoc tit. de temporib. in integr. reſtitut.* (2. 53.). *Leges hæ de minore quidem loquuntur, ſed nemo inficiabitur, quin potiori ratione aptandæ ſint majoribus, quibus leges minus favent, Deciſ. 15. ſeptembris 1659. ref. D. Bellino in cauſſa Bruſentis, & Panealis in fin.*

(2) *Argum. L. Non ſolum 6. ff. de in integr. reſtit.* (4. 1.), *L. Denique 3. §. Pomponius 9., L. Minor autem 18. §. ult. ff. hoc tit. de minorib.*

Digitized by Google

TITULUS XLII.

De reſtitutionis effectibus, ſeu de reputationibus, quæ fiunt in judicio in integrum reſtitutionis.

DEFINITIO I.

Reſtitutio minori conceſſa in re individua prodeſt majori. Quid de venditione?

Reſtitutio minori conceſſa in re individua prodeſt majori, qui rem individuam cum majore habuit (✠1): puta ſi vendita ſit ſervitus, & conſtituta in fundo communi, minore contra hujuſmodi venditionem reſtituto, tota ſervitus corruit, etiam ex parte majoris; cum enim hæc per partes ſubſiſtere nequeat (2), revocata ex parte minoris, conſequens eſt, ex parte etiam majoris retractari: atque ita ſit, ut ſocius ex perſona alterius lucrum ſentiat; quemadmodum uſucapio, quæ contra pupillum vires non habet, neque nocet majori fundum cum pupillo communem habenti (3). Idem dicendum de venditione rei, quæ communis ſit majori, & minori: contractus ex parte majoris tenet, quamvis per reſtitutionem ex parte minoris reſcindatur: niſi res individua vendita fuerit, vel minor non poſſit commode indemnitatem obtinere, niſi totus irritetur contractus (✠4): ſi tamen emtor malit, a toto contractu diſcedere, permittendum eſt, quia, ut ſcite animadvertit jureconſultus, partem emturus forte non fuiſſet (✠5).

(✠1) *Decis. 4. junii 1671. refer. D. Rolando inter fratr. Pariſios, & creditores paternæ hereditatis, §. Quod autem reſtitutio.*

(2) *L. Una eſt via 18. ff. de ſervitut. præd. ruſtic.* (8. 3.)

(3) *L. Si communem 10. ff. quemadm. ſervit. amitt.* (8. 6.)

(✠4) *Deciſ. 1. junii 1643. refer. D. Barberis in cauſſa de Tadais contra Taſſonos, & Simonum in fin. princip.*

(5) *L. Tutor urgentibus 47 ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

TITULUS XLIII.

In quibus cauſſis reſtitutio in integrum neceſſaria non eſt, vel minoribus denegatur.

DEFINITIO I.

An reſtitutio denegetur, ſi jusjurandum contractui adjectum fuerit?

Reſtitutio ex juris Romani ſanctione denegatur minori, qui contractum jurejurando confirmaverit (✠1): tanta apud Romanos, licet veræ religionis lumine deſtitutos, fuit religio jurisjurandi, ne perfidiæ, aut perjurii fautores viderentur (2). Atque hæc juriſprudentia a poſterioribus Chriſtianis Imperatoribus probata fuit, niſi per vim, aut metum extortum probaretur jusjurandum (3): ſed hodie apud omnes fere nationes exolevit, quemadmodum teſtantur ſcriptores diverſarum gentium, quorum nomina poſt alios refert Voet (4); nec immerito; eadem enim facilitate jurant minores, qua contrahunt. Quod ſi legiſlator jusjurandum contractui adjici omnino prohibuerit; utpote illicitum, nullas vires habet (5). Cum ergo regiis ſanctionibus apud nos latis non tantum prohibeatur, ne contractus jurejurando firmetur, ſed nullus ipſo jure dicatur, tamquam doloſus, & iniquis artibus extortus quicumque contra-

ctus, cui adjectum fuerit jusjurandum, nulla facta diſtinctione minores inter, & majores (6), conſequens eſt, contractum ita a minore celebratum viribus carere, ut inutilis ſit in integrum reſtitutio (7).

(✠1) *Decif. 22. maii 1655. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Capræ, & Regis in princip., L. 1. cod. ſi adverſ. vendition.* (2. 28.)

(2) *D. L. 1. in fin. cod. ſi adverſ. vendit.*

(3) *Auth. Sacramenta puberum cod. eod. tit.*

(4) *Voet in pandect. hoc tit. de minor. lib. 4. tit. 4. num.* 48.

(5) *Cap. Inter cetera* 22. *cauſſa* 22. *quæſt.* 4.

(6) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 13, & 14.

(7) *L. Non dubium* 5. *cod. de legib.* (1. 14.), *Novel.* 51. *in præfat.*

DEFINITIO II.

Reſtitutio denegatur minori, qui dolo ſe majorem affirmaverit: niſi alter contrahens minoris ætatis conſcius ſit.

A beneficio reſtitutionis excluditur minor, qui temere, & per mendacium ſe majorem aſſeruerit apud eum, quo cum contracturus erat (✠1); leges enim minoribus quidem ſubveniunt, qui damnum patiuntur ex ætatis imbecillitate, non autem iis, qui alios decipere ſtudent (2). Atque juriſprudentia hæc potiori ratione viget, ſi in conſequentiam hujuſmodi falſæ aſſeverationis major a judice pronunciatus fuerit ille, qui adhuc in minori ætate erat conſtitutus (3); quippe magis eluceret bona alterius contrahentis fides. Si autem alter contrahens ætatis minoris conſcius fuerit; mendaci minori in integrum reſtitutio adhuc videtur indulgenda (✠4): tum quia contrahens major deceptus minoris mendacio dici non poteſt, qui potius ſe ipſum fefellit (5): tum quia doli invicem compenſatione facta (6), res dijudicanda eſt ſecundum communes juris regulas; perinde ac ſi ex neutrius parte dolus interceſſiſſet.

(✠1) *Decif. 1. martii 1655. ref. D. Bellino in cauſſa Payni contra Culieranum per tot., L. Si is, qui 2. cod. ſi min. ſe major. dixerit* (2. 43.)

(2) *D. L. 2. cod. ſi minor. &c., Fab. eod. de filiofamil. min. lib. 2. tit. 14. def. 3. num. 4. in corp.*

(3) *L. Si minor* 32. *ff. hoc tit. de minorib.* (4. 4.)

(✠4) *D. Decif. 1. martii 1655. refer. D. Bellino in cauſſa Payni contra Culieranum per tot.*

(5) *Argum. L. Nam ſi actor 26. ff. de rei vindicatione* (6. 1.)

(6) *L. ult. §. Si & ſtipulator 3. ff. de eo, per quem factum erit, quomin. quis in judicio ſiſtat* (2. 10.)

DEFINITIO III.

Ratihabitio contractus perperam geſti reſtitutionis beneficium excludit.

Ratihabitio a beneficio reſtitutionis excludit (✠1); nam renunciare beneficio huic judicatur, qui ratum habet, & probat contractum, cujus reſciſſionem petere poſſet. Quæ autem conditiones in ratihabitione deſiderentur, ſuperius explicavimus (2).

(✠1) *L. 1, & 2. cod. ſi maj. fact. rat. habuer.* (2. 46.), *Decif. 22. maii 1655. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Capræ, & Regis, §. Sine jure agebat.*

(2) *V. Tit. XXV. Si major. fact. alien. &c. defin. I, & II, tum Juriſpr. Tom. II. §. 694, & ſeqq. pag. 166.*

Digitized by Google

CODICIS LIBER SECUNDUS

TITULUS I.

De rerum diviſione.

DEFINITIO I.

Res ſacræ vendi nequeunt. Quid de jure patronatus, ſepulchrorum, & ſimilibus?

Res ſacræ, videlicet quæ Deo, ſeu ejus cultui per legitimos miniſtros rite, & ſolemniter conſecratæ ſunt, puta ædes ſacræ, & res mobiles, quæ ad divini cultus ſplendorem pertinent (1), apud ethnicos ipſos Romanos hominum communione exemtæ habebantur, adeoque pretio neutiquam æſtimandæ (2): ex quo ſponte ſequebatur, eas nec vendi, nec alienari ullo modo poſſe. Deinde Juſtinianus conceſſit, ut res ſacras vendere liceret, vel oppignorare in quibuſdam caſibus pietatis cauſſa: veluti ad redimendos captivos, atque ut miſerabilium perſonarum neceſſitatibus ſubveniatur; rationem adjiciens, animas hominum quibuſcumque vaſis, vel veſtimentis pretioſiores eſſe (3). Immo nihil vetat, quominus res ſacræ tamquam rei profanæ acceſſiones, ita dixerim, diſtrahantur, ſeu potius cum re profana vendita tranſeant: non ita quidem, ut proprietas earum habeatur, ſed ut uſus, qui prius venditoris fuerat, fiat emtoris (4): atque hoc religioſis quoque locis convenit (5). Hinc jus patronatus ſimplici quidem, & gratuita donatione transferri in alium poteſt (✠6): non autem accepto pretio (✠7); quia res eſt ſpirituali annexa, quæ in commercium non cadit. Sed cum univerſitate jurium cedi medio pretio poteſt citra ſimoniæ labem, atque ſub univerſitate bonorum comprehenſum intelligitur (✠8); non ſecus ac ſub fideicommiſſo univerſali (✠9); in his enim ſpeciebus acceſſionis vice fungens jus patronatus nullo pretio æſtimatur. Atque eadem ratio eſt ſepulcrorum, ſedilium, ac ſacellorum, quæ juri patronatus annexa ſint; hæc enim quoque tranſeunt cum univerſitate bonorum, & ad familiæ agnatos pertinent (✠10). Jus autem habendi ſedem in eccleſia, vel præminentia ſedis recte alienatur; quia nec res ſpiritualis eſt, nec ſpirituali annexa niſi remote. Atque quæſtionem hanc ad judicem laicum pertinere traditur (✠11).

(1) §. *Sacræ res* 8. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(2) *Res ſacra non recipit æſtimationem, L. Sacra loca* 9. §. *ult. ff. hoc tit. de diviſion. rer., & qualitat.* (1. 8.)

Digitized by Google

(3) *L. Sancimus nemini 21. cod. de ſacroſ. Eccleſ.* (1. 2.)

(4) *L. Hanc legem 22. cum 2. ſeqq. ff. de contrah. emt.* (18. 1.)

(5) *D. L. 22. ff. de contr. emt.*

(✠6) *Cap. ex inſinuatione 14. extra de jure patronat.* (3. 38.), *Deciſ. 13. aprilis 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Moroni contra Alibertum, in princip.*

(✠7) *Cap. De jure 16. extra d. tit. de jure patronat., D. Deciſ. ref. D. Appiano, in princip.*

(✠8) *Fab. cod. famil. erciſcund. lib. 3. tit. 25. defin. 10., Deciſ. 9. junii 1736. refer. D. Provana in cauſſa Comit. Scipionis a ſancto Martino Provana contra Scaliam uxorem Comit. Enrici a ſancto Martino a Turre, §. Sed cum Dominus Carolus, Deciſ. 31. maii 1734. refer. D. Cavalli in cauſſa juris patronatus inter Valle, & alios num. 23.*

(✠9) *D. Deciſ. refer. D. Provana, §. Et primo loco, cap. Ex literis 7. extra de jure patronat.*

(✠10) *L. Quædam 62. ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1.), *Deciſ. 24. martii 1734. refer. D. Caſſotti in cauſſa ſeparationis bonorum Comit. Bertoni de Balbis, §. Jus quoque patronatus, poſt num. 38.*

(✠11) *Deciſ. 8. februarii 1683. refer. D. Rolando in cauſſa Tempiæ contra Ravettam, per tot.*

DEFINITIO II.

Flumina, portus, viæ publicæ regaliis accenſentur. Flumen inter duo dominia decurrens commune cenſetur.

Poſtquam Fridericus decrevit, ut flumina navigabilia, & ex quibus navigabilia fiunt, portus, viæ publicæ, & ſimilia ad Imperatorem pertineant (1), omnia hæc in Principis dominio cenſeri, ubique receptum eſt (✠2), non tantum quoad proprietatem, ſed etiam quoad uſum; qui tamen poteſt jus hoc in vaſſallos, quibus libuerit, transferre. Quod ſi flumen inter duo dominia decurrat, commune præſumitur; niſi alter forte ſit in poſſeſſione totius fluminis (✠3).

(1) *Lib. 2. feudor. tit. 56. Quæ ſint regaliæ.*

(✠2) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 7. §. 1. Lex autem hæc vetus jus declarat, non novum induxit, ut conſtat ex ejuſdem verbis*: Dichiariamo tutti i fiumi, e torrenti de' noſtri Stati eſſere regali, e per conſeguenza del noſtro Demanio. *V. Deciſ. 12. decembris 1741. refer. D. Bonaudo in cauſſa Marchion. Ferrerii contra Communit. Caruei.*

(✠3) *Argum. §. Si Titius 21. in fin. inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.), *Deciſ. 13. ſeptembris 1741. refer. D. Enrico in cauſſa Civit. Clavaſci contra Communit. Caſtagnetti, §. Quo vero ad præſumtionem, prope fin. deciſ.*

DEFINITIO III.

In publicis fluminibus, vel ripis, nihil fieri poteſt, Principe non permittente, quo aliter aqua fluat. Quid de molendinis? Quid ſi duobus jus molendini Princeps conceſſerit?

Hinc ſequitur, in fluminibus, vel ripis nihil fieri poſſe, quo aliter aqua fluat (1): adeoque nec aggeres ſtruere etiam pro tuendo proprio prædio, ſi hinc immutetur curſus fluminis in præjudicium vicinorum (2): & quæ facta forte ſint, veluti perperam attentata, publica auctoritate deſtrui debent (✠3), ut ita legum contemtus coerceatur. Cum autem per molendinorum ædificationem plerumque iter navibus deterius fiat, vel aliter incipiat aqua fluere, conſequens eſt, molendina non poſſe conſtrui in flumine, nec earum molas circumduci per aquas publicas ſine Principis licentia (✠4). Quod ſi fingamus,

duobus idem jus a Principe conceſſum fuiſſe conſtruendi molendini, atque eum, qui poſterius reſcriptum obtinuit, velle molendinum inferius conſtruere, impediri poterit, ſi ex reſtagnatione aquæ futurum ſit, ut ſuperius molendinum perinde exerceri nequeat (5); quia Princeps jus alteri conceſſum, & quæſitum adimere velle non præſumitur (6).

(1) *L.* 1. *princip. ff. ne quid in flum. publ.* (43. 13.)

(2) *D. L.* 1. §. *Sed & ſi* 7.

(✠3) *Deciſ.* 16. *februarii* 1655. *refer. D. Filippa in cauſſa Præſid. Pellegrini, Mattei, & particularium Cunei in fine.*

(✠4) *Deciſ.* 20. *januarii* 1748. *refer. D. Viani in cauſſa Vaſſalli Bonini a Robaſſometto contra Communit. ejuſdem loci num.* 13., *ubi additur aliam eſſe cauſſam furnorum, qui facultatis ſunt.*

(5) *Fab. cod. de ſervitut. lib.* 3. *tit.* 24. *defin.* 5.

(6) *L. Imperatores* 17. *ff. de ſervit. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

DEFINITIO IV.

Quid ſi diverſis perſonis aquæ hauriendæ e flumine facultas conceſſa fuerit?

Conceſſa a Principe facultas hauriendæ aquæ e flumine, cum alter eodem jure jam utitur, tantum proficit, quatenus aqua ſuperabundat (✠1). Atque poſſidens aggerem, ſive clauſtrum in flumine prohibere poteſt alterius conſtructionem, ne minuatur aqua: niſi hæc redundet. Onus autem probandi redundantiam alleganti competit juxta magis receptam opinionem; quia actor eſt, & alterum a jure ſuo deturbare contendit (✠2). Si ergo duobus jus aquæ e flumine hauriendæ Princeps, vel vaſſallus de fluminibus inveſtitus indulſerint, intereſt, utrum jus utrique ſimul conceſſum fuerit, an alteri poſt alterum. In primo caſu, ſi aqua utrique ſufficiat, uterque Principis beneficio frui debet; alioquin vincit præoccupans; ſublata enim Principis prohibitione, res ad priſtinum jus gentium revertitur, adeoque primi occupantis potius eſt jus (✠3); ſive ex eodem loco eruatur aqua, ſive ex diverſis locis; ſemper enim eadem militat ratio. Quod ſi diverſis temporibus facultas hæc conceſſa proponatur, poſterior conceſſio nullius eſt roboris, niſi aqua ita ſuperabundet, ut ſaltem ſine gravi prioris damno ad exitum perduci poſſit (✠4). An autem ſuperior poſſit haurire aquam in præjudicium inferioris, quæſtionis ſolutio pendet ex verbis Principis concedentis (✠5).

(✠1) *Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Ghiſlerii, & Comit. de Bologninis contra Communitat. Lumelli, & Collegium Braidenſe Societ. Jeſu Mediolani*, §. *Primo quod conceſſio, Deciſ.* 21. *junii* 1683. *refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Berzetti contra Communit. Vercellarum*, §. *Cum autem ſuperior, Deciſ.* 12. *junii* 1686. *refer. eod. D. Torrini in cauſſa Vialardæ contra Comit. Avogadrum*, §. *Sed veritas eſt*.

(✠2) *D. Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi*, §. *His in facto, & jure præmiſſis: ubi aſſeritur ita deciſum in d. Senatuſconſulto Vialardæ contra Comit. Avogadrum*, §. *Poſito nunc*.

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Torrini* 21. *junii* 1683. *in cauſſa Comit. Berzetti contra Communit. Vercellarum*, §. *Cum autem ſuperior*; *D. Deciſ.* 12. *junii* 1686. *in cauſſa Vialardæ contra Comit. Avogadrum, in princip.*

(✠4) *D. Deciſ.* 21. *junii* 1683. *Comit. Berzetti contra contra Commun. Vercellarum*, §. *Secundus caſus*.

(✠5) *D. Deciſ.* 21. *junii* 1683. §. *Sin autem ſuperior*.

Digitized by Google

DEFINITIO V.

An vaſſallus de fluminibus inveſtitus poſſit inferiori jus hauriendæ aquæ concedere in præjudicium ſuperioris?

Vaſſallus de fluminibus inveſtitus, poſtquam jus aquæ e flumine hauriendæ ſuperiori conceſſit, vel molendini conſtruendi, poteſt inferiori idem privilegium indulgere, licet ſuperior damnum inde ſentiat, niſi expreſſe, vel tacite aliud promiſerit (✠1); non enim alteri creditur injuriam facere, qui jure ſuo utitur, licet noceat (2): noceat, inquam, ob id ſolum, quod minus frequens ſuperioris molendini commercium futurum ſit; non vero, ſi curſus aquæ impediatur, atque ex reſtagnatione fiat, ne ſuperius molendinum exerceri poſſit (3).

(✠1) *Decif. 21. junii 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Berzetti contra Civitat. Vercellarum, §. Rurſus proſequitur, Fab. cod. de ſervitutib. lib. 3. tit. 24. def. 5. in princip.*

(2) *L. Fluminum 14. §. ult., L. Proculus 26. ff. de damn. infect.* (39. 2.)

(3) *Fab. d. defin. 5. num. 3., & ſeqq.*

DEFINITIO VI.

Molendina habens vaſſallus prohibere non poteſt aliorum conſtructionem in fluminibus privatis, licet ſubditi per immemoriale tempus ad vaſſalli molendina ſponte acceſſerint.

In flumine, ſeu potius fonte, qui privati juris ſit, poteſt dominus ad libitum molendina conſtruere (1): ita ut nec dominus feudi poſſit ſubditis prohibere molendinorum conſtructionem juxta regulam vulgo receptam, quamvis ipſe propria molendina habeat, atque per longiſſimum, & immemorabile tempus ſubditi ad molendina vaſſalli ſoliti fuiſſent accedere (✠2); quia nullo tempore præſcribuntur, quæ meræ facultatis ſunt (3): niſi huic conſuetudini acceſſerit prohibitio vaſſalli cum acquieſcentia expreſſa, vel tacita ſubditorum (✠4).

(1) *L. Proculus ait 26. ff. de damno infecto* (39. 2.)

(✠2) *Theſaur. decif. 16. num. 1., & 2. ✠. Quod autem de molendinis hic traditur, ad furnos æque pertinet, Decif. pridie idus junii 1765. refer. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Bentii a Caburro contra Communit. ejuſdem loci, §. His tamen non obſtantibus num. 31., & ſeqq.*

(3) *L. 1. cod. de ſervit.* (3. 34.), *L. 2. cod. quæ ſit longa conſuetudo* (8. 53)

(✠4) *Theſaur. d. decif. 16. num. 3, d. Decif. refer. D. Beltramo, §. Potiſſimum ulterius num. 34.*

DEFINITIO VII.

Quid ſi Princeps jus prohibendi molendina vaſſallo conceſſerit?

Sed regula hæc plures habet exceptiones. Prima eſt, cum vaſſallo jus hoc Princeps ſpeciatim conceſſit, dummodo expreſſa ſint conceſſionis verba, quibus non tantum jus molendinorum extruendorum vaſſallo Princeps tribuat, ſed etiam facultatem impertiatur, qua ſubditis prohibeat (✠1), vel ſaltem præter inveſtituras cum molendinis concurrat ſpatium ſexaginta annorum, & uſus continuus ſubditorum ad vaſſalli molendina accedendi (2): maxime ſi hæc ſit conſuetudo in provincia paſſim recepta (3).

(✠1) *Theſaur. d. decif. 16. num. 9. ✠, Dec. Sen. Nic. 17. febr. 1740. refer. D. Granella in cauſſa DD. Raymundi, & Iſnardi Domin. loci Gorbii contra Communit., & particulares ejuſdem loci, §. Primo quia per inveſtituram.*

(2) *Theſaur. d. decif. 16. num. 9. ✠*

(5) *Quemadmodum apud nos obtinere tradit Theſ. d. num. 9.*

DEFINITIO VIII.

Ad æmulationem ædificare non licet, ſed æmulatio non præſumitur in eo, qui ſibi prodeſt.

Altera exceptio eſt, cum novum molendinum potius ad æmulationem fieret, quam ad utilitatem: veluti ſi plus impendendum eſſet, quam emolumentum ſperetur (1); ratum haberi non ſinit æquitas, quod perperam, & iniquo nocendi animo fit. Quare Romanis placuit, ne pro ornanda quidem civitate poſſe ad æmulationem ædificare (2). Cavendum tamen, ne æmulatio præſumatur in eo, qui ædificando alteri nocet, dum ſibi prodeſt; puta quia alterius reditus minuantur ob minorem frequentiam molentium; quiſque enim poteſt proprium emolumentum quærere cum alterius diſpendio, dummodo jus alterius non lædat (✠3), atque generalis regula partim ſtatuitur, æmulationem non eſſe, quoties emolumentum aliquod percipi poteſt ab agente (✠4); æmulatio enim dolus eſt, qui non præſumitur (5).

(1) *Theſ. d. deciſ. 16. num. 10. Quare tradit Theſ. junior in addit. litera B, non poſſe dominum unius molendini minuere cenſum in damnum alterius.*

(2) *L. Opus novum 3. ff. de operibus public.* (50. 10.)

(✠3) *L. Fluminum 24. §. ult., L. Proculus ait 26. ff. de damno infecto* (39. 2), *Fab. cod. de ſervitut. lib. 3. tit. 24. def. 5, Deciſ. 21. junii 1683. ref. D. Torrini in cauſſa Comit. Berzetti contra Civit. Vercellarum, §. Unde in propoſito.*

(✠4) *Deciſ. 19. ſeptembris 1662. ref. D. Leone in cauſſa Comit. Rotarii contra Comit. Reviliaſci, §. Neque prodeſt.*

(5) *L. Merito 51. ff. pro ſoc.* (17. 2.)

DEFINITIO IX.

Quid ſi vaſſallus ex contractu cum univerſitate jus privativum molendini ſibi quæſierit? Vel publicum, aut Principis ſit molendinum?

His addi poſſunt aliæ exceptiones: nempe ſi vaſſallus ex contractu cum univerſitate jus hoc ſibi comparaverit (✠1): vel ſi illud forte competat ex regionis conſuetudine, vel demum molendinum prius conſtructum publicum ſit, & in eo verſetur publica utilitas, aut Principis (2); hoc enim caſu publica ſuadente utilitate, vel neceſſitate privatis licere non debet, ut alia ſtruant molendina (✠3).

(✠1) *Theſaur. d. deciſ. 16. num. 11, ex hac enim conventione quoddam ſervitutis jus acquiritur, Dec. 25. maii 1686. refer. D. Dentis in cauſſa Comit. loci Folitii contra Communit., & partic. ejuſdem loci, §. Verum his, & aliis, ubi de furnis agitur; ſed valet argumentum ab his ad molendina.*

(2) *Alioquin nec ſtatuto jus ſibi aſſerere poſſet communitas, nec valeret pactum etiam jurejurando firmatum, quo particulares promitterent, ſe molendinis communitatis uſuros, quin ad alia privatorum accedere poſſent. Theſaur. in addit. ad d. deciſ. 16. litera C ✠: prout etiam de furnis cenſuit Senatus Oſaſc. deciſ. 17, non enim communitas ſtatutis ſuis nocere poteſt privatis, niſi ita ſuadeat publica utilitas.*

(✠3) *Theſaur. d. deciſ. 16. num. 13: ubi & de molendinis Civitatis Taurini ita ſentit, de quibus V. declarationem Reg. Cameræ 18. decembris 1756., in qua palam ſit, molendina in Territorio Civitatis Taurini, & Gruliaſci poſita ad Civitatem pertinere, ita ut decima ſexta pars frumenti, ſeu farinæ ſolvi debeat; farinam vero inferentes, vel alibi molentes*

Digitized by Google

librar. 75. pœna mulctatur præter amiſſionem rei, vecturæ, & jumenti.

DEFINITIO X.

Poſſeſſio decennalis ſufficit in hiſce juribus, cum de poſſeſſione tantum agitur.

Quamquam præſcriptio, quæ ad immemorialem accedat, neceſſaria eſt, ut acquiratur jus extrahendæ aquæ e flumine publico, vel molendina conſtruendi, aut prohibendi, ne municipes aliis molendinis utantur (1): ſi tamen de poſſeſſione duntaxat contendatur, utrum quis in ea ſervari debeat, traditum eſt, ex poſſeſſione decennali oriri præſumtionem tituli, ſeu titulum coloratum, qui ſufficiat ad obtinendum retinendæ poſſeſſionis interdictum; etiamſi reſiſtat jus, & de regalibus quæſtio ſit: maxime ſi poſſeſſio acquiſita fuerit ſcientibus, & patientibus adverſariis (✠2): cum in hoc interdicto non jus, ſed factum ſpectetur (3).

(1) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. *61, & ſeqq. pag. 25.*

(✠2) *Deciſ. 25. auguſti refer. D. Paſtoris in cauſſa Senator. a Porta contra Civitat. Albæ,* §. *Verum cenſuit Senatus: in qua agebatur de manutentione molendini, & cluſarum neceſſariarum ad molendum ſuper flumen Tanagri favore D. Senatoris, contradicente Civitate Albæ, quæ ſe aſſerebat inveſtitam de regalibus, probaverat tamen D. Senator conceſſionem hanc ſibi legitime factam a Conſilio dictæ Civitatis legitime congregato.*

(3) §. *Retinendæ 4. inſtit. de interdict.* (4. 15.)

DEFINITIO XI.

Non uſu amittitur jus aquæ ducendæ e flumine, vel molendina habendi, dummodo ſimul adſit prohibitio alterius, & non utentis patientia. Quid ſi licentia ſemel, aut bis petita fuerit?

Quemadmodum præſcriptione jura aquæ ducendæ e flumine publico, in illo extruendi, vel prohibendi privata molendina acquiri poſſunt, ita & non uſu amitti: dummodo præter non uſum alterius prohibitio, & non utentis patientia acceſſerit; quia in iis, quæ a libera utentis voluntate pendent, ex omnium ſententia (definit. VI.) præſcriptio, niſi & hæc adjuncta habeat, nullatenus nocet. Hinc merito placuit, privilegium tenendi clauſtrum in flumine ad uſum molendini non amitti, niſi data prohibitione, & patientia per decem, vel viginti annos: maxime ſi adhuc ſuperſint operis veſtigia (✠1): neque jure aquam ducendi e flumine ſtatim privatur, qui bis, aut ſemel facultatem hanc petierit (✠2).

(✠1) *Deciſ. 5. ſeptembris 1678. refer. D. Garretti in cauſſa Comit. Alferii contra Comit. Polentii, & Sanctæ Victoriæ, per tot.*

(✠2) *Deciſ. 16. decembris 1728. ref. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Ghiſlerii, & Comit. de Bologninis contra Communit. Lumelli, & Collegium Braidenſe Societat. Jeſu Mediolani,* §. *Nec hujuſmodi juri.*

Digitized by Google

DEFINITIO XII.

Præoccupatione acquiri poteſt jus extrahendæ aquæ e flumine, vel molendini conſtruendi. Qui præoccupaſſe intelligatur?

Præocupatione quoque acquiri poteſt jus aquæ extrahendæ e flumine publico; in eo videlicet caſu, quo Princeps idem jus duobus conceſſerit, quod tamen a duobus exerceri nequit, adeoque diligentiori acquiritur (1); præocupaſſe autem intelligitur, qui primo opus cœpit: videlicet, qui primo deſignavit locum, vel lapidem, calcem, aut avenam detulit ad conſtruendum molendinum, quamvis aliud non præſtiterit (✠2); hæc enim præparatoria ad inducendam præocupationem ſufficere ex eo conſtat, quod in jure quærendo præfertur ille, qui prius ad initium pervenit (3). Atque hæc potiſſimum obtinent, cum incipiens judicialiter proteſtatus eſt, ſe voluiſſe, jus in loco deſignato acquirere ad excluſionem alterius (✠4): hæc enim proteſtatio, facto adjuncta, apertiſſime demonſtrat animum præocupandi. Præterea, cum ex ſimplici pillarum infixione etiam ante perfectionem rei litus, vel mare dicatur præocupatum (5), recte defenditur foſſarum excavationem, uniuſque pali infixionem eſſe conſiderandam inter præparatoria intrinſeca habentia formam operis ad inducendam occupationem; quia nullum opus magis neceſſarium ad molendinum eſt pallorum infixione, quibus niſi naves alligarentur, nullum dici poſſent locum occupare (✠6). Navis tamen ad aquæ tranſitum non eſt ſignum præoccupationis, vel conſervationis ſitus pro molendino: maxime ſi ab eo diſtet (✠7); quæ enim ad alium finem facta ſunt, poſſeſſionem, aut præoccupationem inducere nequeunt; poſſeſſio ſolius corporis miniſterio apprehenſa non prodeſt, niſi animus poſſidendi ſimul habeatur (8).

(1) *L. Prætor ait 2. §. Merito 10. ff. ne quid in loco publ.* (43. 8.), *V. Juriſprud. Tom. III. §. 63., & ſeqq. p. 25.*

(✠2) *Deciſ. 19. ſeptembris 1660. ref. D. Leone in cauſſa Comit. Rotarii contra Comit. Reviliaſci, §. Contrarium tamen num. 11., & ſeqq. Deciſ. 11. ſeptembris 1699. refer. D. Vacca in cauſſa Marchion. a Sancto Martiano contra Comit. Alpherium de Sancto Martino, in princip.*

(3) *§. Item lapilli 18. inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.), *L. Si Titius 9. ff. de verbor. obligat.* (45. 1.), *L. Si pluribus 33. ff. de legat. 1.* (30. 1.), *L. Pluribus 33. ff. de procurator.* (2. 13.), *L. Qui prior 29. ff. de judiciis* (5. 1.)

(✠4) *D. Deciſ. 19. ſeptembris 1662. refer. D. Leone.*

(5) *L. Ergo in inſula 30. §. ult. ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1.)

(✠6) *D. Deciſ. 19. ſeptembris 1660. refer. D. Leone in cauſſa Comit. Rotarii contra Comit. Reviglaſci, §. Primo ex pillarum num. 14.*

(✠7) *D. Deciſ. 11. ſeptembris 1699. refer. D. Vacca in cauſſa Marchion. a Sancto Martiano contra Comit. Alpherium de Sancto Martino, §. Reſpondetur enim.*

(8) *L. Male agitur 2. cod. de præſcrip. XXX., vel XL. annor.* (7. 39.)

DEFINITIO XIII.

Præoccupatio extenditur ad ea omnia, quæ naturali quodam nexu conjuncta ſunt.

Præoccupationis, quæ animo, & corpore fiat, tanta eſt vis, ut ad ea omnia extendatur, quæ naturali quodam rerum nexu invicem conjunguntur: puta ſi quis præoccupaverit aquam fluminis, quamvis poſſeſſio in certo loco

initium ſumpſerit, non tamen eo loco circumſcripta eſt: naturaliter quidem in uno tantum loco poſſeſſio acquiſita videtur, civiliter tamen totum flumen complectitur, per occupationem, ſeu apprehenſionem partis (✠1): quemadmodum & per uſum partis retinetur jus totius (2). Quo fundamento placuit, ex jure molendini ſuper flumine, præoccupatione quæſito, oriri jus aggeris conſtruendi ex una ripa ad aliam, ſine quo molendina inutilia eſſent (✠3): ita tamen ut de damno infecto caveri debeat, ſi ex clauſtro, ſeu cluſia ſuperioris molendini timeatur damnum aquæ impetu erumpentis contra inferiorem (✠4).

(✠1) *L. Quarumdam rerum* 51. *ff. de acquir. poſſeſſione* (41. 2.), *Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Ghiſlerii, & Comitum de Bologninis contra Collegium Braidenſe Societat. Jeſu Mediolani*, §. *Hinc eſt, quod præoccupatio*.

(2) *L. Is, qui uſumfructum* 20. *ff. quemadmod. ſervit. admit.* (7. 4.)

(✠3) *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1699. *refer. D. Vacca in cauſſa Marchion. a ſancto Martiano contra Comit. Alſerium a Sancto Martino*, §. *Nec potuit*.

(✠4) *D. Deciſ. in fine*, *L. Fluminum* 24. *ff. de damn. infecto* (39. 2.)

DEFINITIO XIV.

Variandi jus non competit ei, qui nititur ſimplici præoccupatione, ſeu poſſeſſione recenti. Quid ſi allegetur poſſeſſio immemorialis?

Non tamen competit præoccupanti facultas variandi opus in flumine factum, ſi agatur de ſimplici præoccupatione, ac poſſeſſione recenti (✠1), quia hæc tamquam quid facti non extenditur ultra limites loci præoccupati; quemadmodum de ſervitute tradunt jureconſulti, in qua jus variandi non competit, quamvis longiſſimi temporis præſcriptione quæſita ſit (2); præſcriptio enim poſſeſſione nititur, quæ certo loco concluſa eſt, utpotequæ reſpicit jus in re aliena quæſitum, quod ſtricte intelligi debet. Quare nec concedendum eſt ei, qui jure occupationis nititur, ut aqua diverſo modo utatur, quam prius ſolebat; quia nec aliter præoccupavit (✠3). Sed ſi præoccupans pro ſe habeat præſcriptionem, quæ hominum memoriam excedat, ei competit in caſu neceſſitatis jus variandi etiam in præjudicium eorum, qui titulo muniti ſunt, & poſſeſſione, quia habens præſcriptionem immemorialem poteſt allegare quemcumque titulum, qui ſibi magis faveat (✠4).

(✠1) *L.* 1. §. *Illud tamen* 15. *ff. de aqu. quotid.*, *& æſtiv.* (43. 10.), *d. Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Ghiſlerii, & Comitum de Bologninis contra Collegium Braidenſe Societ. Jeſu Mediolani*, §. *Plura namque occurrunt*.

(2) *L. Is, cui* 11. *ff. quemad. ſervitut. amittamur* (8. 6.)

(✠3) *Deciſ.* 12. *junii* 1686. *refer. D. Torrini in cauſſa Vialardæ contra Comit. Avogadrum*, §. *Sed quia eadem*, *fere in fin. deciſ.*

(✠4) *L. Hoc jure* 3. §. *Ductus aquæ* 4. *ff. de aqua quotidiana*, *& æſtiva* (43. 20.), *d. Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Ghiſlerii, & Comitum de Bologninis &c.* §. 2. *Quod vigor*, & §. *Plures namque*.

Digitized by Google

DEFINITIO XV.

Præoccupationis jus non amittitur, alveo deſtructo per impetum fluminis, ſi veſtigia operis ſuperſint. Quid ſi præoccupans ab opere certo deſtiterit?

Recepta apud pragmaticos eſt paſſim ſententia, ex non uſu, vel alveo deſtructo per impetum fluminis, præoccupationis jus non amitti, ſi adhuc ſuperſint veſtigia operis (1): neque etiam præoccupantem dejici ex eo, quod cœptum opus perficere deſtiterit per aliquod temporis ſpatium, ſi alteri, qui novum opus ſtruere aggreſſus erat, etiam extrajudicialiter contradixerit, atque interim ob aliquod impedimentum opus perfici non potuerit (✠2). Præter non uſum adhuc alterius prohibitionem verbis, vel factis, atque inde utentis patientiam deſiderari ſupra demonſtravimus (defin. XI.)

(1) *Argum.* §. *Alia ſane* 24. *inſt. hoc tit.* (2. 1.)

(✠) *Deciſ.* 19. *ſeptembris* 1662. *refer. D. Leone in cauſſa Comit. Rotarii contra Comit. Reviliaſci in fin.*

DEFINITIO XVI.

Aquæ vere indigens cogere poteſt vicinum, ut aqua tranſitum in ſuis prædiis permittat.

Cum publice interſit, ut aqua, quoad fieri poteſt, per agros excurrat, eoſque irriget, jampridem apud nos conſtitutum, atque uſu fori firmatum, ut ille, qui ad irriganda ſua prædia, ad uſum molendini, vel alterius ædificii indiget, poſſit cogere vicinum, ut aquæ tranſitum in ſuis fundis concedat, juſto tamen pretio cum octantis augmento, & cujuſcumque damni refectione, ſi aliter frui non poſſit aqua (✠1). Atque jurisprudentia hæc poſterioribus ſanctionibus firmata, & explicata obtinet, dummodo fundorum poſſeſſoribus opus nimis grave non poſſit: & aquæ ita fluant vicini beneficio, ne uſum earumdem poſſeſſoribus impediant (✠2). Quemadmodum & eadem publica utilitate ſuadente vetitum eſt poſſeſſoribus bonorum, per quæ fluunt aquæ, ne, poſtquam illis uſi fuerint, eas diſperdant, nec ſinant, ut inferiorum beneficio defluant.

(✠1) *Deciſ.* 19. *novembris* 1675. *ref. D. Raimondo in cauſſa Comitiſſæ a Ponte Spatis contra Equit. Marengum a Caſtromonte, per tot. In qua Senatus juſſit, ut dicta Comitiſſa communem faceret aquæ ductum, & rivum, & alveum jam conſtructum juſto pretio dimitteret dicto Equiti pro irrigandis ſuis pratis, Deciſ.* 29. *aprilis* 1683. *ref. D. Torrini in cauſ. Equit. Corradi contra Aſſros, §. Tertia fallentia.*

(✠2) *D. Deciſ.* 29. *aprilis* 1683. *refer. D. Torrini, Deciſ.* 13. *junii* 1731. *refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Ambroſii contra Parrochum loci Villaris Baſliarum §. Propoſita cauſſa, & ſeqq.*

DEFINITIO XVII.

Riparum uſus communis eſt; proprietas eorum, qui prope ripas prædia poſſident.

Riparum jus non omnino idem eſt, ac fluminum: earum communis quidem uſus eſt, ita ut cuilibet liceat, navos ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus in iis reponere: ſed proprietas earum, adeoque etiam arborum, quæ ibi ſunt, ad eos ſpectat, qui prope ripas prædia poſſident (1). Atque eadem ratio eſt fontium, qui in ripa ſcatent (✠2).

(1) §. *Riparum* 4. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠1) *Deciſ. 21. maii 1766. refer. D. Bruno in cauſſa Civitat. Taurini contra Sotiis, in fine, in qua definitum fuit, nec ripam, nec fontes in ipſa ſcaturientes ad Civitatem pertinere; quia ripæ ſolum, quod an publicum, an privatum ſit proprietate, ex prædiorum, quibus hæret, natura definiri ſolet, publicum probatum non fuerat, L. Solum 49. §. 1. ff. de rei vindicat. (6. 1.)*

DEFINITIO XVIII.

Riparum poſſeſſoribus licet eas munire, atque etiam paullatim divertere flumen, aggeribus extructis, ſi grave immineat damnum.

Cum ergo riparum proprietas eorum ſit, qui prope eas prædia poſſident (defin. præced.), licere debet bonorum poſſeſſoribus, ripas munire ad propriam defenſionem, & fluminis impetum coercendum, non autem propulſandum (✠1). Immo, quamvis non liceat fluminis curſum divertere in præjudicium vicinorum, etiam prò tuendo proprio prædio, niſi ex Principis auctoritate (defin. III): ſi tamen imminens grave damnum timeatur, licebit, ita ſuadente naturali æquitate, ad illud avertendum aggeribus aquam fluminis paullulum divertere: dummodo nihil, vel parum vicinis noceatur, & cautio præſtetur de damnis reficiendis, quæ inde contingere poſſent (✠2). Sed quod de prohibitione ripæ muniendæ in vicinorum diſpendium dicimus, ad lucri præreptionem non debet extendi; nemini enim facit injuriam, qui jure ſuo utitur (defin. VIII). Jure ergo placuit Senatui, dominum torrentis, vel rivi impediri non poſſe, quominus ripas muniat, ne aquæ divertantur: etiamſi ex tali munimine auferat lucrum, quod vicinus ſentire poterat (✠3).

(✠1) *L. 1. Princip., & §. 1. ff. de ripa munienda (43. 15), Deciſ. 31. martii 1738 refer. D. Collateral. Bonaudo inter communitates ſancti Martini, & Leodegari de mandamento Aimavillæ, & Canonicum Perſod §. Quibus omnibus rationibus.*

(✠2) *Deciſ. 2. maji 1662. refer. D. Demazzetis in cauſſa Baronis Broxii contra Marehion. Perronum, D. L. 1. princ. & §. ſeqq. ff. de ripa munienda.*

(✠3) *L. 1. §. 1. ff. de aqua, & aqu. pluv. arc. (39. 3), Deciſ. 10. ſeptembris 1676. refer. D. Balegno in cauſſa Communit. Cariniani contra Communit. Lombriaſci §. Sed quoniam.*

DEFINITIO XIX.

Ripas munire aliquando tenentur, qui aquam e flumine derivare volunt, niſi tempore opportuno huic commodo renùntient.

Non tantum licet bonorum poſſeſſoribus ad propriam defenſionem ripas munire, ſed etiam aliquando tenentur: puta ſi aquam e flumine, vel torrente derivare velint; etenim ſecundum naturam eſt, ut qui commoda rei ſentit, ejus incommoda non detrectet (1): niſi tamen tempore opportuno huic commodo renuncient; nemo enim invitus cogitur, ut jure ſibi competente utatur (2). Hinc cenſuit Senatus, litis conſortes, quia jam eo ànno aqua ex rivo uſi fuerant, cogendos eſſe, ut incile propriis ſumtibus ſemel reficerent: impoſterum autem oneri civitatis refectio foret, quatenus prædicti litis conſortes intra menſem poſt factam refectionem legitimo actu declararent, ſe amplius nolle aquæ beneficio uti (✠3).

(1) *L. Secundum naturam 10. ff. de reg. jur.*

(2) *L. Invito 69., L. Invitus 156. §. ult. ff. de reg. jur.*

(✠3) *V. Deciſ. 7. martii 1735. refer. D. Guillier in cauſſa Civit. Montiſcalerii*

Digitized by Google

contra Capit. , & Canonic. dictæ Civit. , & Vaſſallum , & Humolium.

DEFINITIO XX.

Portus habere non licet in publicis fluminibus , niſi ex Principis conceſſione.

Cum hodie flumina inter regalia connumerentur (defin. II.) , nec portus in fluminibus publicis haberi poſſunt , niſi ex Principis conceſſione (✠1) , quæ ſpecifica , vel generalis ſit ; qualis aliquando vaſſallis conceditur , qui de fluminibus , eorumque omnibus pertinentiis , ut loquuntur , inveſtiti ſunt.

(✠1) *Deciſ. 28. ſeptembris 1645. refer. D. Beccaria in cauſſa Vaſſallorum Lombriaſchi contra Commun. Cariniani , §. Quo vero ad aliam quæſtionem , in qua conceſſionem portus titulo oneroſo factam dixit Senatus , quamvis in eodem capite conceſſionis diceretur , ex mera Principis gratia fuiſſe permiſſum , quia in eadem ſcriptura alii contractus oneroſi celebrati fuerant , atque habiti ſunt omnes tamquam correſpectivi , & connexi ex mente concedentis , & accipientium. Atque additum fuit , reſcriptum neque obreptum , neque ſubreptum reputari poſſe , quia conceſſio ex certa ſcientia facta fuerat , & a Regia Camera interinata.*

DEFINITIO XXI.

Viarum , & pontium refectio ad quos ſpectet?

Publicarum viarum refectio iis univerſitatibus , & locis incumbit , in quorum territorio adſunt (1) : quod autem de tota via ſtatuitur , etiam in partibus obtinere debet (✠2) ; quemadmodum parietis communis refectio ad eos pertinet , qui eodem utuntur (3) : atque pontium refectio eorum eſſe debet , qui confines ſunt , & ex illis utilitatem ſentiunt (4).

(1) *L. unic. princip. , & §§. ſeqq. ff. de via publica , & ſi quid in ea factum eſſe dicetur* (43. 10.)

(✠2) *Deciſ. 2. martii 1762. refer. D. Sclarandi inter Spimpholii , Raxæ , Squadræ , & Quarum univerſitates , & homines , & univerſitatem , ac homines Vici Plodarum , §. 1. Quod jure , poſt num. 10 , L. Semper 147. ff. de reg. jur. , L. In toto 113. ff. eod. tit.*

(3) *L. Parietem 8. ff. de ſervitutibus prædior. urbanor.* (8. 2.) , *L. Si ædes 12. ff. communi divid.* (10. 3.)

(4) *Ita tamen , ut liceat alteri communitati materiam ligneam pro pecunia comportare L. 1. §. Deinde ait 6 , L. penult. §. ult. ff. de rivis* (43. 21.)

DEFINITIO XXII.

Alveus fluminis pars eſt ; nec immutari , aut diverti poteſt ſine Principis voluntate.

Alveus , quatenus flumen continet , veluti fluminis pars intelligitur , cum ſine alveo flumen nec conſiſtere , nec fere concipi poſſit , atque ideo alveus publici juris eſt æque ac flumen (1). Hinc jure traditum eſt , flumen diverti , niſi ex Principe auctoritate , non poſſe ab alveo antiquo , nec immutari in vicinorum diſpendium (✠2) : quamquam paullatim diverti poſſe flumen ad avertendum grave imminens damnum ſuperius diximus (defin. XVIII.)

(1) *§. Quid ſi naturali 23. inſtit. hoc tit. de rer. diviſione* (2. 1.)

(✠2) *L. 1. §. Sed etſi 7. ff. ne quid in flumine public.* (43. 13.) , *Deciſ. 5. maii 1672. refer. D. Raſini in cauſſa Abbatis a Novaleſia contra particulares Ripularum per tot.*

DEFINITIO XXIII.

Viæ, quæ inſervit intra fines territorii ad uſum, & neceſſarium acceſſum ad colonias publica reputatur, niſi ex collatione privatorum facta ſit.

Publica via, ſed inferioris ordinis habetur illa, quæ inſervit intra fines alicujus territorii ad uſum, & acceſſum ad colonias, & de vico in vicum ejuſdem loci, ſine qua communicatio haberi non poſſet. Hæc autem viæ ſpecies, quæ differre non videtur a vicinali romanorum (1), tamquam ad culturam, & communicationem neceſſaria, publica etiam reputatur: ita ut probandi onus aſſerenti non incumbat; quia pro ſe haber præſumtionem (✠2). Saltem ſi ex collatione privatorum conſtituta non ſit (3), cujus memoria extet (4).

(1) *Vicinales ſunt viæ, quæ in vicis ſunt, vel quæ in vicos ducunt, l. Ait prætor 2. §. Viarum 22. ff. Ne quid in loc. publ.* (43. 8.).

(✠2) *Deciſ. 29. april 1723. ref. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ contra Præſid. Garagnum. §. Tertia ſpecies viæ.*

(3) *Vicinales ſunt viæ, quæ in vicis ſunt, vel quæ in vicos ducunt, has quoque publicas eſſe quidam dicunt: quod ita verum eſt, ſi non ex collatione privatorum hoc iter conſtitutum eſt d. l. ult.*, §. 22.

(4) *L. ult. ff. de locis, & itinerib. public.* (43. 7.)

DEFINITIO XXIV.

Viæ, qua ad communicationem univerſalem deſtinatæ non ſunt: nec non, quæ commoditati prædiorum inſerviunt, privatis accenſentur.

Viæ, quæ non ducunt de loco ad locum, neque ad commercium neceſſariæ ſunt, nec ad communicationem univerſalem deſtinatæ, ſed proprie ſunt ſemitæ, ſeu viæ compendia, quæ ſolent fieri per agros privatos prope vias publicas ab itinerantibus pro breviori, & expeditiori tranſitu, privatæ reputantur, niſi aliud demonſtretur: quemadmodum privata via habetur illa, quæ ſpecialiter fuit introducta, & deſtinata ad uſum, & commoditatem domini prædiorum: ſive ea a domino in propriis fundis conſtituta fuerit, ſive eidem ab alienis jure ſervitutis debeatur: etiamſi aliis quoque fortuito inſerviat; cum vix poſſint impediri iter facientes, ne viam expoſitam, & apertam ingrediantur, quamvis privata ſit, & alicujus propria. Sed ſtrictior, & magis ſpecifica probatio neceſſaria eſt, quoties de poſtrema agitur, cum hæc ex ipſo etiam uſu privata appareat; illam vero publicam demonſtrare videtur communis tranſeuntium uſus (✠1).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. ref. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ contra Præſid. Garagnum. §. Et quamvis.*

DEFINITIO XXV.

Quæ ſint viæ publicæ conditiones: An latitudo inter has connumeretur?

Ut publica cenſeatur via, tres requiruntur ex communi ſententia conditiones. 1. Ut habeat utrumque caput in locum publicum. 2. Ut iter per eam publice haberi conſueverit. 3. Ut ſolum ſit publicum, & auctoritate publica deſtinatum: vel ſaltem, ut adſit uſus immemorabilis, ita ut neſciri poſſit, an fuerit conflata ex collatione privatorum (✠1). Sed inter has non enumeratur ejuſdem latitudo, quamvis enim non mediocris latitudinis eſſe deceat vias, quæ publico uſui inſerviunt, ita ut non tantum jumenta, ſed & plauſtra, & currus per eas ducantur (2): attamen facile contingere etiam poteſt ex ſitus qualitate, ut hæc haberi nequeant. Sufficit ergo ad viam publicam, ſi ad duos, vel

tres

Digitized by Google

tres pedes in latitudine extendatur (✠3).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. reſ. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ, & Præſid. Garagni. §. Quarta ſpecies prope finem. Omnes hæ conditiones ſatis perſpicue eruuntur ex ipſis Romanis legibus, nimirum L. Prætor ait 2. §. Viam publicam 21. ff. Ne quid in loco publico* (43. 8.), *& L. ult. §. 1. ff. de locis, & itinerib. publ.* (48. 7.)

(2) *L. Prætor ait 2. §. Viam publicam 2. ff. Nequid in loco publico* (43. 8.) *l. unic. §. Conſtruat autem 3. ff. de via publ., etſi quid in ea factum eſſe dicet.* (43. 10.), *quæ autem præciſe latitudo requiratur, non una apud omnes gentes regula ſtatuitur: edicto Amedei VII. 17. junii 1430, quod reperitur penes Solam decret. de reparatione, & manutent. viarum pag. mihi 286, & penes Borel. pag. 705., ſtatuitur, ut viæ publicæ latitudinis octo pedes habeant in rectitudine, & ſexdecim in anfractu, ſeu reflexo.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo. §. Quemadmodum non efficit & ſeqq., Argum. princ. inſtit. de ſervitutib. ruſticor., & urbanor. præd.* (2. 3.), *L. Viæ latitudo 8., juncta l. Via 23. ff. de ſervit. præd. ruſtic.* (8. 3.)

DEFINITIO XXVI.

Publica præſumitur via, de cujus publico uſu conſtat: niſi prædia, per quæ iter petitur, certo ſint privati juris.

Si dubitetur, an via publica ſit, an privata, ad ſigna publicitatis, ut pragmatici loquuntur, confugiendum eſt: quamquam in dubio via, de cujus publico uſu conſtat, publica præſumitur, adeoque privatam afferenti incumbit onus probandi; publici enim uſus conditio ex ſui natura ſecum trahere videtur ceteras conditiones (✠1); niſi forte certum ſit, prædia, per quæ tranſitus petitur, privati juris eſſe, utpote pleno dominii jure ad privatum pertinentia (✠2); acceſſorium enim præſumitur ejuſdem indolis, ac principale (3); & unaquæque res libera exiſtimatur, niſi aliud demonſtretur (4); adeoque inſiſtens in negatoria nititur propriæ rei libertate; ex quo onus contrariæ probationis in adverſarium transfert (5).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. refer. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ contra Præſid. Garagnum §. Super quo.*

(✠2) *D. Deciſ., & d. §.*

(3) *Cap. Acceſſorium 42. extra de Reg. Jur. in 6., l. Nihil dolo 129. §. 1. ff. de Reg. Jur.*

(4) *L. De ſervitutibus 2, l. Loci 4. §. Parietem 7., & paſſim ff. ſi ſervit. vindicet.* (8. 5.)

(5) *L. Actor. 23. cod. de probat.* (4. 19.)

DEFINITIO XXVII.

Viæ uſus in alieno fundo juri familiaritatis, vel precario in dubio adſcribitur. Quid de delatione cadaverum?

Via publica non probatur ex eo, quod aliquando inſervierit pro delatione Euchariſtiæ infirmis, pro conſueta benedictione tempore paſchali domibus per parochos impertienda, pro infantibus ad ſacrum baptiſma deferendis, vel pro ſponſis occaſione matrimonii ſolemniter traducendis; omnes enim hi actus dependenter a benevola conceſſione, vel jure familiaritatis ſecuti præſumuntur (✠1); quippe viæ uſus in alieno fundo juri familiaritatis, vel precarii potius adſcribendus eſt (2). Major utique difficultas eſt, an cadaverum ad ſepulturam delatio viam publicam demonſtret; cum hujuſmodi actus jure familiaritatis vix concedi ſoleat. Probabilior tamen videtur, & magis recepta negantium ſententia, niſi conſuetudo hujuſmodi per longum tempus inducta, & retenta edoceatur (✠3); præſumtio enim, quæ dominum fundi onerat, altera, quæ in juris proprii re-

tentione fundatur, veluti fortiore, eliditur (4).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. reſ. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ Præſid. contra Garagnum.* §. *Neque dicatur, & ſeqq.*

(2) *L. penult. ff. Si uſusfruct. pet.* (7. 6.), *L. Actor 23. cod. de probat.* (4. 19.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo 29. april. 1723.* §. *Omnique dubio procul & ſeqq.*

(4) *L. Non ſolum 67.* §. 1. *ff. de ritu nuptiarum* (23. 2.)

DEFINITIO XXVIII.

Via publica teſtium dicto probari poteſt. Quæ deſiderentur in teſtibus conditiones? Quid de viæ latitudine?

Teſtes deponentes viam publicam eſſe, & pro publica reputari, plene non probant; niſi in hac qualitate unanimes conſentiant; atque ſimul teſtimonii rationem reddant: puta quod a longiſſimo tempore publice, & paſſim per eandem itum fuerit, tamquam per viam publicam (✠1); hujuſmodi enim conditiones ſemper deſiderantur in illis rebus, quæ ad populi uſum probandum pertinent (2). Viæ latitudo conjecturam quidem præbere poteſt; ſed remotam, & genericam; cum uſus invaluerit penes poſſeſſores urbanorum prædiorum, vel etiam ruſticorum habitationi inſervientium, ut amplæ, & ſpatioſæ viæ maximis ſumtibus ſternantur ad voluptatem, & decus (✠3).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. refer. D. Beltramo in cauſſa Præſid. Bergeriæ contra Præſid. Garagnum* §. *Quemadmodum non obſtat, & ſeqq.*

(2) *V. Quæ diximus de modo probandæ conſuetudinis per teſtes*, §. 381., *& ſeqq. Tom. I. Juriſprud. pag.* 147.

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo*, §. *Pariter inanes.*

DEFINITIO XXIX.

Privata reputatur via, ad cujus capita cancelli appoſiti ſunt, licet iter, iis non obſtantibus, habitum fuerit.

Privata præſumitur via, ad cujus utrumque caput cancelli appoſiti ſunt, quibus aditus iter facientibus præcludatur (✠1); cum enim via publica ex ſui natura omnibus pateat (2), privata neceſſario dici debet, cujus uſus privati arbitrio interdicitur; atque idem eſt, ſi ſepe, vel foſſa uſus viæ intercludatur, vel impediatur. Nec intereſt, quod cancelli a tranſeuntibus attriti proponantur, vel etiam, iis extantibus, iter habitum fuerit per prædia adjacentia: niſi enim aliud conſtet, pro viæ libertate adhuc erit pronunciandum (✠3): attentata jus attentantis non probant: tranſitus vero juri familiaritatis, vel precario habitus reputatur (Defin. XXVII.)

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. refer. D. Beltramo in cauſſa præſid. Bergeriæ contra Præſid. Garagnum*, §. *Primum igitur argumentum.*

(2) *L.* 1., §. *Viam publicam 21. ff. ne quid in loc. public.* (43. 8.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo*, §. *Secundum argumentum.*

DEFINITIO XXX.

Area interſecans viam, nec non arbores in via poſitæ privati juris eam demonſtrant.

Privata præſumitur via, quam interſecet area ad meſſem triturandam extructa; cum enim tempore meſſis dari nequeat uſus viæ, qui tamen impediri nunquam poteſt, ſi publica ſit, conſequens omnino eſt, viam hanc privatam cenſeri debere, & pro ædificii, ac prædiorum adjacentium uſu conſtructa (✠1). Neque publica præſumitur via, quæ ar-

Digitized by Google

boribus conſita ſit: cum enim non liceat in via publica arbores plantare: immo cedi debeant, ſi quæ ſint (2); ita ut cuilibet de populo agendi hoc interdicto facultas competat, quamvis ſpecialiter ejus non interſit (3), ceterorum patientia indubium argumentum præbet viæ privatæ (4).

(✠1) *D. Deciſ. 29. april. 1723. reſ. D. Beltramo in cauſſa Bergeriæ, & Garagni, §. Stringentius adhuc, & ſeqq.*

(2) *L. Prætor ait 2. §. Si quis 17. ff. Ne quid in loco publico* (43. 8.)

(3) *L. 1. ff. de locis, & itinerib.* (43. 7.), *D. L. 2., §. Hoc interdictum 34. ff. Ne quid in loco publico.*

(✠4) *D. Deciſ. reſer. D. Beltramo, §. Tertium argumentum.*

DEFINITIO XXXI.

Viam privatam probat ejus deſtinatio, terminus diviſorius viam amplectens: venditio juris tranſitus.

Privatæ viæ conjecturam quoque præbet ejuſdem finis, ſeu deſtinatio: nimirum via, quæ deſtinata appareat ad uſum, & commoditatem domini prædiorum: maxime ſi huic neceſſaria ſit, ceteris vero facilior quidem, & expeditior, non tamen neceſſaria, privata haberi debet, quamvis per accidens aliis quoque ejuſdem uſus apertus fuerit (✠1); quippe quod factum reputatur ex benevola tolerantia, & urbanitate domini prædiorum (Defin. XXVII.) atque in jure attenditur plerumque, quod directe fit, non quod indirecte, & fortuito contingit (2). His addi poſſunt alia indicia, quæ licet ſeorſim ſumta non omnino probent, ſimul tamen collecta privatum viæ jus demonſtrare aptiſſima ſunt: veluti terminus diviſorius prædiorum, qui viam ipſam amplectatur, venditio juris tranſitus per eandem viam, vel precaria conceſſio (✠3): ſane ſi hæc jure facta fuerint, neceſſario ſupponunt, viam privatam eſſe; in dubio autem quis jure ſuo uti præſumitur ((4). Quod ſi adhuc dubia res ſit, judicis eſt definire, utrum via inter publicas, an inter privatas ſit connumeranda (✠5).

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo, (Defin. præced.) §. Non minus urgens.*

(2) *L. Poſt. legatum 5., §. Qui accuſavit 7, & ſeqq., L. Qui Titii 7. ff. de his, quæ ut indignis* (34. 9.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo, §. Quæ ex ſe loquuntur, & ſeqq.*

(4) *L. Merito 51. ff. pro ſocio* (17. 2.)

(✠5) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 8. §. 1, D. Deciſ. refer. D. Beltramo, §. Poſito autem.*

DEFINITIO XXXII.

Viam publicam, vel vicinalem deteriorem facere non licet: utique januas ſuper illis aperiri, dum ne noceatur vicinis, vel itineri.

Deteriorem quidem viam publicam, vel vicinalem facere nemo poteſt, qualem reddere exiſtimatur, quicumque aliquid in via facit, quo iter impediatur, vel minus commodum ſit (1): puta qui eas effodit, ſubruit, vel ædificia in iis conſtruit (2): aliquid in viam projicit (3), vel propoſitum ante officinas habet; niſi ita poſtulet neceſſitas, dummodo curribus aditus relinquatur (4): cuique tamen licet januas aperire ſuper viis publicis, & vicinalibus, dummodo vicinis non noceat, nec itineri (✠5).

(1) *L. Prætor ait 2., 1. Ait prætor 20. ff. Ne quid in loco publ.* (43. 8).

(2) *L. unic., §. Current autem 2. ff. de via publ., etſi quid in ea fact. eſſe dic.* (43. 10.)

(3) *Non permittant autem, vexari in viis, neque ſtercora projicere, neque morticina, neque pelles jacere d. l. unic, §. ult.*

(4) *Studeant autem, ut ante officinas nihil projectum ſit, vel propoſitum, præ-*

Digitized by Google

terquamſi fullo veſtimenta ſiccet, aut faber currus exterius ponat. Ponant autem & hi, ut non prohibeant vehiculum d. l. unic., §. penult.

(✠5) *L. ult. §. 1. ff. de ſervit. præd. urban.* (8. 2.), *Deciſ. 24. maii 1673. refer. D. Sandiliano in cauſſa Chiapucii contra Lupum per tot.*

TITULUS SECUNDUS

De jure univerſitatum. Adminiſtratorum electione, & auctoritate in contractibus.

DEFINITIO I.

Univerſitates civiles ſunt, vel eccleſiaſticæ: harum diverſæ ſunt ſpecies. Quid de confraternitatibus, & hoſpitalibus?

Univerſitatum aliæ ſunt eccleſiaſticæ, aliæ civiles, quædam mixtæ: ex eccleſiaſticis autem aliæ ſeculares nominantur, aliæ regulares, aliæ mediæ inter utraſque. Seculares ſunt, quæ ex clericis conſtant in ſeculo degentibus: veluti capitula. Regulares ex iis coaleſcunt, qui certæ regulæ ab eccleſia approbatæ addicti perpetuo, & ſolemniter ſunt. Mediæ demum conſtant ex clericis, quæ ſub certa regula quidem vivunt, ſed quam pro arbitrio deſerunt, vel ſolemniter profeſſi non ſunt. His addi poſſunt confraternitates in eccleſiis erectæ, quæ licet ex ſolis fere laicis conſtent, quia tamen religionis quoque cauſſa inſtitutæ ſunt, ſi ab Epiſcopo perhibeantur approbatæ, inter eccleſiaſticas ſocietates referuntur: alias inter laicales, quales in dubio præſumi traditum eſt (✠1): quemadmodum & hoſpitalia (✠2). Loca pia, quæ per ſe ſubſiſtunt, ſive a laicis cum eccleſiaſticorum interventu adminiſtrentur, ſive etiam ab eccleſiaſticis perſonis, ad forum laicum pertinere vulgo placet, etiamſi inſtitutæ perhibeantur approbante Epiſcopo, vel ſummo Pontifice, quia approbatio hæc ad ea tantum referatur, quæ divinum cultum reſpiciunt; quin interſit, quod templa habeant, quæ unice collegii utilitati inſerviunt. Verum inter eccleſiaſtica loca connumeranda ſunt, quæ per ſe non ſubſiſtunt, ſed a corpore, ſeu collegio aliquo eccleſiaſtico dependent: tum hoſpitalia annexa ordini alicui religioſorum, qui ex vi ſui inſtituti hoſpitio recipiunt, & fovent infirmos, vel peregrinos, eccleſiaſtica reputantur; quia ſunt veluti acceſſorium illius ordinis. Quoad confraternitates ſtatutum fuit, bona, quæ ad eccleſiam pertinent, eccleſiaſtica reputari, non cætera. Tandem viſum fuit, ſacella, ubicumque extructa, quæ ad divina officia celebranda deſtinata ſunt, eccleſiaſtica cenſeri, ſicut etiam eorum bona: ſecus de aliis affirmandum, eorumque bonis.

(✠1) *V. Deciſ. 16. febr. 1675. refer. D. Rolando in cauſſa Marchion. Tanæ contra confraternit. Spiritus Sancti loci Simoni in princip., in qua traditur, confraternitates, quæ reguntur a laicis, & ad elemoſinas tribuendas ſunt inſtitutæ, loca pia quidem eſſe, ſed non religioſa. Deciſ. 10. decembris 1671. refer. D. Torrini in cauſſa Burochi, & Levis contra confraternitatem S. Laurentii.*

(✠2) *Deciſ. 23. junii 1708. refer. D. Torrini in cauſſa fratrum de Gobio contra D. Ribitellum, § Qualitas vero laicalitatis, ubi traditum eſt, hoſpitale dici non poſſe eccleſiaſticum, niſi edoceatur erectum auctoritate epiſcopi, & præterea eccleſiæ incorporatum ſit, V. & ad hanc rem epiſt. Senat. Pinerolienſis 10. maii 1718., ubi explicatur, quæ loca inter pia recenſeri debeant.*

DEFINITIO II.

An communitates veniant nomine perſonarum.

Univerſitates quidem omnes perſonarum vice fungi ſcripſit Modeſtinus (1):

Digitized by Google

ideſt veluti ſingularem perſonam conſiderari; ſed hæc juris fictio eſt, quæ in omnibus caſibus locum habere non poteſt; longe enim arctiores eſſe decet fictionis, quam veritatis limites. Hinc aliquando, quæ de perſonis dicuntur, etiam univerſitatibus conveniunt: aliquando diverſo jure reguntur univerſitates, & ſingulares perſonæ; prout juris fictionem æquitas admittit, vel reſpuit. Quin immo, cum univerſitates ex pluribus ſimul collectis perſonis conſtent, æquum eſt, ut potioribus quibuſdam juribus gaudeant, quæ ſingularibus perſonis æque non conveniunt. Si proprie, & ſtricte loquamur, communitas non venit nomine perſonarum: late venit: non tantum cum de univerſitatis commodo, vel onere agitur, ſed etiam cum quæſtio inſtituitur de interpretanda mente contrahentis, teſtatoris, vel legiſlatoris, an perſonarum appellatione univerſitates etiam comprehendere voluerint. In his porro attendenda eſt ratio, ſeu cauſſa diſponentis, teſtantis, vel contrahentis, & ejuſdem mens. Hinc, cum ſenatui propoſita fuiſſet ſpecies de herede gravato, ut penſionem quandam ſolveret, vel in pecunia numerata, vel aſſignando tot cenſus ſuper perſonis, quæ tamen ſolvendo eſſent, cenſuerunt patres ampliſſimi, poſſe aſſignari penſionem ſuper cenſibus, qui ab univerſitatibus debebantur, dummodo de jure, & de facto, ut pragmatici ajunt, eas ſolvendo eſſe conſtaret (✠2); æquitas ſuadet, ut perſonarum numero favore heredis gravati univerſitates intelligantur, cum alteri diſpendium non imminet.

(1) *L. Mortuo reo 22. ff. de fidejuſſorib.* (46. 1.)

(✠2) *Deciſ.* 5. *junii* 1648. *refer. D. Beccaria in cauſſa utrinque Comit. Ploſaſchi*, §. *Major tamen fuit difficultas.*

DEFINITIO III.

Univerſitates capaces ſunt omnium contractuum. An legata, & hereditates acquirere poſſint?

Univerſitates, niſi ſpeciali lege aliud cautum ſit, omnium contractuum capaces ſunt, quibus idonea reputantur ſingula reipublicæ membra (1). Hinc etiam legata (2), & hereditates accipere poſſunt, ſicut cives ſinguli (✠3): niſi ſpeciali lege prohibeantur, vel de collegiis illicitis, nec publica auctoritate probatis, agatur (4).

(1) *Ut colligunt omnes ex L. Civitatis* 27. *ff. de reb. credit.* (12. 1.)

(2) *L. Cum Senatus* 20. *ff. de reb. dub.* (34. 5.)

(✠3) *L.* 1., §. *Si autem collegium* 15. *ff. ad S. C. Trebell.* (36. 1.), *L. Hereditatis* 12. *cod. de hered. inſtit.* (6. 24.), *Deciſ.* 19. *junii* 1636. *refer. D. Piſcina in cauſſa Bernardini Cervæ Monaci Ciſtercienſis contra Cervam.* §. *Primo quia eccleſia.*

(4) *L. Collegium* 8. *cod. d. tit. de heredib. inſtit.*

DEFINITIO IV.

Univerſitates in judicio per ſindicum agunt, & conveniuntur. Hoſpitale agere poteſt ad obtinenda, quæ pauperibus relicta ſunt.

Nec actuum tantummodo, qui extra judicium expediuntur, quælibet univerſitas capax eſt, ſed etiam in judicio jura ſua, non quidem per ſe ipſam, ſed per actorem, ſeu ſyndicum proſequi poteſt (1); & viciſſim, ita ſuadente æquitate, ab aliis conveniri (2). Hinc cenſuit Senatus, hoſpitale poſſe agere ad conſequenda ea, quæ pauperibus relicta ſunt (✠3); tum quia pro cauſſa pia cuilibet de populo agere licet (4); tum quia ex

Regiis edictis actionis hujus proſecutio præcipue ad hoſpitale pertinet, cui cura pauperum ſpeciatim incumbit (5).

(1) *L. 1., §. 1., L. Si municipes 2. & l. 3. ff. hoc tit. quod cujuſque univerſitat., nom.in., vel contra eam agatur.* (3.4.)

(2) *L. Sicut municipum 7. ff. hoc tit. quod cujuſq. univerſit.*

(✠3) *Deciſ. 14. januarii 1732. refer. D. Demorra in cauſſa Raconixienſis hoſpitalis pauperum contra Vialem, & Gandulſum, §. Non dubitabatur.*

(4) *L. Mutus, & ſurdus 43. §. In popularibus 2. ff. de procuratorib.* (3. 3.)

(5) *Edic. 17. april 1717., & edic. 2. julii 1719.*

DEFINITIO V.

Univerſitas delicti capax eſt.

Quemadmodum univerſitates capaces ſunt omnium contractuum (Defin. III.), atque actuum judicialium (Defin. præced.), ita etiam delicti rea fieri poteſt, & inde pœnæ ordinariæ ſubjici (1): immo placet, univerſitatem puniri poſſe, ſi tota, vel ſaltem major pars populi deliquerit agendo, vel ſaltem mandando (✠2);

(1) *Auth. Nulla communitas poſt l. 2. cod. de Epiſcop., & clericis* (1. 3.)

(✠2) *Deciſ. 2. februar. 1662. refer. D. Ocelli in cauſſa univerſitat. Viveroni contra Joanettum per tot.*

DEFINITIO VI.

Adminiſtratores negotia univerſitatum gerere non poſſunt, niſi legitime electi fuerint.

Univerſitatum conſiliarii, & adminiſtratores, ſi jus commune inſpiciamus, a ceteris eliguntur (1), ſeu a conſilio univerſitatis (2), ſervatis ſolemnibus jure præſtitutis; futurum alioquin, ut viribus careat electio (✠3): inter has autem ſolemnitates ordine prima eſt, quæ reſpicit legitimam convocationem conſiliariorum, quæ olim etiam pulſata campana, vel ſono tubæ fieri poterat, nec fieri neceſſe erat voce præconis, quod propter convocandorum multitudinem ſæpe nimis incommodum fuiſſet (✠4); hodie vero apud nos, imminuto conſiliariorum numero, voce præconis omnino fieri debet (5).

(1) *L. Nulli 3. ff. hoc tit. quod cujuſq. univerſitat.* (3. 4.)

(2) *V. Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtrat. univerſit. ſeu communit. tit.* 2. §. 1.

(✠3) *Deciſ. 8. februar. 1664. refer. D. Demazzettis in cauſſa univerſit. Corniati contra opponentes, §. Primo quia omnis actus, num. 5.*

(✠4) *L. Obſervare 2. cod. de decurionibus (10. 31.), V. deciſ. 5. junii 1665. refer. D. Sandiliano in cauſſa Vaſſallorum feudi monalis contra univerſit. ejuſdem loci, §. Senatus decidit, Deciſ. 17. decembris 1686. refer. D. Rolando in cauſſa Confraternit. Jeſu, & prætendentium in hereditate quondam Auguſtini Merlo, §. Immo quoad effectum, Deciſ. 18. junii 1722. refer. D. Richelmi in cauſſa Comit. de Belgiojoſo contra Communit. Satiranæ, §. De jure autem, num. 52.*

(5) *V. dictum Reg. diploma 6. junii 1675. de adminiſtrat. communitat. tit. 1, §. 2. ad 7.*

DEFINITIO VII.

An valeat, quod ab adminiſtratoribus ſolemniter non vocatis geſtum eſt, ſi omnes interfuerint?

Quæri ſolet, an valeant actus geſti ab univerſitatum adminiſtratoribus, qui more ſolito, ideſt voce præconis, campanæ, vel tubæ ſonitu vocati non fuerint (Defin. præced.), ſi omnes conſilio interfuiſſe conſtet: negant aliqui;

affirmant plures (✠1), legitimam convocationem in eo tantum caſu neceſſariam eſſe exiſtimantes, quo omnes conſiliarii non convenerint, ſed duæ tantum partes ex tribus, quæ tamen ſufficiunt (2) cum legitima convocatio præceſſit. Si autem omnes omnino præſentes ſint, quamvis legitime non fuerint vocati, nihil obeſt, quominus integram univerſitatem repræſentent, adeoque ejuſdem nomine, & auctoritate agere, & decernere poſſint; convocationis enim legitimæ neceſſitas eo pertinet, ut nemo a conſilio temere excludatur: quæ ratio ceſſat, cum, quamvis fortuito, omnes tamen in unum convenerunt.

(✠1) *Deciſ.* 14. *junii* 1673. *refer. D. Rafino in cauſſa Baronis a Valdiſſeria contra Communit. Monaſterolii in fine principii, Deciſ.* 30. *auguſt.* 1736. *refer. D. Caſſotti in cauſſa loci pii S. Coronæ & Marchion. Phœbi de Adda contra Civit. Mortariæ*, §. *Quæ cum ita ſint, ubi ita deciſum dicitur in d. deciſ.* 14. *junii* 1673, *&* 4 *februar.* 1689. *in cauſſa Oſeliæ, & Favetti refer. D. Abecleſia, &* 14. *junii* 1685. *in cauſſa Camelli, & comm. Cerioni refer. D. Torrini*, §. *Verum hæc omnia. Atque additur in d. deciſ. refer. D. Caſſotti; ex obſervantia tranſactionis induci præſumtionem citationum legitime factarum*, §. *Præterquam alio decreto.*

(2) *V. infra defin. IX.*

DEFINITIO VIII.

Judicis interventus neceſſarius eſt in conſiliis univerſitatum. An nulli alioquin ſint actus?

Judicis quidem interventus tum romano (1), tum patrio jure (2) deſideratur in conventibus communitatum: ſed non deſinit legitima eſſe conſilii congregatio ex eo, quod judicis præſentia deſit, ſi jus commune ſpectemus (✠3); eo enim præcipitur quidem judex obſervare, ut decuriones ſolemniter convocentur, non autem ejuſdem interventus conſilio deſideratur (4). Excipiendus eſt caſus, quo de alienandis rebus immobilibus univerſitatum agatur; tunc enim omnino neceſſarius eſt judicis interventus (✠5).

(1) *L. Obſervare* 2. *cod. de decurionibus* (10. 31.)

(2) *Reg. diplom.* 6. *junii* 1775. *de adminiſtration. univerſitat. tit.* 1., §. 7.

(✠3) *Deciſ.* 8. *maii* 1730. *refer. D. Demorra pro D. Protopræſide in Regia Camera Joanne Chriſtophoro De Zoppis contra Communit. Oppidi caſſinarum in fine principii.*

(4) *D. L.* 2. *cod. de decurionib.*

(✠5) *L. ult. cod. de vend. reb. civit.* (11. 30.), *Deciſ.* 22. *martii* 1678. *ref. D. Torrini in cauſſa Blanci contra Valfrè*, §. *Primo mandatum.*

DEFINITIO IX.

Sufficit, duas ex tribus conſiliariorum partibus intereſſe conſiliis univerſitatum.

Omnes quidem univerſitatis conſiliarii vocari debent, ut legitima cenſeatur congregatio, non tamen omnes adeſſe oportet; ſufficit duas ex tribus partibus intereſſe (✠1); ut enim ait Ulpianus, refertur ad univerſos, quod publice fit per majorem partem (2). Nec immerito ita lex fingit; quia difficile eſt, ut omnes conveniant; nec æquitas patitur, ut propter moram, aut negligentiam decurionum res univerſitatis, non ſine gravi ejuſdem detrimento, in ſuſpenſo maneant. Non deſunt, qui putant, non ſufficere ad decretorum vim, ſi in inſtrumento dicatur, conſiliarios legitime convocatos fuiſſe, niſi ſimul exprimatur, duas ex tribus conſiliariorum partibus adfuiſſe; quia ea, quæ de ſubſtantia actus ſunt, omnino exprimi debeant. Sed rectius negant alii, ſi de legitima congregatione aliunde conſtet: puta te-

Digitized by Google

ſtibus, ſubſcriptione conſiliariorum, & ſimilibus indiciis (✠3).

(✠1) *L. Lege autem 3. ff. de decret. ab ord. faciend.* (50. 9.), *Oſaſc. deciſ. 30. num. 2, Deciſ. 21. junii 1656. refer. D. Delaude in cauſſa Communit. Caſſini contra Gobettum, §. Quoad ſecundum, Deciſ. 18. junii 1722. refer. D. Richelmi in cauſſa Comit. de Belgiojoſo contra communit. Sartiranæ, §. Redeundo autem, num. 50, d. deciſ. (defin. praeced.) ref. D. Demorra* 8. *maii 1730. in princip., Deciſ. 8. februar. 1664. refer. D. Demazzettis in cauſſa univerſit. Corniati contra opponentes, §. Neque vim facit n. 16, Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtratione communit. tit. 1., §. 7.*

(2) *L. Aliud eſt 160. ff. de Reg. Jur.*

(✠3) *Deciſ. 24. januar. 1673. refer. D. Balegno in cauſſa Comit. Lombriaſchi contra Communit. ejuſdem loci, §. Neque allegari poteſt, Deciſ. 8. junii 1657. ref. D. Gallcani in cauſſa Petrinæ contra communit. Ploſaſchi, §. Ulterius inſtrumentum, Loſæus de jure univerſit. part. 1. cap. 3. num. 80., V. Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtrat. communitat. tit. 1., §. 13., ubi decreta ſubſcribi, vel ſignari jubentur ab omnibus conſiliariis, qui interfuerunt. Junge infra definit. XVI.*

DEFINITIO X.

Conſuetudine induci poteſt, ut major pars decurionum deſideretur in conventibus univerſitatum.

Statuto legitime condito, vel conſuetudine legitime inducta fieri poteſt, ut major pars decurionum intereſſe debeat conventibus univerſitatum, nec duæ ex tribus partibus ſufficiant; cum eadem ſive ſtatuti, ſive conſuetudinis vis ſit, ac legis; ſed conſuetudo hæc non præſumitur, niſi probetur: neque fides habetur actibus, quibus hæc adſtruatur, ſi actus illi in archivio Communitatis deſcripti non fuerint, prout generatim requiritur ut probent actus communitatis (✠1).

(✠1) *Deciſ. 25. auguſt. 1733. ref. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca, Oleenenghi, & Caſtri veteris cont. commun. Lucernæ veteris, §. Sed inanis prorſus, Fab. cod. de probation. lib. 4. tit. 14. def. 58, & 61.*

DEFINITIO XI.

Univerſitatum conſiliarii in locum publicum, & conſuetum, excepto neceſſitatis caſu, convenire debent.

Legitime congregata non cenſetur univerſitas, niſi in locum publicum, & ſolitum omnes convenerint (✠1): niſi graviſſimum obſtet aliquod impedimentum, puta belli, peſtis, & ſimilium (✠2); neceſſitas enim, quæ ſub lege non eſt, excuſat a ſolemnibus (3).

(✠1) *L. Ult. cod. de legationibus* (10. 63.), *L. Obſervare 2. cod. de decurionib.* (10. 31.), *Deciſ. 5. junii 1665. refer. D. Sandiliano in cauſſa Vaſſallorum feudi Monalis contra Univerſit. ejuſdem loci, §. Senatus decidit, Deciſ. 14. junii 1673. refer. D. Raſino in cauſſa Baronis a Valdiſſeria contra communit. Monaſterolii in princip., Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtrat. communit. tit. 1., §. 7.*

(✠2) *Loſæus d. par. 1. cap. 3. num. 72, Deciſ. 10. ſeptembr. 1674. ref. D. Gabuti in cauſſa DD. de Graneriis contra univerſit. Cariniani, §. Secundo ultra præfatam conſuetudinem, num. 6, Deciſ. 25. Aug. 1733. refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca, Comit. Oleenenghi, & Caſtri veteris contra communit. Lucernæ veteris, §. Attendebatur inſuper.*

(3) *L. Aliquando 5. ff. de offic. Proconſul.* (1. 16.), *L. Alienationes 13. ff. famil. ercifcund.* (10. 2.)

Digitized by Google

DEFINITIO XII.

Qui eligi poſſint univerſitatum conſiliarii?

Cum publice interſit, ut negotia univerſitatum gerantur ab adminiſtratoribus gerendo, & ſolvendo idoneis; cautum idcirco, ut non niſi illi, qui in loco morantur, & ibi bona poſſident, (ut ita cautum ſit Regio fiſco, univerſitati, & creditoribus) tum honeſti nominis, bonis moribus præditi, & qui artes viles non exerceant, ad officia univerſitatum aſſumantur; quia dignitatem quoque, & honorem in univerſitate habere videntur, qui hiſce funguntur muneribus (✠1). Hinc apud Romanos infames non ſolum a ſuſcipiendo decurionatus munere, ſed & a ſuſcepto removebantur (2), nec libertus, qui jus annullorum aureorum adeptus non fuiſſet, vel natalibus reſtitutus, ad decurionatus dignitatem aſpirare poterat (3).

(✠1) *Deciſ.* 8. *februar.* 1664. *refer. D. Demazzettis in cauſſa univerſitat. Corniati contra opponentes*, §. *Quo vero ad oppoſitiones*, *num.* 19., *L. Cum decurionatus* 3., *L. Ad ſubeunda* 46. *cod. hoc tit. de decurionib.* (10. 31.), *L. Spurii* 6. *ff. eod. tit. de decurionib. & filiis eor.* (50. 11.), *Edict. D. Amedei* 1. 23. *decembris* 1634., *ubi etiam exigitur*, *ut ſufficientibus facultatibus in eodem loco inſtructi ſint, nec ob præteritam adminiſtrationem debitores. Atque eadem præſcribuntur edic. D. Chriſtinæ* 31. *decembr.* 1646. *Borel. pag.* 1102., *& ſeqq.*, *& d. Reg. diplom.* 6. *junii* 1775. *de adminiſtration. communitat. tit.* 2., §. 2, *& ſeqq.*

(2) *L. Infamia* 8. *cod. hoc tit. de decurionib.*

(3) *L.* 1., *&* 2. *cod. ſi ſerv.*, *aut libert. ad decurionat. aſpir.* (10. 32.)

DEFINITIO XIII.

Univerſitas invita non cogitur adminiſtratorem ſuſcipere, nec novum ſecretarium, minori licet ſalario.

Non ſicut municipes inviti coguntur adminiſtrationem ſuſcipere (1), ita univerſitas cogi poteſt eos admittere qui ſponte ſe offerunt; immo potius ſuſpecti videntur, qui graviſſimum onus ambiunt, atque eo ipſo rejiciendi; maxime ſi pecuniam obtulerint, ut admitterentur (2); quemadmodum de iis diximus, qui tutelæ, vel curæ, ſe ſponte immiſcere volunt (3). Hinc ex rationis identitate jure placuit Senatui, communitatem invitam cogi non poſſe, ut novum ſecretarium ſuſcipiat, quamvis ſe ſe offerat minori ſalario (✠4); tum quia eo ipſo videtur ſuſpectus, qui judicio contendit, ut in antiqui ſecretarii locum ſubrogetur; tum quia non debet communitas invita, procuratorem accipere (5). Neque favere viſa eſt ſalarii oblata deminutio; quia non debet communitati invitæ beneficium conferri (6), ſi tamen beneficium eſt.

(1) *L.* 1, *L. Prætor.* 13., §. *Qui autem* 2. *ff. de vacat.*, *& excuſat. muner.* (50. 5.), *L. Ad magiſtralem* 28. *eod. hoc. tit. de decurionib.* (10. 31.), *Reg. diplom.* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. univerſit. tit.* 2., §. 8., *& ſeqq.*

(2) *L. Æſtimationem* 15. *princip.*, *&* §. 1. *ff. de muneribus*, *& honoribus* (50. 4.)

(3) *V. Supra de ſuſpect. tutorib. lib.* 1. *tit. XXIX. defin. III.*

(✠4) *Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1654. *ref. D. Dalmazzono in cauſſa communit. Pecetti contra Brunerium per tot.*, *V. Reg. diploma* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. univerſitat. tit.* 3., §. 1., *&* 5.

(5) *L. Invitus* 17. *cod. de procurat.* (2. 13.)

(6) *L. Invito* 69. *ff. de Reg. Jur.*

Digitized by Google

DEFINITIO XIV.

Univerſitas obligari non poteſt, niſi legitime congregata fuerit.

Ut communitas ex contractu obligetur, inprimis requiritur legitima conſilii congregatio (✠1): ſcilicet conſiliarii, ſyndici mandato, congregari debent in loco ſolito, præcedente citatione verbali facta a præcone, ſonitu campanæ, aut voce tubæ, & cum aſſiſtentia judicis (✠2); cum enim omnia hæc neceſſaria ſint, cum de decurionnm electione agitur (defin. VI.) potiori ratione ſervari debent, quoties univerſitas obliganda eſt (3). Receptum tamen vulgo eſt, ut congregatio in antiquis legitima præſumatur (4).

(✠1) *Deciſ. 17. decembris 1686. refer. D. Rolando in cauſſa Confraternitatis Jeſu, & prætendentium in hereditate Merlo, §. Immo, quia ad effectum.*

(✠2) *Ita in Deciſ. 7. junii 1666. refer. D. Bellino in cauſſa Georgis contra Commuitat. Caſalis Borgoni, §. Primo, quod licet, L. Obſervare 2. cod. hoc tit., de decur.* (10.31.) *Dec. 2. ſept. 1647. in cauſſa Ciſaletti contra Communitat. Salatiæ, & Caniſchii refer. D. Piſcina, Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtr. communitat. tit. 1. §. 7., & ſeqq., & tit. 2. §. 16.*

(3) *L. Arianus ait 47. ff. de obligat., & action.* (44. 7.)

(4) *Loſæus de jure univerſitat. part. 1. cap. 3. num. 80.*

DEFINITIO XV.

Univerſitas ex contractu non obligatur, niſi præceſſerit matura deliberatio, & juſta ſit obligationis cauſſa.

Præterea requiritur matura deliberatio (✠1); cum enim adminiſtratores univerſitatum tutorum, & curatorum vice fungantur (✠2): immo diligentius proſpicere debeant univerſitatis utilitati, quatenus communis utilitas privatæ longe præſtat, nonniſi prævia matura deliberatione, & diligenti inquiſitione, in univerſitatis obligationem conſentire debent; ne ex præcipiti feſtinatione ei noceant, cujus commoda tum ex vi officii, tum ex inſito patriæ amore, tum & ex propriæ utilitatis ratione curare debent. Juſtam quoque obligationis cauſſam adeſſe opus eſt (✠3); cum nec ſubſiſtant obligationes eorum, qui libere de rebus ſuis diſponunt, niſi juſtam habeant ſe ſe obligandi cauſſam (4): cauſſa autem hæc utilitas publica eſt: univerſitas enim ob commoda privatorum gravari non debet (✠5); quemadmodum nec privati univerſitatis obligationes ſuſtinent. Non tamen omnino opus eſt, ut ſpecifice exprimatur cauſſa obligationis; ſi enim Principis diſpenſatio intervenerit, præſumtio pro veritate ſtabit, quamvis vage tantum, & generice cauſſa expreſſa fuerit (✠6). Apud nos decreta ab ordine decurionum facta executioni mandari non poſſunt, niſi a provincialium tributorum præfecto probata fuerint (7).

(✠1) *Deciſ. 17. martii 1732. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Rotarii, & Communit. Sancti Stephani in princip., V. Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtrat. univerſitat. tit. 1. § 11.*

(✠2) *Deciſ. 8. junii 1657. refer. D. Galleani in cauſſa Petrinæ contra Communitat. Ploſſaſchi, §. Atque, etiamſi inſtrumentum.*

(✠3) *D. Dec. (defin. præc.) 7. junii 1666. ref. D. Bellino, §. Secundo quod, d. Dec. refer. D. Demorra, in princip., & §. ſeq., Deciſ. 30. auguſti 1736. refer. D. Caſſotti in cauſſa loci pii Sanctæ Coronæ, & Marchion. Phœbi de Adda contra Civitat. Mortarii, §. Verum ex tribus, & ſeqq., ubi nullus habitus fuit cenſus a Civitatis procuratoribus venditus, ut graviores uſuras, ſicut ipſi aſſerebant, re-*

dimerent: ſed de creditis, ex quibus graviores hæ uſuræ penderentur, non conſtabat. Deciſ. 18. junii 1722. refer. D. Richelmi in cauſſa Comit. de Belgiojoſo contra Communit. Sartiranæ, §. In hæc conferunt, num. 87., & num. 110.

(4) *L. 1. princip., & §. ſeqq., & tot. tit. ff. de condict. ſine cauſſa* (12. 7.)

(✠5) *L. Sicut municipum 7. §. 1. ff. quod cujuſq. univ. nom.* (3. 4.), *Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Communit. Antignani, & fratrum de Malabaila, §. Secundo quia, in fine, d. Deciſ. refer. D. Demorra 17. martii 1730., §. De cauſſa publica.*

(✠6) *Deciſ. 8. maii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa D. Protopræſidis De-Zoppis contra Communitat. oppidi Caſſinarum, §. Quo vero ad ſolemnitatem, num. 3.*

(7) *Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtration. communitat. tit. 1. §. 13, & 14.*

DEFINITIO XVI.

Conſilii ordinarii auctoritas regulariter ſufficit, ut communitas obligetur: aliquando tamen congregatio fit per capita domorum: vel ſuperadduntur conſiliarii.

Ut communitas obligetur, requiri diximus legitimam conſilii convocationem, & congregationem (definit. XIV.), quo innuimus, regulariter ſufficere in contractibus univerſitatis auctoritatem conſilii ordinarii (✠1); quippequod univerſitatem integram repræſentet. Non tamen neceſſe omnino eſt, ut exprimatur, duas ex tribus partibus conſilio interfuiſſe, ſi modo hoc aliunde probari poſſit: puta teſtibus, vel ſubſcriptione conſiliariorum (✠2). Quidam tamen caſus ſunt magis ardui, in quibus conſilium ordinarium non ſufficit, ſed omnium, & ſingulorum conſenſus requiritur; videlicet, cum agitur de contractu, qui reſpicit ſingulos uti ſingulos (✠3); æquum eſt, ut ab omnibus probetur, quod ſingulos ſingillatim tangit (4). Quamquam, ſi cauſſa neceſſaria ſit, & publicum bonum omnium reſpiciat, ſufficit, ſi duæ ex tribus univerſitatis partibus interveniant, & major pars conſentiat; ne alioquin ex aliquorum temerario, & pervicaci diſſenſu publica utilitas præpediatur (✠5), quemadmodum in decretis a conſilio decurionum condendis traditur (6): quod ſi non ita gravis momenti ſit negotium, nec ſingulos uti ſingulos tangat, conſiliarii ſuperaddi poſſunt, prout videbitur provincialium tributorum præfecto (7).

(✠1) *Deciſ. 24. januarii 1673. refer. D. Balegno in cauſſa Comit. Lombriaſchi contra Communitat. ejuſdem loci, §. Neque obſtat, quod dicitur: dummodo tamen adſint duæ partes ex tribus conſiliariorum, nec prodeſt mandatum ſuperioris, ex quo omnes vocati fuerint, ut contumaces pro præſentibus habeantur, Deciſ. 20. decembris 1688. refer. D. Manaſſerio in cauſſa Univerſitat. Viuci contra particular. ejuſdem loci, §. Nec refragari.*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Manaſſerio, §. Neque allegari poteſt.*

(✠3) *Deciſ. 17. martii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa D.D Comit. Rotarii contra Communit. Sancti Stephani, in princip., V. Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtrat. communitat. tit. 1. §. 21., & 22., ubi regulæ præſcribuntur in hiſce caſibus ſervandæ.*

(4) *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari cap. 29. extra de reg. jur. in 6.* (5. 13.)

(✠5) *D. Dec. ref. D. Demorra in princ.*

(6) *L. Nominationum forma 45. cod. hoc tit. de decurionib.* (10. 31.), *L. Lege autem 3. ff. de decret. ab ordin. fac.* (50. 9.), *V. ſupra defin. IX.*

(7) *D. Reg. diploma tit. 1. §. 16., & ſeqq.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVII.

Univerſitas non obligatur ex facto rectorum, niſi hi legitimum mandatum habeant. Quid ſi pecunia verſa ſit in rem univerſitatis?

Univerſitas ex facto rectorum non obligatur, niſi præceſſerit legitimum mandatum, & probetur verſio pecuniæ in ejuſdem utilitatem (✠1). Inprimis legitimum mandatum requiritur, cujus fines diligenter cuſtodiantur; futurum alioquin, ut nullius roboris ſit contractus (✠2); quamvis enim dici ſoleat, ſyndicum legitime conſtitutum ab univerſitate habere legitimam adminiſtrationem, & mandatum cum libera, ita ut expedire poſſit omnia, quæ requirunt mandatum ſpeciale (3), quippequi æquiparatur tutori, & curatori (4); unde etiam conſtitutum, ut citatio communitatum fiat in perſonam ſyndicorum, conſulum, vel rectorum (5); poteſtas tamen hæc ſuis limitibus circumſcribenda eſt, ut rectoribus univerſitatis ea tantum permittantur, quæ recta adminiſtratio, & publica utilitas poſtulant; non ut impune univerſitati noceant: quemadmodum de tutoribus traditur (6); qui tamen, quantum ad providentiam pupillarem pertinet, dominorum loco habentur (7). Quare univerſitas ex hujuſmodi contractu non obligatur, niſi pecunia ad eam pervenerit; quo caſu non tam ex contractu, ſed potius ex re ipſa obligari æquum eſt (8); ne cum alterius diſpendio univerſitas locupletetur (9). Quod ſi fingamus, ſyndicum habere mandatum cum libera, eique ab univerſitate permiſſa fuiſſe, quæcumque etiam mandatum ſpeciale requirerent, non ideo obligare poteſt univerſitatem in rebus, quæ ad ipſam non pertinent: ſicuti nec donare, aut gratificari (10). Receptum tamen eſt, ut procurator univerſitatis ad omnes, & ſingulas cauſſas conſtitutus etiam pro futuris conſtitutus reputetur (11).

(✠1) *Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Communit. Antignani, & fratrum de Malabaila per tot., Deciſ. 6. ſeptembris 1673. refer. D. Gabuti in cauſſa Univerſitat. Ripularum contra Dolium, §. Quo vero ad alia, Dec. 23. junii 1646. refer. D. Pattarini in cauſſa Medici Caroeii contra Communitat. Cervaſchæ, per tot.*

(✠2) *Deciſ. 14. decembris 1649. ref. D. Piſcina in cauſſa Roſæ contra Communitat. Ripaltæ, per tot., ubi communitas mandaverat adminiſtratoribus, ut pecuniam mutuam acciperent, ipſi vero acceperant tot merces, quæ nec probabantur verſæ in rem communitatis: adeoque communitas fuit abſoluta; ſed ſi legitimum ſit mandatum, univerſitas per adminiſtratores obligatur, niſi aliquid obſtet, Deciſ. 27. auguſti 1656. refer. D. Bellino in cauſſa Mela contra Communitat. Viveroni, §. Pro actrice, & ſeqq.*

(3) *Ut ex plurimorum ſententia tradit Abecceleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſerv. 117. num. 4., & 5.*

(4) *L. Curatores 3. ff. hoc tit. de adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent.* (50. 8.)

(5) *Abecceleſ. ibid. num. 7, 8, & 9., Reg. conſtit. lib. 3. tit. 3. §. 19.*

(6) *In L. Quid ergo 3. ff. de contr. tut. & utili act.* (27. 4)

(7) *L. Tutor 27. ff. admin., & perie. tutor.* (26. 7.)

(8) *L. Si me, & Titium 32. ff. de reb. cred.* (12. 1.)

(9) *L. Nam hoc natura 14. ff. de condict. indebit.* (12. 6.)

(✠10) *Loſæus de jure univerſit. part. 1. cap. 3. num. 114., Deciſ. 7. februarii 1646. refer. D. Barberis in cauſſa Alberti contra Civit. Hiporediæ, ubi Albertus militibus vinum erogaverat, quod ab uno ex adminiſtratoribus fuerat æſtimatum, ad juſſionem ejus, qui ſe gubernationi ejus civitatis præpoſitum aſſerebat; cum tamen de juſſione non conſtaret.*

Digitized by Google

(11) *Theſ. dec. 59. num. 2.* ✠

DEFINITIO XVIII.

Confeſſio ſyndici non nocet communitati. Quid de oppoſitione contractui, vel promiſſa indemnitate?

Hinc etiam Senatui placuit, nec tacitam, nec expreſſam confeſſionem ſyndici univerſitati nocere ad eam obligandam; niſi confeſſio illa convocato conſilio fuerit ratificata: adeoque non obligari univerſitatem ex intimatione facta in perſonam ſyndici, vel exactoris, qui tacuit, nec contradixit, niſi impetrans poſtea juſtificaverit debitum communitatis (✠1). Atque, quia correlativorum eadem eſſe debet ratio, definitum pariter fuit, oppoſitionem ſine mandato factam a procuratore vitii, ſeu, ut loquuntur, nullitatis contractus nullius roboris eſſe (✠2); quemadmodum nec indemnitas a ſyndico promiſſa obligat univerſitatem, niſi ſecuta ratihabitione (✠3).

(✠1) *Abecceleſia obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 202. num. 16., Deciſ. 26. martii 1643. refer. D. Piſcina in cauſſa Brignoni contra Delphinum, §. In hoc autem caſu.*

(✠2) *Deciſ. 9. ſeptembris 1682. refer. D. Gabuti inter Communitat. Bagnaſci, & Presbyterum Julium Romana, §. Reſpondebatur, Fab. cod. de procuratorib. lib. 2. tit. 8. defin. 7. Ita habetur in Deciſ. 25. auguſti 1733. refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca contra Communitat. Lucernæ veteris, & D. Procuratorem General., §. Poſſunt quidem, Fab. cod. de procuratorib. lib. 2. tit. 8. def. 1.*

(✠3) *Deciſ. 23. junii 1678. refer. D. Gabuti in cauſſa Civitat. Taurini contra Pennatium in fine, Fab. d. definit. 7. in fine.*

DEFINITIO XIX.

Mandatum ſpeciale in rebus gravioris momenti requiritur, ut communitas ex facto rectorum obligetur? An mandatum præſumatur?

Generale mandatum regulariter ex communi ſententia non ſufficit, ut communitas ex facto adminiſtratorum obligetur, ſed ſpeciale requiritur (✠1), præterquam in rebus levioris momenti. Nec ſufficit mandatum allegari, ſed omnino exhibendum eſt (2), ut de eo certo conſtet, & fraudibus via præcludatur: poteſt tamen mandatum etiam ex poſt facto exhiberi (✠3); non enim ad formam contractus ejus editio pertinet, ſed ad probationem. Mandatum ergo regulariter non præſumitur, ſed ab allegante probandum eſt (✠4); cum res facti ſit (5). Si tamen verſemur in antiquis, indiciis etiam, & præſumtionibus probari poteſt; quemadmodum de conſilii congregatione diximus. Immo etiam in actibus continuis, & ſucceſſivis ſufficere poſſe ſcientiam, & patientiam, traditum eſt (✠6); quia mandare videtur, qui non contradicit, quominus alter de re ſua diſponat (7).

(✠1) *Fab. cod. de procuratorib. lib. 2. tit. 8. defin. 7. in fine, Loſaus de jure univerſit. part. 3. cap. 4. num. 11., d. Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Communitat. Antignani, & fratr. de Malabaila, §. Primo, quia ſyndici, Deciſ. ann. 1654. refer. D. Beccaria in cauſſa particularium Vallis Sancti Nicolai contra Communitat. Biolii, in princip.*

(✠2) *Deciſ. 19. decembris 1685. ref. D. Caſtelli in cauſſa Montis pietatis Bugellarum contra Communitat. Muſſani, per tot., Deciſ. 17. decembris 1686. refer. D. Rolando in cauſſa Confraternitat. Jeſu, & prætendentium in hereditate*

Digitized by Google

Merlo, §. *Immo, quia ad effectum. Referenti enim non creditur, ut ajunt pragmatici, niſi conſtet de relato. Auth. Si quis in aliquo, poſt L. 7. cod. de edendo* (2. 1.)

(✠3) *Deciſ. 12. decembris 1659. refer. D. Bellino in cauſſa Præpoſiti Cravetti contra Communitat. Ploſaſchi*, §. *Verum cum ab initio, argum. L. Si donatio 5. cod. de donationib.* (8. 54.)

(✠4) *D. Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Communitat. Antignant, & fratr. de Malabaila*, §. *Primo, quia ſyndici.*

(5) *L. Ab ea parte 5. princ.*, & §. 1. *ff. de probat.* (22. 3.)

(✠6) *Deciſ. 9. januarii 1755. refer. D. Villata in cauſſa Capituli Sancti Euſebii Vercellenſis contra Comit. Paſtoris a Saluggia*, §. *Enim vero, quamvis, num. 52., ubi de adminiſtratore rei ad Capitulum pertinentis, qui in pios uſus, & in Eccleſiam impenderat ſciente, & probante Capitulo.*

(7) *L. Semper 60. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XX.

Quibus indiciis mandatum univerſitatis præſumatur.

Mandatum univerſitatis hiſce conjecturis præſumi, & probari poteſt: ex diuturnitate temporis: ex ſcientia, & patientia, ex impoſitione collectarum ad ſolvendum debitum per adminiſtratores contractum (✠1). Addi poteſt ſpecifica ejus deſignatio cum anno, & die, & notatio, a quo fuit receptum: natura obligationis, quæ ſine mandato fieri non ſoleat, ſolutio ſubſecuta (✠2). Immo viſum eſt Senatui, mandatum ſatis probatum ex eo, quod in pede inſtrumenti contractus regiſtratum ſit, ſi regiſtrum ſit authenticum, & ſubſcriptum a notario, qui recepit inſtrumentum (✠3). Tum ex ſpecifica inſtrumenti enunciativa, ſi adſint adminicula, veluti diuturnitas temporis, confeſſio ab univerſitate aliquando facta inter partes (✠4). Sed ſatis non demonſtratur ex diuturnitate temporis, enunciativa inſtrumenti, quæ ſpecifica non ſit; neque ex notarii dicto, ſi alia non concurrant adminicula (✠5). Nec odio tertii per verba enunciativa inſtrumenti, licet enuncietur per annum, menſem, diem, & notarium (✠6).

(✠1) *Ita in Deciſ. 30. auguſti 1649. refer. D. Barberis in cauſſa Peræ contra Communitat. Violæ, & particulares obligatos*, §. *Et quoad communitatem, Menoch. de præſumtionib. lib. 2. præſumt. 33. num. 7, & ſeqq.*

(✠2) *Deciſ. 19. novembris 1673. refer. D. Balegno in cauſſa Ferraris contra Univ. Hæbreorum in princ., Menoch. ibid. num. 12, & 13.*

(✠3) *Deciſ. 8. aprilis 1650. refer. D. Barberis in cauſſa Lamberti contra Communitat. Alliani, in fine, Menoch. ibid. num. 9.*

(✠4) *Deciſ. 20. martii 1656. refer. D. Delaude in cauſſa Gardini contra Communitat. Elvæ*, §. *In affirmativa, Menoc. ibid. num. 10, & 19.*

(✠5) *Deciſ. 31. januarii 1656. refer. D. Abeccleſia in cauſſa Saraceni contra Communitat. Murræ*, §. *His tamen non obſtantibus.*

(✠6) *L. Optimam quæſtionem 14. cod. de contr., & commit. ſtipulat.* (8. 38.), *Deciſ. 20. decembris 1659. refer. D. Delaude in cauſſa Soldani contra Communit. Govoni, per tot.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXI.

Ratihabitione expreſſa, vel tacita convaleſcit contractus perperam ab adminiſtratore univerſitatis geſtus.

Cum ratihabitio mandato æquiparetur (1), nemini dubium, quominus ratihabitione convaleſcat contractus, qui prius, legitimo univerſitatis mandato deficiente, viribus erat deſtitutus (✠2): nec expreſſa ratihabitio neceſſaria eſt, ſed ſufficit tacita, quæ ex legitimis conjecturis eruatur; quia taciti, & expreſſi in iis, quæ a libera voluntate pendent, eadem vis eſſe, ſolet (3). Quare ex impoſitione annuæ præſtationis per univerſitatem factæ viſum eſt Senatui, induci tacitam ratihabitionem cenſus ab ejus procuratore venditi (✠4).

(1) *L. ult. cod. de Senat. conſult. Macedon.* (4. 28.), *L. Semper* 60. *ff. de reg. jur.*

(✠2) *Deciſ.* 24. *januarii* 1730. *refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solario a Doliano contra Communitat. Turris a ſancto Georgio*, §. *His & aliis*, *ubi de alienatione agebatur*, *Deciſ.* 19. *novembris* 1673. *ref. D. Balegno in cauſſa Ferraris contra Univerſit. Hebræor.*, §. *Tandem & verbo*.

(3) *D. L.* 60. *ff. de reg. jur.*, *L. Cum quid mutuum* 3. *ff. de rebus credit.* (12. 1.)

(✠4) *Deciſ.* 17. *aprilis* 1684. *refer. D. Gabuti in cauſſa Marchion. a Sancto Germano contra Univerſitat. Caſtrimontis*, §. *Nec cenſu*, *num.* 37.

DEFINITIO XXII.

Quæ deſiderentur conditiones, ut ratihabitio univerſitatis vim det contractui, qui ab initio nullus fuit?

Neque ut ratihabitio det vim contractui, univerſitatis nomine ab adminiſtratore celebrati, requiritur, ut lectum tempore ratihabitionis fuerit inſtrumentum contractus, ſi univerſitas exceptionem hanc non oppoſuerit (✠1); quamvis enim nulla ſit ratihabitio ſine ſcientia; quia tamen hæc aliunde haberi poteſt, nonniſi petenti exhibendum eſt inſtrumentum: nec audietur communitas, niſi ignorantiam probet, cum adverſus eam vigeat ſcientiæ præſumtio (2). Neque etiam neceſſaria eſt præſentia alterius partis, ſed ſufficit nudus conſenſus, quoties contractus abſentis nomine rite ab initio geſtus fuit, ut fert communis ſententia (✠3).

(✠1) *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1650. *refer. D. Nomis in cauſſa Baroni contra Communitat. Gialioni*, §. *Verum quoad primum, & ſeqq.*, *ubi tamen de præſumta lectura conſtare dictum eſt, tum ex curſu longiſſimi temporis, tum ex uſurarum mutua ſolutione, argum. L. Si donatio* 5. *cod. de donationib.* (8. 54.)

(2) *L. Ab ea parte* 5. *princip.*, & §. 1. *ff. de probat.* (22. 3.)

(✠3) *Deciſ.* 14. *junii* 1685. *refer. D. Torrini in cauſſa Advocati Canelli contra Univerſitat. Cerrioni*, §. *Verum hæc omnia*, *L. Si filiusfamilias* 16. *ff. de S. C. Macedonian.* (14. 1.)

Digitized by Google

DEFINITIO XXIII.

Verſio in rem univerſitatis neceſſaria eſt, ut communitas ex facto adminiſtratorum obligetur.

Præter legitimum univerſitatis mandatum adhuc verſio requiritur, ut ex facto adminiſtratorum obligetur (definit. XVII.); alioquin ſoli adminiſtratores tenentur (✠1), in quorum utilitatem pecunia potius verſa præſumitur (✠2): cum enim adminiſtratores univerſitatis tutorum vice fungantur, non aliter eam poſſunt ex contractu obligare, quam ſi univerſitas lucrum ex altera parte ſentiat (3). Verſum autem in alterius utilitatem breviter, & eleganter explicat Ulpianus, quoties melior ejus conditio effecta eſt, vel id actum, ne deterior fieret (4); prodeſt quippe non tantum, qui lucrum parat, ſed & qui damnum avertit. Exceptio tamen admittenda eſſet, ſi conſtaret, pecuniam ad univerſitatem perveniſſe; cum enim nihil imputari poſſit ſolventi, quod in uſus neceſſarios, vel utiles impenſa pecunia non fuerit; quippequi nec curioſe inveſtigare debet ante ſolutionem, an legitimam habeat univerſitas contrahendi, vel mutuum accipiendi cauſſam; nec multo minus, quæ ſit pecuniæ impendendæ ratio, etiam non probata verſione, cogenda eſt univerſitas ad ejus reſtitutionem (✠5).

(✠1) *L. Civitas 27. ff. de reb. credit., & ſi cert. pet.* (12. 1.), *Deciſ.* 17. *novembris* 1645. *refer. D. Beccaria in cauſſa Lorenzalis contra Communit. Truſſarelli, §. Hæc facti ſpecies, Dec.* 3. *novembris* 1644. *refer. D. Vercelli in cauſſa Curti contra Communit. Andurni, in princip.*

(✠2) *D. Deciſ.* 25. *ſeptembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Communitat. Antignani, & fratr. de Malabaila, §. Secundo quia, D. Deciſ. refer. D. Vercelli, §. Verum quotieſcumque, num.* 8.

(3) *Argum. L. Quid ergo 3 ff. de contrar. tutel., & util. action.* (17. 4.)

(4) *L. Quod ſi ſervus* 3. §. *Et regulariter* 2. *ff. de in rem verſo* (15. 3.)

(✠5) *Deciſ.* 30. *auguſti* 1736. *refer. D. Caſſotti in cauſſa loci pii ſanctæ Coronæ, & Marchion. Phæbi de Adda contra Civitat. Mortarii, §. Reliquum eſt, ut, d. Deciſ.* 12. *decembris* 1659. *refer. D. Bellino in cauſſa Cravoti contra Communit. Ploſaſchi in fine.*

DEFINITIO XXIV.

Verſionis, vel diverſionis probatio cui incumbat?

Si quæratur, cui incumbat verſionis, vel diverſionis probatio, diſtinguunt pragmatici, utrum præſumtio ſit pro verſione, an contra. In primo caſu univerſitati neganti probationis onus incumbit: in altero creditori verſionem (✠1) ſecundum generales juris regulas (2): quia tamen res facti, qualis eſt verſio, quamvis extrinſecus innoteſcant, non ſemper ſubſiſtunt, indiciis etiam, & conjecturis demonſtrari poſſe receptum eſt, eo ſaltem ſenſu, ut contrariæ probationis onus in eum transferatur, qui negat.

(✠1) *L. Ab ea parte* 5. *princip., & §.* 1. *ff. de probat.* (22. 3.), *d. Deciſ. refer. D. Vercelli* 3. *novembris* 1644. *in cauſſa Curtis contra Communit. Andurni, in qua & additur, conjecturas a judicis arbitrio pendere, §. Et onus probandi num.* 7.

(2) *D. L.* 5. *princip., & §.* 1, *L. Quoties operæ* 18. *ff. de probat.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXV.

Verſio præſumitur in contractibus, quos univerſitas ipſa, ſeu univerſitatis conſilium geſſit.

An autem præſumtio pro verſione ſit, an contra eam, plures tradi ſolent regulæ: atque inprimis, ſi univerſitas legitime congregata, ſeu univerſitatis conſilium pecuniam acceperit, vel contractum celebraverit, præſumitur res verſa in ejus utilitatem (defin. XXIII.): adeoque creditor verſionem probare non tenetur (✠1). Idem eſt, ſi eccleſia præſente capitulo, & prælato pecuniam acceperit, quippequæ univerſitati comparatur (2).

(✠1) *Loſæus de jure univerſit. part. 3. cap. 4. num. 8, V. Deciſ. 11. januar. 1647. refer. D. Piſcina in cauſſa Marchiſii contra univerſit. Villafalletti, ubi communitas congregata granum emerat a Marchiſio, qui idem granum tradiderat univerſitatis procuratori habenti ſpeciale mandatum ad pecuniam mutuam accipiendam. Atque definitum fuit, venditorem non eſſe cogendum ad probandam verſionem, Deciſ. 18. januarii 1647, refer. eod. D. Piſcina in cauſſa Roſſæ contra communit. Septimi minoris §. Circa ſecundum, ubi de cenſu a conſilio univerſitatis vendito, & pecunia tradita quoque fuit procuratori habenti ſpeciale mandatum ad mutuam pecuniam accipiendam, argum. L. Prohibere 3. §. Plane 4. ff. Quod vi, aut clam (43. 24.)*

(2) *Auth. Hoc jus porrectum poſt L. 14. cod. de ſacroſ. eccleſ. (1. 2.)*

DEFINITIO XXVI.

Præſumitur quoque verſa in utilitatem communitatis pecunia ſoluta adminiſtratori habenti mandatum generale cum libera; vel ſpeciale ad pecuniam mutuo accipiendam.

Verſio quoque in rem univerſitatis præſumitur, quoties pecunia ſoluta fuit ejus legitimo adminiſtratori habenti vel mandatum cum libera ad contrahendum (✠1), vel ſpeciale mandatum ab ipſa univerſitate ad pecuniam mutuo accipiendam in certam cauſſam (✠2); ſive adminiſtrator mutuum accipiens profeſſus fuerit, ſe in eam certam, ac determinatam cauſſam accepiſſe, ſive generale tantum mandatum adminiſtratori dederit univerſitas mutuam pecuniam accipiendi non demonſtrata cauſſa; qui enim ſolvit habenti legitimam auctoritatem adminiſtrandi, & obligandi, nullius culpæ reus eſt, ſed potius ſibi imputare debet univerſitas, quod iniquo adminiſtratori mandatum dederit mutuo accipiendi; adeoque ad reſtitutionem tenebitur, niſi deperditam pecuniam probet; quod quidem privilegium univerſitatum eſt, quatenus minorum juribus gaudent; alioquin, ut in ſpecie non abſimili ratiocinatur Ulpianus, bonæ fidei contrahentes deciperentur (3); quod æquitas non patitur.

(✠1) *Deciſ. 9. januarii 1647. refer. D. Barberis in cauſſa Baronis contra Communit., & particulares Sancti Sebaſtiani, §. Et quoad Communitatem ubi tamen, quia procuratores fecerant cauſſam propriam, condemnati fuerunt in ſolidum, ſalvo ipſis jure contra univerſitatem, Loſæus d. cap. 4. num. 11.*

(✠2) *D. Deciſ., refer. D. Barberis, & d. §, Deciſ. 18. junii 1722. refer. D. Richelmi in cauſſa Comit. de Belgiojoſo, & communit. Sartiranæ §. Verum in noſtro caſu, num. 95, Deciſ. 30. auguſti 1736 refer. D. Caſſotti in cauſſa Loci pii S. Coronæ, & Marchion. Phæbi de Adde con-*

Digitized by Google

tra civitat. Mortarii §. *Verſionis probatio*, & §. *Contra vero*, *cum cauſſa*, *Loſæus d. num. II.*

(3) *L.* 1 §. *Magiſtrum autem* 5. *ff. de exercit. act.* (14. 1), *L. Habebat quis* 13. *ff. de inſtitor. action.* (14. 3).

DEFINITIO XXVII.

Pecunia mutuo data adminiſtratori ſimplicem adminiſtrationem habenti, non ſpeciale mandatum, verſionis probandæ onus creditori incumbit.

Sed ſi pecunia mutuo data ſit adminiſtratori univerſitatis ſimplicem adminiſtrationem habenti, non ſpeciale mandatum, conſentiunt omnes, pecuniam in rem univerſitatis verſam non præſumi, niſi a creditore verſio probetur (✠1), quemadmodum de eccleſia dicitur (2); imputari poteſt creditori, cur fiderit ei, quem ſciebat, vel ſcire debebat, legitima auctoritate deſtitutum eſſe univerſitatem obligandi. Quare agere quidem poteſt adverſus adminiſtratorem, non adverſus univerſitatem, niſi verſionem demonſtret (3); pro ut de tutore mutuam pupilli nomine pecuniam accipiente traditum eſt (4).

(✠1) *D. Deciſ.* 18. *junii* 1722. *refer. D. Richelmi in cauſſa comit. de Belgiojoſo contra Communit. Sartiranæ.* §. *Verum in noſtro caſu*, *num.* 95, *Deciſ.* 14. *augusti* 1734. *refer. D. Guillier in cauſſa Comit. Malines a Bruino contra Comit. Rufinum a Diano.* §. *Specifica vero, poſt num.* 10, *in qua definitum fuit, verſionis probandi onus creditori incumbere, cum cenſus legitima auctoritate venditus non eſt.*

(2) *Et creditor hic intelligatur, qui quod credidit, probat in utilitatem divinæ domus proceſſiſſe*, *Auth. Hoc jus porrectum in fine poſt l.* 14. *cod. de ſacr. eccl.* (1. 2.)

(3) *D. L. Civitas* 27. *ff. de reb. credit.*, & *ſi cert. pet.* (12. 1).

(4) *L. Si in rem* 3. *cod. Quando ex fact. tut.* (5. 59).

DEFINITIO XXVIII.

Verſio quibus modis probetur? An & indicia admittantur?

Plures autem ſunt rationes, quibus verſio probari poſſit; nam & hic conjecturæ admittuntur (✠1): ſcilicet per teſtes, per inſtrumenta; tum & ab eventu, ſi ſecuta demonſtretur cauſſa illa, propterquam mutuum acceptum eſt: puta ſi refecta ſit domus, cenſus extinctus; actus enim ſequens præſumitur geſtus in executionem præcedentis tractatus: quod maxime obtinet, ſi probari poſſit, univerſitatem tempore mutui indiguiſſe pecunia (✠2).

(✠1) *D. Deciſ.* 19. *novembris* 1673 *refer. D. Balegno in cauſſa Ferraris contra univerſit. Hebræorum* §. *Et quatenus.*

(✠2) *D. Deciſ.* 30. *auguſti* 1736. *ref. D. Caſſotti in cauſſa Loci pil Largetæ Coronæ & Marchion Phæbi de Adda contr. Civit. Mortarii*, §. *Solam librarum* 40250. *quantitatem*, & *ſeq.*

DEFINITIO XXIX.

Univerſitas ex ſola verſione in rem ipſius obligatur, licet mandatum adminiſtratori non dederit.

Communitas ergo ex facto adminiſtratoris non obligatur, ſi nec mandatum dederit, nec pecunia in rem ipſius verſa ſit (defin. XVII): ſi utrumque deficiat, ab omni protſus obligatione immunis eſt univerſitas; quia nullum adeſſet obligationis fundamentum: quod ſi, mandato deficiente, verſio probetur, univerſitas non obligatur quidem eo ſenſu, quod contractum ab adminiſtratore celebratum adimplere teneatur; quia nec per ſe contraxit, nec per adminiſtratorem, cui mandatum non dedit. Sed ad reſtitutionem pecuniæ compelli poteſt etiam cum uſuris (✠1);

Digitized by Google

ex re ſcilicet (2); quia non debet cum alterius diſpendio fieri locupletior (3). Quare creditor ab univerſitate pecuniam repetet, ab adminiſtratore vero, quantum intereſt ipſius, quod contractus executioni non demandetur, vel, ſi malit de utroque adminiſtrationem convenire poteſt; quo caſu adminiſtratori ſalva erit actio adverſus communitatem, ut pecunia ſibi reſtituatur.

(✠1) *Deciſ. 30. auguſti 1736. refer. D. Caſſotti in cauſſa Loci pii ſanctæ Coronæ, & Marchion. Phœbi de Adda contra Civit. Mortarii §. Cenſum itaque nullum, Deciſ. 9. aprilis 1686. refer. D. Raymondo in cauſſa Hoſpitalis charitatis Taurini contra univerſit. Cherii, & fratres de Porris § Tanto magis, Deciſ. 17 auguſti 1642. refer. D. Leone in cauſſa Comit. Siccardi contra Commun. Riparum §. In contrarium.*

(2) *L. Si me, & Titium 32. ff. de reb. credit.* (12. 1.)

(3) *L. Nam hoc natura 14. ff. de condic. indeb.* 12. 6.)

DEFINITIO XXX.

Adminiſtrator pecuniam univerſitatis nomine mutuam accipiens, eamque reſtituere promittens, univerſitatis nomine ſpondere cenſetur.

Diſſentiunt interpretes, utrum adminiſtrator, qui mandatum habens ab univerſitate, in cujus rem curavit verti pecuniam, promiſit ſe illam reſtituere, non exprimens, utrum proprio, an communitatis nomine reſtitutionem promittat, præſumendus ſit, proprio, an adminiſtratorio nomine promiſiſſe. Putant aliqui, eum proprio nomine videri ſe obligaſſe; quia creditor ſecutus ſit fidem adminiſtratoris: alii tamen, & rectius non niſi procuratorio nomine cum ſpopondiſſe defendunt (✠1); tum quia dubius verborum ſenſus ex loquentis præſumpta intentione explicandus eſt (2), atque ex ſubjecta materia (3), tum quia ea, quæ in præfationibus expreſſa ſunt, etiam in ipſa ſtipulatione, ex præſumpta contrahentium mente, repetita cenſentur, ſi nihil obſtet (4).

(✠1) *L. ult. ff. de inſtitor. action.* (14. 3), *L. Penult. ff. Siquis cautionib.* (2. 11), *deciſ. 27. novembris 1738. ref. D. Viani in cauſſa Jacobi Nicolai contra Ioſephum Jacobi, & Nicolaum Cauvinum, fere in princip., Deciſ. 1. novembris 1652. refer. D. Piſcina in cauſſa Taſcheriæ contra univerſitat. Aurificum per tot.*

(2) *L. Rapienda occaſio 168. §. 1. ff. eod. tit.*

(3) *L. Semper in ſtipulationibus 34. ff. de Reg. Jur.*

(4) *Plerumque ea, quæ præfationibus convenisse concipiuntur, etiam in ſtipulationibus repetita creduntur, L. Titia, quæ 134. §. 1. ff. de verbor obligat.* (45. 1.)

DEFINITIO XXXI.

Quibus caſibus adminiſtrator univerſitatis proprio nomine ſe ſe obligare judicetur.

Proprio tamen nomine conveniri poteſt adminiſtrator, ſi negligentia ſua factum ſit, ne ſatisfieret creditoribus (✠1); vel mutuam, univerſitatis nomine, pecuniam accipiendo, ſe proprio quoque nomine adſtrinxerit, prout poteſt: vel pro ſe, & hæredibus ſuis, vel ſub obligatione bonorum ſuorum ſe reſtituturum ſpoponderit (2); mentio enim heredum apertiſſime indicat, ſe obligationem ex propria perſona aſſumere velle. Idem eſt de obligatione bonorum, quæ, cum ſit acceſſoria principalis obligationis, convenientius ad eum refertur, qui principaliter eſt obligatus (3). Ceterum, quamquam hæc naturali æquitati, & generalibus juris civilis regulis conſentanea ſunt; quia tamen plures nec infimæ notæ auctores cenſent, adminiſtratorem in dubio tam proprio, quam alieno nomine contrahere præſumi, cautius,

& tutius ſe gerit adminiſtrator, qui non tantum ſe univerſitatis nomine contrahere declarat; ſed ſubjicit, nolle proprio nomine ſe obligationem ſuſcipere.

(✠1) *Deciſ. 3. ſeptembris 1646. refer. D. Filippa in cauſſa Diſcalcei contra Syndicum univerſitat. Caſellarum in princip., in qua traditur jam ita deciſ. 4. april. 1639. refer. D. Abeccleſia in cauſ. Baudi contra Borellum in princip.*

(2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 27, num. 9, & 10.*

(3) *Argum. L. Cum principalis 178. ff. de Reg. Jur.*

DEFINITIO XXXII.

Adminiſtrator univerſitatis poteſt ſe obligare proprio nomine, eoque nomine in ſolidum conveniri.

Adminiſtrator univerſitatis non ſolum tamquam fidejuſſor, ſed & tamquam correus univerſitatis obligationem in ſe ſuſcipere poteſt, ſi ſponte velit: atque in poſteriore caſu in ſolidum tenetur juxta generales juris regulas (✠1). Hinc definitum fuit, procuratores ab univerſitate ad conſtituendum cenſum datos poſſe conveniri in ſolidum pro ſolutione annuorum redituum, ſi ipſi municipes ſint, & ex numero ſuffragantium, qui omnes ſimul, & in ſolidum ſe ipſos, & bona ſua obligaverint pro obſervantia contractus; quin gaudeant beneficiis ordinis, & diviſionis, cui renunciaverint (2).

(✠1) *L. Cum duo 2. ff. de duobus reis (45. 2), Deciſ. 14. decembris 1647. ref. D. Barberis in cauſſa Baronis contra Civit. Secuſiæ, Medalium, & Ranam: ubi & additum eſt, univerſitatis procuratores, qui proprio nomine promiſerint, ſub conditione ratihabitionis a communitate impetrandæ, quæ fuerit ſecuta, liberari: licet præfinito tempore ratihabitio exhibita non ſit, dummodo adhuc non fuerint interpellati; cum ante interpellationem admitti debeant ad purgationem moræ, Deciſ. 16. aprilis 1662. refer. D. Demazzettis in cauſſa Beccariæ contra particulares Trinitatis, Deciſ. 11. ſeptembris 1676. ref. D. Torrini in cauſſa Conſtantiæ contra Bocrium §. Unde applicando prædicta, in qua traditum eſt, adminiſtratores univerſitatis, qui mutuum pro ea accipientes renunciant beneficio de principali prius conveniendo, in ſolidum, & principaliter obligatos reputari, quin opponere poſſint beneficium excuſſionis, Deciſ. 14. decembris 1678. refer. D. Rolando in cauſ. Bochæ contra Feam, & Magiſtratum, in qua pronunciavit Senatus, adminiſtratores, qui ſe obligarunt nomine proprio in ſolidum, & ſimul renunciaverint omnibus beneficiis, primo loco conveniri poſſe, quin eis proſint literæ moratoriæ Communitatibus a Principe conceſſæ; quia in hoc caſu adminiſtratorum obligatio non reputatur acceſſoria, ſed principalis, V. Theſ. Deciſion. 125. in additionibus* ✠

(✠2) *Deciſ. 25. novembris 1738. ref. D. Viani in cauſſa Jacobi Nicolai contra Joſeph Jacobi, & Honoratum Cauvinum in princip.*

DEFINITIO XXXIII.

Executio ſententiæ non poteſt fieri contra univerſitatis conſiliarios, niſi negligentia ipſis imputari poſſit, cur creditoribus ſatisfactum non ſit.

Executio ſententiæ contra univerſitatem latæ fieri non poteſt adverſus conſiliarios, nec contra ſyndicos (1): quemadmodum nec permittitur odio tutorum (2). Si autem univerſitas nec pecuniam, nec bona habeat, jubentur adminiſtratores collectas imponere, exigere, & ſolvere: quod niſi præ negligentia fecerint, non tantum capi poſſunt ipſorum bona (✠3), ſed etiam olim perſonaliter capi poterant & detineri (4); quia ſyndici, & conſiliarii, velut univerſitatem

repræſentantes facultatem habent ſolvendi, vel de bonis univerſitatis, vel per indictionem collectæ (5). Poſterioribus tamen Principum noſtrorum edictis prohibitum eſt, ne conſiliarii, ſecretarii, vel ſyndici univerſitatum ob hujuſmodi negligentiam perſonaliter detineantur, conceſſa tantum in hoc caſu executione reali judicati in bonis ipſorum propriis (6).

(1) *L. Si ſe non obtulit* 4. §. *Actor* 2. *ff. de re judic.* (42. 1.), *Abecceleſia obſervation. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 162. *num.* 1.

(2) *D. L.* 4. §. 1. *ff. de re judicat.*

(✠3) *Fab. cod. quib. res judic. non noc. lib.* 7. *tit.* 23. *def.* 1, *& cod. de privileg. fiſci lib.* 7. *tit.* 33. *def.* 1, *& de obligat., & act. lib.* 4. *tit.* 7. *defin.* 5, *Abecceleſia d. obſerv.* 162. *num.* 6, 7, 8, 12 ✠ *Deciſ.* 3. *novembris* 1654 *ref. D. Malleani in cauſſa Mochæ, & Pellaterii in princip.*

(4) *Fab. d. lib.* 7. *tit.* 33. *defin.* 1. *num.* 6. *in corp., Abecceleſia d. loco.*

(5) *L. Item eorum* 6. §. 1., *& ult., L. Sicut municipum* 7. *ff. quod cujuſque univ. nom.* (3. 4.)

(6) *Abecceleſia d. obſervat.* 162. *num.* 16, *&* 17.

DEFINITIO XXXIV.

Adminiſtratores univerſitatum finito officio conveniri nequeunt, ſed eorum ſucceſſores conveniendi ſunt.

Quod de adminiſtratorum obligatione, & de executione rei judicatæ contra ſyndicos, vel conſiliarios facienda ſuperioribus definitionibus diximus, tantum obtinet, quamdiu durat officium (✠1), exemplo tutorum, quibus comparantur (2), quoſque finito officio non conveniri receptiſſimum eſt (3): quod Senatus protulit ad eum caſum, quo, tempore adminiſtrationis, jam fuiſſent in mora imponendi collectas, exigendi, & ſolvendi (4); quia actio convenientius inſtituitur adverſus ſucceſſores in adminiſtratione.

(✠1) *L. Curatores* 3. §. 1, *&* 2. *ff. hoc tit., de adminiſtration. rer. ad civitat. pertinent.* (50. 8), *Deciſ.* 18. *martii* 1641. *ref. D. Abecceleſia in cauſſa Ormeæ contra Colonam, & Treves hebræos per tot., quod obtinere definitum eſt, quamvis adminiſtratores propria bona obligaverint.*

(2) *D. L.* 3. *ff. hoc tit. de adminiſtr. rer. ad civit. pertin. Abeccleſ. obſervation. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 162. *num.* 19. ✠

(3) *L. Poſt mortem* 5. *ff. quand. ex fact. tutor.* (26. 9.)

(4) *Abeccleſ. d. obſervat.* 162. *num.* 22. ✠

DEFINITIO XXXV.

Quibus caſibus adminiſtratores univerſitatum, officio etiam finito, conveniri poſſint?

Quidam tamen caſus ſunt, in quibus adminiſtratores univerſitatum, etiam finito officio, conveniri poſſunt pro debitis univerſitatis. Inprimis, cum rationes adminiſtrationis nondum reddiderunt: agere nimirum poſſunt creditores adverſus ipſos, ut cum effectu curent ſolvi debitum per novos adminiſtratores, intra certum tempus arbitrio judicis ſtatuendum, inſpecta qualitate perſonarum, & quantitate debiti: quo elapſo, ſi creditori ſatisfactum non ſit, de ſuo ſolvere coguntur, mox a poſterioribus repetituri, detractis tamen gravioribus expenſis, quæ ob ipſorum negligentiam factæ fuerunt (1): ratio eſt, quia non redditis rationibus ab officio plene ſolutus adminiſtrator non intelligitur. Idem eſt, ſi conſiliarii per negligentiam, aut per dolum fecerint, ut inopes adminiſtratores in ſui locum ſufficerentur (2); aut ſi cœpta, durante officio, jam fuerit executio adverſus ſyndicos, aut decuriones (✠3).

Digitized by Google

(1) *Fab. cod. de obligat., & act. lib.* 4. *tit.* 7. *def.* 4.

(2) *Fab. cod. Quib. res judic. non noc. lib.* 7. *tit.* 22. *definit.* 1. *num.* 3, *& ſeqq. in corp.*

(✠3) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1 *d. obſervat.* 162. *num.* 21. ✠, *d. Deciſ.* 3. *novembris* 1654. *refer. D. Mallcani in cauſſa Mochæ, & Pellaterii in princip.*

DEFINITIO XXXVI.

Municipes ſinguli conveniri non poſſunt pro debitis univerſitatis, niſi ſpeciatim ſe obligaverint.

Cum pro debitis univerſitatis regulariter non teneantur adminiſtratores, multo magis tenentur ſingula univerſitatis membra; ſicuti enim aliud eſt univerſitas, aliud ſunt ſingula ejus membra; ut ex eo patet, quod mutatis omnibus eadem manet univerſitas (1), & bona univerſitatis non ſunt ſingulorum (2); ita, quod debet univerſitas, ſinguli non debent, quemadmodum nec ſingulis debetur, quod ipſi univerſitati debitum eſt (3). Ex quo colligit Faber, ne fiſco quidem competere privilegium, ut pro debitis univerſitatis municipum bona capiat, niſi ad conſequendum, quod quiſque ex propriæ conſtitutionis onere debet, quamvis tale debitum proponatur, cujus exactio, ſive favore Principis, ſive favore boni publici nullam pati poſſe moram videatur; ſed ſolum ſyndicum univerſitatis nomine conveniendum eſſe (4); quia prorſus iniquum, incivile, & inhumanum ſit, pro alterius debito alterum vexari (5). Aliud eſſet, ſi ſinguli pro debito univerſitatis ſpecialiter ſe obligaſſent in ſolidum cum opportunis renunciationibus: quo caſu recte defenditur, ſingulos poſſe in ſolidum conveniri (✠6); partem tamen ab univerſitate recuperaturi; tum quia nimis incommodum, & grave creditori eſſet, ſingulos pro minima parte vexare, & vix ullum emolumentum ex hac ſpeciali ſingulorum obligatione perciperet; tum quia alioquin vix ullum effectum pareret ſuſcepta obligatio a municipibus, qua etiam ſecluſa, pro ſua parte ſinguli tenerentur.

(1) *L.* 1. §. *ult. ff. quod cujuſq. univ. nom.* (3. 4.)

(2) *L. Intantum* 6. §. 1. *ff. de rer. diviſ.* (1. 8.)

(3) *L. Quod univerſitati debetur, ſingulis non debetur, nec quod debet univerſitas, ſinguli debent. L. Sicut municipum* 7. §. 1. *ff. quod cujuſque univ. nom.*

(4) *Fab. eod. de privileg. fiſci lib.* 7. *tit.* 33. *definit.* 1., *& quib. res judic. non noc. lib.* 7. *tit.* 22. *def.* 1. *in fin.*

(5) *L. Æs quidem* 2. *cod. de annon., & tribut.* (10. 16.)

(✠6) *Deciſ.* 20. *ſeptembris* 1646. *ref. D. Nomis in cauſſa Falletto contra quaſdam communitates, & particulares Vallis Pontanæ per totum, V. Loſæum de jure univerſitatum part.* 3. *cap.* 3. *num.* 5.

DEFINITIO XXXVII.

Univerſitatum adminiſtratores pecuniam a debitoribus exigere tenentur. An modicam dilationem aliquando indulgere poſſint?

Quemadmodum univerſitatis debita ſolvere debent adminiſtratores, ita etiam exigere, alioquin non tantum de ſorte, ſed de uſuris quoque tenentur, ſi eorum negligentia factum ſit, ut pecunia inutilis remaneret (✠1); neque enim debita remittere poſſunt (2), niſi forte de uſuris quæſtio ſit, quæ legitimum modum excedant (3). Neque poſſunt debitoribus concedere dilationem, niſi ex juſta cauſſa, & quidem modicam; puta trium menſium in majoribus ſummis, duorum vero in minoribus, non amplius, quemadmodum de fiſci debitoribus traditur (4), inſpectis omnibus perſonarum, & rerum adjun-

Digitized by Google

ctis: ita ut non rigidos, ſed moderatos exactores ſe ſe demonſtrent (5).

(✠1) *L. ult. princip.*, *&* §. *ult. ff. hoc tit. de adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent.* (50. 8.), *Deciſ.* 5. *ſeptembris* 1650. *reſ. D. Vaſco in cauſſa Simeomi*, *& Bertolotti contra Zoncum*, §. *Quibus tamen minime refragantibus.*

(2) *L. Ambitioſa* 4. *ff. de decret. ab ordin. faciend.* (50. 9.)

(3) *L. Adverſus creditorem* 5. *cod. de uſuris* (4. 32.)

(4) *L. In fraudem fiſci* 45. §. *Fiſcalibus* 10. *ff. de jure fiſci* (49. 14.)

(5) *Dummodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum prœbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum; nam inter inſolentiam incurioſam, & diligentiam non ambitioſam multum intereſt*, *L. Si bene collocatæ* 33. *ff. de uſuris* (22. 1.)

DEFINITIO XXXVIII.

Tranſigere licet adminiſtratoribus univerſitatum, ſervatis tamen ſolemnibus, ſi de re immobili agatur.

Univerſitatum adminiſtratoribus leges concedunt, ut de re dubia ad univerſitatem ſpectante tranſactionem ineant (✠1); quia ad rectam adminiſtrationem, & ad univerſitatum utilitatem pertinet, litibus finem imponere, eaſve non temere inſtituere, aut proſequi. Sane, ſi tranſactio de re immobili fiat, eædem ſervandæ ſunt ſolemnitates (✠2), quæ in alienatione immobilium præſcribuntur (3), prout de minorum tranſactionibus diximus (4), & prævia requiritur ſcientia vitii, quod priores contractus infecerat (✠5).

(✠1) *L. Præſes provinciæ* 12. *cod de tranſact.* (2. 4.), *Deciſ.* 25. *ſeptembris* 1653. *refer. D. Gerardi in cauſſa Valle contra univerſit. Vallis Feneriæ*, *fere in princip.*

(✠2) *Deciſ.* 24. *januarii* 1739. *refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solariæ a Doliano contra communitat. Turris a sancto Georgio*, §. *His*, *& aliis in contrarium adductis.*

(3) *In L. ult. cod. de vend. reb. civit.* (11. 32.)

(4) *L. Lucius* 46. §. *ult. ff. de reb. eorum, qui ſub. tut. &c.* (27. 9.), *L. Non ſolum* 4. *cod. de præd.*, *& aliis reb. minor.* (5. 71.), *V. lib.* 1. *Tit. XXIII. de præd.*, *& aliis reb. minor. ſin. decret. non alienand. Defin. II.*

(✠5) *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa univerſit. Candiæ contra Comit. Borgiano a sancto Martino, & Vignam*, §. *Nec ejus reſolutionem*, *num.* 4.

DEFINITIO XXXIX.

Adminiſtrationum officium commune eſt, & commune periculum; niſi aliud inductum, vel receptum ſit.

Quemadmodum tutorum, & curatorum (1) ita & adminiſtratorum univerſitatis individuum eſt officium, & commune periculum (✠2). Unde ſequitur, poſſe unum eorum gerere, & contrahere, ſicuti de tutoribus diximus, cum plures ſunt (3): niſi tamen aliud ferant cujuſque univerſitatis ſingularia ſtatuta, vel receptæ conſuetudines.

(1) *L. Si plures* 3. *ff. de adminiſtrat.*, *& peric. tutor.* (26. 7.)

(✠2) *L. Imperator* 3. *ff. ad municipal.* (50. 1.), *Deciſ.* 9. *april.* 1655. *refer. D. Filippa in cauſſa Ponzonæ contra communitat. Septimi Rotarii in fine. Exceptio admitti deberet, ſi forte electa fuiſſet induſtria perſonæ*, *Deciſ.* 13. *novembris* 1643. *refer. D. Piſcina in cauſſa univerſitat. Rubianæ, & Aviliani per tot.*

(3) *V. Supra lib.* 1. *Tit. XXII. de auctoritat. tutor.*, *& curator. defin. I.*

TITULUS III.

De vendendis rebus civitatis, ſeu de alienatione rerum ad univerſitates pertinentium.

DEFINITIO I.

Univerſitatum bona alienari non poſſunt, niſi ſervatis legum ſolemnitatibus.

Cum univerſitates omnes perſonarum quidem vice fungantur: ſed, quia ab adminiſtratoribus reguntur, tamquam pupilli, & minores conſiderentur (✠1); idcirco in alienatione bonorum ad eaſdem pertinentium neceſſarium duxerunt legislatores, conditiones quaſdam, & ſolemnitates præſcribere, quibus deficientibus, vel prætermiſſis, nullas vires habeat ſecuta alienatio; ne ex dolo, negligentia, vel incuria adminiſtratorum contingat, ut, diſſipatis univerſitatis bonis, ipſa ad interitum vergat (✠2); cum ſine his vix poſſit publicis neceſſitatibus conſulere. Civitatum quidem mentio fit in legibus (3); ſed ex omnium ſententia ſub civitatibus ceteræ civiles univerſitates continentur (✠4).

(1) *V. Juriſprud. tom. III.*, §. 123., & 114. *pag.* 37.

(✠2) *L. ult. cod. hoc tit. de vendend. reb. civit.* (11. 31.), *Deciſ.* 9. *ſeptembr.* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa univerſitat. Candiæ contra Comit. Borgialli a ſancto Martino, & Vignam*, §. *Ad hæc uterque contractus*, *num.* 18.

(3) *Titul. digeſtor.* 8. *lib.* 50. *inſcribitur de adminiſtratione rerum ad civitates pertinentium*, *cod. vero tit.* 31. *lib.* 11. *de vendendis rebus civitatis.*

(✠4) *Deciſ.* 18. *ſeptembris* 1643. *ref. D. Vercelli in cauſſa univerſitat. Lexonæ contra Clerici*, §. *Et quamvis jura.*

DEFINITIO II.

An univerſitatum adminiſtratores donare poſſint?

Univerſitatum adminiſtratoribus donationes permiſſas non eſſe, apud omnes conſtat, cum tutorum, & curatorum loco ſint (✠1): quibus adminiſtrandi, non perdendi facultas a legibus data eſt (2), ſi modicas donationes excipiamus, quas æquitas, & uſus requirunt (3), prout ſuperius diximus de tutoribus (4): atque ideo paſſim receptum, ut univerſitas ex juſta cauſſa, potiſſimum in remunerationem meritorum, donare poſſit, ſeu ejus adminiſtrotores: dummodo non temere benemerita fingantur: quamquam aſſertioni decurionum ſtandum eſſe communiter traditur, donec contrarium probetur (✠5), niſi aliud conſtitutum ſit (6). Sed generaliter vetitum fuit, ne immunitas a muneribus concedatur non tantum a decurionibus (7), ſed nec a tota univerſitate (✠8).

(✠1) *L. Curatores* 3. *ff. hoc tit. de adminiſtrat. rer. ad civitat. pertinent.* (50.8.), *Deciſ.* 17. *januarii* 1735. *refer. D. Cavalli in cauſſa univerſitat. Piperanii contra Marchiom. Grimaldi*, §. *Parvi etiam faciebat*, *poſt num.* 81.

(2) *L. Tutor* 22., *L. Lucius Titius* 46. *ff. de adminiſtrat., & peric. tutor.* (26.7.)

(3) *L. Cum plures* 12., §. *Cum tutor* 3. *ff. eod. tit.*, *V. Juriſprud. Tom. II.*, §. 427., & *ſeqq. pag.* 105. *Sed & hæ prohibentur Reg. diplom.* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communitat. tit.* 5. *cap.* 3., §. 9.

(4) *V. Supra lib.* 1. *tit. XXII. de auctoritat. tutor., & curator. defin. VII.*, & *IX.*

(✠5) *Deciſ.* 22. *ſeptembris* 1644. *ref. D. Barberis in cauſſa univerſitat. de Plano civit. Bugellæ contra Patrimonialem, & Advoc. general.*, §. *De donationibus vero*, *Loſæus de jure univerſitat. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 8.

Digitized by Google

(6) *D. Reg. diplom. 6. junii 1775. tit. 5. cap. 3., §. 9. Præfecti provincialium tributorum auctoritas in his deſideratur.*

(7) *Quod & prohibetur L. 1, & 2. cod. de decret. decur.* (10. 40.)

(✠8) *L. Vacuatis 19. cod. de decurionibus* (10. 31.), *Deciſ.*, 12. *decembris 1735. refer. D. Demorra pro civit. Tridini, contra viduam Salabue*, §. *Senatus, omnibus mature diſcuſſis, poſt num.* 4.

DEFINITIO III.

Datio in ſolutum bonorum immobilium univerſitatis regulariter fieri non poteſt, niſi adhibitis ſolemnitatibus alienationum.

Venditioni æquiparatur datio in ſolutum (1): adeoque ipſa vires habere nequit, niſi præſtitutæ ſolemnitates adhibeantur, ſi res immobilis detur (2). Cenſuit tamen Senatus, in ſingulari ſpecie valere dationem in ſolutum bonorum immobilium univerſitatis, quamvis non interveniſſent præviæ ſubhaſtationes; quia ſtante judicis decreto, pro quo ſemper præſumendum eſt, niſi aliud edoceatur, ex adjunctis veroſimile videbatur, non potuiſſe exigi majus pretium, tametſi bona publica licitatione vendenda propoſita fuiſſent (✠3).

(1) *L. Eleganter* 24. *ff. de pignoratit. action.* (13. 7.)

(2) *V. Jurifprud. Tom. II.*, §. 473. *pag.* 115:, *L. Etſi praeces* 5. *cod. de præd.*, *& aliis reb. min.* (5. 71.)

(✠3) *Deciſ.* 24. *januar.* 1730. *refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solariæ a Doliano contra communit. Turris a Sancto Georgio*, §. *Et licet non legatur: quod etiam placuiſſe olim Senatui ibidem traditur, nimirum in deciſ.* 10. *decembris* 1674. *refer. D. Gabuti in cauſſa fratrum de Graneriis contra univerſitat. Cariniani*, §. *Quarto fuit cumulatum conſideratum, num.* 8. *V. & elegantem aliam deciſionem* 17. *junii* 1738. *refer. D. Viani in cauſſa Equit. de Grimaldis contra univerſit. Cauderaſæ, ubi definitum fuit valere dationem in ſolutum a communitate factam, quamvis* 1. *Advocatus, & procurator communitatis non interveniſſent contractui, ut in mandatis erat, quia ita intellectum hoc fuit, ut actores communitatis deberent uti conſilio eorum.* 2. *Quamvis ſubdelegatus, qui auctoritate ſua contractum firmaverat, non exhibuiſſet actum ſubdelegationis, quia indicia erant, & conjecturæ, unde ſubdelegatio probaretur, & in antiquis præſumitur, maxime attenta acquieſcentia, & obſervantia communitatis.* 3. *Licet in datione in ſolutum pactum redimendi perpetuum appoſitum fuiſſet: quia hoc eſt tantum præter naturam venditionis, cui datio in ſolutum æquiparatur, non contra.*

DEFINITIO IV.

Emphyteuſis rerum immobilium univerſitatis an venditionis, & dationis in ſolutum ſolemnitates requirat?

A venditione, & datione in ſolutum parum differt emphyteuſis; cum & per hanc dominium utile transferatur(✠1): adeoque prohibita eſt, (niſi de re agatur, quæ in emphyteuſim dari ſolita ſit (✠2) vel niſi juſſa adſit cauſſa, & ſerventur conſuetæ ſolemnitates: Juſtinianus tamen ſpecialiter conceſſit, ut res eccleſiæ in emphyteuſim dari poſſit, dummodo ad tres generationes coerceatur: quibus deficientibus, res ad eccleſiam omnino reverti debeat (3). Amplius ex communi omnium gentium conſenſu receptum tradit Faber, valere emphyteuſim rei eccleſiaſticæ, dummodo eccleſiæ utilis ſit (4); quod ſane ex hodierno uſu fori ſpeciale non eſt in emphyteuſi, cum receptum ſit, ut contractus quivis valeat etiam ſine ſolemnibus celebratus, ſi minoribus (5), eorumque exemplo univerſitati utilis ſit. Infeudationis eadem, ac

emphiteuſis ratio eſt (✠6). Hinc ex recepta apud omnes fere gentes conſuetudine valere emphyteuſim rei eccleſiaſticæ, etiam nulla neceſſitate alienandi, aut ſolemnitate interveniente, dummodo facta ſit in evidentem eccleſiæ utilitatem, definitum tradit Faber (7); maxime poſt lapſum longiſſimi temporis, cujus maxima vis eſt, tum ad demonſtrandam contractus utilitatem, tum ad fundandam præſumtionem ſolemnitatum; ne in odium eccleſiæ retorqueatur, quod in ejus favorem conſtitutum eſt.

(✠1) *Cap. ult. de reb. eccleſ. non alienan. in 6.* (2. 9.) *Extravag. Ambitioſæ eod. tit. inter commun.* (3. 4.), *L. ult. cod. de reb alien. non alien.* (4. 51.), *Fab. cod. eod. tit. lib. 4. tit. 38. def. 6., Deciſ. 28. martii 1737. refer. D. Blavet in cauſſa promotoris menſæ Epiſcopal. Vercellarum contra Comit. Siccardum in princip., Deciſ. 24. julii 1730. refer. D. Selarandi in cauſſa promot. menſæ Epiſcopal. civit. Aſtarum contra Romagnanum, §. Alienationem enim num. 4.*

(2) *D. Extravag. Ambitioſæ de reb. eccleſ. non alien., d. deciſ. 24. julii ref. D. Sclarandi, §. Duplex tamen, num. 8., ubi agitur quidem de infeudatione, ſed ratio etiam pro emphyteuſi facit quia (hæe affertur ratio) facultas reinfeudandi conſideratur tamquam fructus.*

(3) *Novel 7. cap. Emphyteuſim 3.*

(4) *Fab. d. lib. 4. tit. 38. defin. 7.*

(5) *V. Supra de præd., & al. reb. minor. Tit. XXIII. Definit. XIX.*

(✠6) *D. Deciſ. 24. julii 1730. refer. D. Selarandi, §. Alienationem quippe, & ſeqq., Deciſ. 24. januarii 1675. refer. D. De Balbis in cauſſa Epiſcop. Auguſtenſis contra communit. Cognæ, §. Sed ſuiſmet armis.*

(7) *Fab, cod. d. lib. 4. tit. 38. def. 7, & de jure emphyteut. lib. 4. tit. 43. defin. 53.*

DEFINITIO V.

Permutatio rei eccleſiæ cum Principe valet, licet utilis non ſit eccleſiæ, dummodo nec ſit noxia.

Unus eſt caſus, in quo alienatio rei eccleſiæ ſuſtineatur, quamvis utilis eidem non ſit, dummodo nec ſit damnoſa: quando ſit permutatio cum Principe; favore nimirum Principis, quem decet, ſpeciale aliquid habere privilegium, præ ſubditis (✠1): quamquidem rem ab eccleſia comparatam olim quidem Princeps in alios transferre non poterat (2); poſteriori tamen jure aliud placuit (✠3).

(✠1) *Novel. 7. cap. Ut autem 2, §. 1, Deciſ. 12. april. 1716. refer. D. Cavalli in cauſſa commendæ ſanctæ Margharitæ, & Severi contra Comit. Viaritium, & litis conſortes in princip.*

(2) *D. Novel 7. cap. 2., §. 1.*

(✠3) *Novel 119. cap. Legem vero 10, D. Deciſ. refer. D. Cavalli. ſer. in princ.*

DEFINITIO VI.

An pignus, vel anthichreſis bonorum immobilium univerſitatibus permittatur?

Cum per pignus jus in re conſtituatur creditori, & minuatur jus domino competens (1), pupillis, & minoribus prohibita fuit bonorum immobilium hypotheca, niſi juſta adſit cauſſa, & decretum prætoris interveniat (2): adeoque etiam univerſitatibus prohiberi debet, ne rerum ſuarum jacturam inde patiantur. Aliud tamen jus in anthicreſi ſervari debere traditum eſt, eamque neque ſub prohibita alienatione non contineri (✠3) quippe etiam a pignore diſtat (4).

(1) *D. L. ult. cod. de reb. alien. non alienand.* (4. 51.)

(2) *V. Supra Tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor &c. definit. VII.*

(✠3) *Deciſ. 30. auguſti 1736. refer. D. Caſſotii in cauſſa loci pii S. Coronæ, & Marchion. Phæbi de Adda contra civitat. Mortarii, §. Hinc, quamvis in præfata.*

(4) *D. L. ult. cod. de reb. alien. &c.*

DEFINITIO VII.

An univerſitas cenſum pecunia acquiſitum ſine ſolemnibus alienare poſſit: vel novum vendere, ſeu conſtituere?

Cenſum, quem communitas pecunia acquiſivit, ſine ſolemnibus alienari non poſſe, apud omnes conſtat (✠1), cum inter immobilia bona computetur; adeoque nec a minoribus diſtrahi poſſe ſupra diximus, niſi conſuetæ ſerventur ſolemnitates (2). Difficultas eſt, utrum communitas cenſum vendere poſſit. Si ad ſtrictam juris rationem reſpiciamus, omnino negandum eſt, quia cenſus venditio neceſſario ſecum trahit hypothecam ſuper fundo cenſito, quam univerſitas ſine ſolemnibus imponere nequit (Defin. præced.): conſuetudine tamen hujus patriæ aliud traditur, ut in venditione cenſuum, quam faciunt univerſitates, non adhibeantur ſolemnia legis finalis codice de vendendis rebus civitatis (✠3), non tamen ſine juſta cauſſa, nec ab adminiſtratoribus ſine legitimo mandato (✠4), & ſine legitimi ſuperioris auctoritate.

(✠1) *Deciſ. 1. april. 1662. refer. D. De Gubernatis in cauſſa Monaſterii Unelienſis eremitarum ſancti Auguſtini contra Ardoinum, & Straforellum. §. Domini antequam excuterent.*

(2) *V. Supra lib. 1. tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. &c. defin. X.*

(✠3) *Ita habetur in Deciſ. 29. novembris 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Olianici contra communit. Sanfrè, §. Ex his omnibus, prope fin. deciſ. quod firmatum fuit in Deciſ. 22. januarii 1721. refer. D. Provana in cauſſa communit. Caramaniæ contra D. Phyſicum Mazè, §. Circa vero; quæ fuit in judicio reviſionis confirmata, ut traditur in ſententia judicum delegatorum 5. maii 1725. refer. D. Bonaudi in cauſſa communit. Burgi S. Dalmatii contra Vaſſallum Chianeam, §. Quum receptum ſit, num. 5.*

(✠4) *Deciſ. 14. auguſt. 1734. refer. D. Guillier in cauſſa Comit. Malines a Bruino contra Comit. Ruffinum a Diano, §. Nihiloſecius, poſt num. 9.*

DEFINITIO VIII.

An hereditas univerſitati delata, nondum tamen adita, repudiari poſſit ſine ſolemnibus?

Hereditatem delatam quidem, nondum tamen aditam, repudiari ab univerſitate poſſe ſine ſolemnibus, ſentiunt aliqui (✠1): niſi forte hereditas jure quodam fictitio ſuitatis ad univerſitatem deferatur, putà ſi relicta ſit monacho ab aſcendentibus; niſi aliud lege, vel moribus obtineat; quidquid enim acquirit monachus, ipſo jure in monaſterium tranſit, & monaſterium loco filii ſuccedit (✠2). Sane prælatum eccleſiæ, qui temere delatam hereditatem repudiaverit, teneri ad reſarciendum damnum, quod eccleſia inde patitur, nemo eſt, qui neget. Eccleſia autem non ſecus ac quælibet alia univerſitas exemplo minorum reſtituitur ad adeundam hereditatem, quam prius abjecerit (✠3).

(✠1) *Deciſ. 17. april. 1676. refer. D. Balegno in cauſſa ſororum de Scarampis contra Rolandum, §. Neque dictis ſororibus.*

(✠2) *Auth. Ingreſſi, & ſeqq. cod. de ſacroſ. eccleſ. (1. 2.), Deciſ. 18. novembris 1644. refer. D. Piſcina in cauſſa P. Paſſalaqua, & conventus ſancti Franciſci Aſtenſis contra particulares, §. Hiſce non obſtantibus.*

(✠3) *Deciſ. 18. junii 1672. refer. D.*

Digitized by Google

Burontio in cauſſa Canonicor. Lateranenſium contra Signorettum, §. Nec relevat.

DEFINITIO IX.

An bona univerſitatum locari poſſint ſine ſolemnibus? Quæ apud nos noviſſimo jure obtineant?

Quod pertinet ad ſolemnitates adhibendas in locationibus bonorum univerſitatis, recepta eſt in foro diſtinctio (quoties aliud municipale jure inductum non eſt) inter bona, quæ antiquitus ſunt radicata in dominio univerſitatis; vel quæ ſunt magni momenti, decoris, aut reditus: aliaque ruſtica, & talliabilia, quæ non niſi per accidens venerunt in dominium communitatis, & quorum locatio utilior eſt, immo neceſſaria, ut facilius ſolvi poſſint onera principi debita, & diſſolvi æs alienum. Bona prioris generis locari nequeunt per longum tempus, niſi eædem ſerventur ſolemnitates, quæ in venditione præſcribuntur; quia de re magni momenti agitur, non temere a communitate peragenda (✠1). Si vero locatio ad modicum tempus fiat, vel ad diuturnum quidem, ſed de bonis ruſticis, & talliabilibus, quæ per accidens venerunt in dominium univerſitatis, cum non niſi leve damnum timeri poſſit, vel plerumque ea locari magis expediat, immo & alienari, facilius fuit earum locatio univerſitati permittenda ſine ſolemnibus (✠2). Jure novo, quo nunc utimur, non tantum permiſſa, ſed præcepta eſt bonorum, quæ ad civiles communitates pertineat, locatio, præviis tamen ſubhaſtationibus, aliiſque cautelis (3).

(✠1) *Deciſ. 29. januarii 1649. refer. D. Filippa in cauſſa Ravetti contra communitat. Gareſii in fine, Deciſ. 9. ſeptembris 1782. refer. D. Gabuti in cauſſa Preſbiteri julii Romana contra univerſit. Bagnaſchi, §. Nec relevant exceptiones, & ſeqq., V. Loſæum de jure univerſitat. part. 3. cap. 7 num. 6, L. Loca omnia 3. cod. de locat. prædior. civil. (11. 70.)*

(✠2) *D. Deciſ., & d. §. Ubi additur ita ſæpius judicaſſe Senatum, quoties actum fuit de hujuſmodi bonis talliabilibus, & publicis oneribus affectis, V. Deciſ. 13 decembris 1734. ref. D. Demorra pro civit. Niceæ palearum contra Comit. Cordaram, §. Hiſce omnibus ponderatis; ubi, cum civitas conveniſſet cum Maſcarino, Comit. Cordara auctore, ut ipſe pontem ſuper flumine ædificaret, & viciſſim certam annuam præſtationem ab incolis, & ab exteris tranſeuntibus perpetuo exigeret, Senatus in priſtinum jus univerſitatem reſtituendam cenſuit; quia univerſitas nequeat publica vectigalia, quibus fruitur, cedere, ſeu locare ultra decennium: atque omnino ſolemnia præcipue ſubhaſtationum requirantur, licet præſcripto temporis ſpatio locatio concludatur.*

(3) *Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtration. civil. communitat. tit. 5. cap. 1. §. 2, & ſeqq.*

DEFINITIO X.

Locatio rerum eccleſiæ ultra triennium ſine ſolemnitatibus fieri non poteſt.

Locatio rerum eccleſiæ, quæ triennium excedat, jure canonico ſine ſolemnitatibus fieri non poteſt (✠1): unde colligunt vulgo doctores, in triennium locari poſſe ſine ulla ſolemnitate; atque triennium interpretantur de tribus annis fructiferis: ita ut ſi locetur fundus, qui ſingulis tantum bienniis fructus ferat, locatio ad ſex annos fieri poſſit, & ita in aliis; quo enim anno nulli fructus ex fundo percipiuntur, nulla videtur eſſe locatio.

(✠1) *Extravag. Ambitioſæ de reb. eccleſ. non alienand. in extravag. communib. (3. 4.), Deciſ. 10. decembris 1700. ref. D. Braida in cauſſa Valletti contra Patres S. Franciſci, §. His non obſtantibus, & ſeqq.*

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Jura, & actiones ad res immobiles veniunt hoc loco immobilium nomine.

Immobilium nomine, cum quæſtio eſt de ſolemnitatibus ſervandis in alienatione bonorum univerſitatis, continentur non tantum res, quæ de loco ad locum moveri nequeunt, veluti prædia, ædificia, ſed jura quoque, & actiones ad res immobiles (✠1): tum generaliter, quæ tamquam pars rei immobilis conſiderari poſſunt, vel tamquam ejus acceſſio, vel quæ jure dominii in re conſtituti habentur; adeoque arbores, quæ cædi non ſolent, uſuifructus, uſus, emphyteuſis: non tamen fructus cujuſcumque ſint generis: prout diximus de minoribus agentes (2).

(✠1) *Decij.* 17. *januar.* 1735. *refer. D. Cavalli in cauſſa univerſit. Piperanii contra Marchion. Grimaldi*, §. *Solemnia non extrinſeca modo, poſt num.* 60.

(2) *V. Juriſprud. Tom. II.*, §. 520., *& ſeqq. pag.* 126, *& ſupra lib.* 1. *tit. XXLII. de præd. & aliis reb. minor. defin. IX.*, *& ſeqq.*

DEFINITIO XII.

Quæ res immobiles univerſitatum ſine ſolemnibus alienari poſſint? An res modici valoris?

Regula generalis, ex qua ſine juſta cauſſa prohibentur alienari res immobiles univerſitatum (1), quaſdam habet exceptiones, habita ratione bonorum, quæ alienanda proponuntur. In primis alienari poſſunt ſine ſolemnibus res modici valoris, vel ſteriles, & infructuoſæ (✠2); quia alioquin plus impendendum eſſet in ſolemnibus, quam ex earum venditione redigatur (✠3). Si tamen terrulæ alienentur cavendum eſt, ne uno, eodemque contractu plures diſtrahantur, atque ita fraus legi fiat; neque enim indirecte fieri permittitur, quod directe vetitum eſt (✠4). Quin, etiamſi memoratæ res alienari poſſint ſine conſuetis ſolemnitatibus, non tamen poſſunt alienari ſine legitima cauſſa, puta neceſſitate, vel utilitate (✠5): quemadmodum de alienatione rerum pupillarium reſcripſerunt. Imperatores (6): atque inſuper apud nos provincialium tributorum præfecti facultas, & generalis advocati aſſenſus deſideratur (7).

(1) *L. ult. cod. hoc tit. de vendend. reb. civitat.* (11. 31.), *V. Reg. diploma* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communitatum tit.* 5. *cap.* 1, §. 15., *& ſeqq. junct. lib.* 5. *tit.* 12. *Regiar. conſtitut.*

(✠2) *Terrulas, aut vineolas exiguas, & eccleſiæ minus utiles, aut longe poſitas, & parvas Epiſcopus ſine conſilio fratrum, ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem, can. Terrulas* 53. *cauſſa* 12. *quæſt.* 2., *Deciſ.* 8. *junii* 1646. *ref. D. Barberis in cauſſa PP. S. Franciſci contra Caſaſſam in fine, ubi de re eccleſiæ agebatur, Deciſ.* 5. *ſeptembris* 1729. *refer. D. Guillier in cauſſa particular., & univerſit. Cariniani contra Vachierium*, §. *Quoad prætenſam redintegrationem, & ſeqq., ubi de re univerſitatis, Deciſ.* 25. *auguſti* 1753. *refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca, Comit. Olcenenghi, & Caſtriveteris contra communit. Lucernæ veteris*, §. *Attendebatur inſuper, ubi agebatur de vectigalibus vini a Principe communitati conceſſis, ut inde perciperet libras* 16000. *expendendas in ædificandis muris oppidi, & communitas ceſſerat hoc vectigal dictis Comitibus, qui onus ædificandi muros ſuſceperunt.*

(3) *Si de rebus eccleſiæ quæſtio ſit, res parvi valoris interpretata eſt ſacra congregatio concilii Tridentini, quæ non excedunt* 40. *ſcutos Romanos. Licet autem in his non requiratur aſſenſus Summi Pontificis, tradit tamen Ferraris V. Alienatio artic.* 3. *num.* 4. *requiri conſenſum*

Google

Epiſcopi apud nos res modici valoris, quæ a civilibus univerſitatibus alienari poſſunt ſine ſolemnibus, non tamen ſine judicis competentis auctoritate, habentur, quæ minus 200. libris valent, d. Reg. diplom., §. 16.

(✠4) *Deciſ. 5. decembris 1729. refer. D. Marelli in cauſſa eccleſiæ parrochialis Caſellarum contra Gonellam in princip.*

(✠5) *Fab. cod. de reb. alien. non alienand. lib. 4. tit. 38. def. 6., Deciſ. 9. maii 1731. refer. D. Blavet inter Canonicum Rignonum, Joannem Gay, & Clericum Ciochinum princip. ad num.* 14.

(6) *L. Si fundus 13. ff. de rebus eorum &c. (27. 9.): plus tamen conceſſum eſt eccleſiæ in d. can. Terrulas 53. cauſſa 12. quæſt. 2., quam tutoribus, & curatoribus, quibus ſine ſolemnibus non licet res ſteriles alienare, nec immerito; prædiorum enim ſterilium diſtractio differri poteſt uſque in tempus legitimæ ætatis, ſi nimis in ſolemnibus impendendum ſit: contra eccleſia, ut & ceteræ univerſitates ſub cura adminiſtratorum perpetuo ſunt.*

(7) *D. Reg. diploma*, §. 16.

DEFINITIO XIII.

An agri deſerti, & ab univerſitate occupati ſine ſolemnibus alienari poſſint?

Quamquam olim ſine ſolemnibus alienari potetant agri deſerti, ſeu bona vacantia, & derelicta, quorum poſſeſſionem univerſitas iniviſſet (✠1), quippequos cuilibet propria auctoritate licebat invadere (✠2), dummodo vere deſerti eſſent (✠3); & communitas bona hæc alienando ab acquirente cautionem idoneam exigeret, eadem tenendi, colendi, & poſt biennium onera perſolvendi (✠4): non tamen videtur neceſſaria edictorum affictio, qua domini eorumdem agrorum vocentur: quæ tamen eatenus prodeſt, quatenus irrevocabile acquireretur dominium ab accipiente, ſi publicis edictis dominus vocatus fuerit (5): alioquin non niſi biennii præſcriptione dominum ſummovere poterit (6): hodie tamen vix hæc permittenda ſunt, niſi modici valoris ſint (Defin. præced.); cum hiſce exceptis ſolemnitates præſcribantur in alienatione quorumcumque immobilium, quæ ad civiles univerſitates pertinent (7).

(✠1) *Deciſ. 9. ſeptembris 1737. refer. D. Caſſotti in cauſſa univerſit. Candiæ contra Comit. Borgialli a S. Martino, & Vignam, §. Ab hac ſolemnitatum, num. 19. V. concluſ. D. Advoc. General. ſubſcriptas, Rovero 27. jun. 1747. in cauſſa univerſitat. Moncrivelli, Deciſ. 9. ſeptembris 1699. refer. D. Comotto in cauſſa Odaſſi contra communit. Caſſæ, §. Indubitata eſt enim, Deciſ. 24. januar. 1730. refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solariæ Doliani contra communit. Turris a ſancto Georgio, §. Sed independenter: ubi refertur ita deciſum anno 1728. refer. eodem in cauſſa Chiantor. contra Chiantor. Germant.*

(✠2) *L. Qui agros 8. cod. de omni agro deſerto (11. 58.), D. Deciſ. refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solariæ, & d. §.*

(✠3) *Deciſ. 12. februar. 1676. refer. D. Garretti in cauſſa fratrum de Rondolinis contra Perrotum, §. Senatus tamen. Hinc definitum fuit, non licere communitati, ſine ſolemnibus alienare fundum deſertum, quem ipſa diu retinuit, & excoluit, Deciſ. 13. ſeptembris 1737. refer. D. Nomis in cauſſa concurſus ſuper bonis Alexandri Mariani, §. Curatoris exceptionibus, num.* 21.

(4) *L. Quicumque deſertum 7. cod. de omni agro deſerto (11. 58.), D. Deciſ. refer. D. Garretti, §. Multum etiam.*

(5) *L. Locorum domini 11. cod. eod. tit. de omni agro deſerto.*

(6) *D. L. Qui agros 8. cod. eod. tit.*

(7) *Reg. diplom. 8. junii 1775. de adminiſtrat. civil. communitat. tit. 5. cap. 1, §. 15., & 16.*

Digitized by Google

DEFINITIO XIV.

Bona unico momento acquiſita univerſitati non poſſunt ſine ſolemnibus alienari.

Bonorum, quæ unico etiam momento fuerint in dominio univerſitatis, alienationem ſolemniter fieri debere, fatentur omnes (✠1); ſicut enim unico momento dominium ab uno in alium transferri poteſt, ita & acquiri (2); adeoque verum eſt, alienari rem, quæ eſt in dominio univerſitatis, quod leges prohibent, niſi præſcriptæ ſolemnitates adhibeantur (✠3).

(✠1) *Deciſ. 10. ſeptembris 1732. ref. D. Bianchis in cauſſa utrinque de Caldora, §. Poſtrema autem num. 7. Deciſ. 28. Novembris 1735. refer. eod. inter Moniales SS. Annunciationis civitat. Salutiarum, & Comit. Abecclesia, §. Non relevante objecto, poſt. num. 10, Deciſ. 9. januar. 1745. refer. D. Nomis inter Marchion. Carentum Gorſegni, jugales Angionos, & communit. Caſellarum &c. §. Enim vero in venditione, num. 44.*

(2) *L. Servus dotalis 58. § ſolut. matrimon.* (24. 3.)

(3) *L. ult. cod. hoc tit. de vendend. reb. civit.* (11. 31.)

DEFINITIO XV.

Monaſterium incapax retinendi bona immobilia alienare ea poteſt ſine ſolemnibus.

Diſtrahi poſſunt ſine ſolemnitatibus immobilia bona relicta monaſterio, ſeu eccleſiæ incapaci ea retinendi (✠1); cum enim propter ejus incapacitatem incorporari nequeant, permittenda ſine ſolemnitate juris eſt alienatio, ut pretium convertatur in utilitatem eccleſiæ, vel monaſterii, quod pretii acquirendi capax eſt.

(✠1) *Ita ſpecialiter ordini de obſervantia conceſſiſſe S. P. Clementem VII. in conſtit. Nuper 23. novembris 1625. refert. Ferraris, V. Alienatio artic. 3. num. 5., ut & de aliis definiſſe teſtatur ſacr. Congregat, Deciſ. 18. junii 1672. ref. D. Burontio in cauſſa canonicor. Lateranenſ. Abbatiæ S. Andreæ Vercellarum contra Signorettum in fin.*

DEFINITIO XVI.

Res univerſitatum ex ſola utilitate, licet nulla adſit neceſſitas, alienari poſſunt.

Quemadmodum bona immobilia pupillorum ex cauſſa ſolius utilitatis alienari poſſunt (1), ita juſta eſt alienatio bonorum immobilium ad univerſitatis quaſcumque pertinentium, non tantum ſi neceſſitas urgeat, ſed etiam ſi utilitas ſuadeat, quam ex alienatione perceptura ſit univerſitas (✠2); cum enim in favorem univerſitatum inducta ſit alienationis prohibitio, quoties utilis eſt, ceſſat prohibitionis ratio; ne alioquin in detrimentum vertatur, quod propter emolumentum conſtitutum eſt, quod æquitas non patitur (✠3).

(1) *V. Supra lib. 1. tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. &c. defin. XX.*

(✠2) *L. ul. cod. hoc tit. de vendend. reb. civitat.* (11. 31.), *Novel. 7. cap. Ut autem 2. §. 1, cap. Sine exceptione 52. cauſ. 12. quæſt. 2., extravag. Ambitioſæ extra de reb. eccleſ. non alienand. in extravag. commun.* (3. 4.), *Fab. cod. de reb. alien. non alienand. lib. 4. tit. 38. def. 6., Deciſ. 30. maii 1644. refer. D. Barberis in cauſſa univerſit. Tolegni contra Montha, §. Et ratio deciſionis, Deciſ. 9. ſeptembris 1699. refer. Commotto in cauſſa Odaſſi contra communit. Caſſæ, §. Indubitata eſt enim, Deciſ. 25. auguſti 1751. refer. D. Rotario inter loci Morani commune Montisferrati, & ejuſdem loci, nec non illius Cuniolii municipes, §. Tametſi*

Google

ſupremis judicibus. num. 15, *Deciſ.* 12. *aprilis* 1726. *refer. D. Cavalli in cauſſa Commendæ S. Margaritæ, & Severi cont. Comit.Viaritium,& litis conſortes in princip.*

(3) *L. Nulla juris* 25. *ff. de legib.* (1. 3), *L. Quod favore* 6. *cod. eod. tit.* (1. 14.)

DEFINITIO XVII.

Quæ ſint ſolemnitates adhibendæ in alienatione bonorum immobilium ad univerſitates pertinentium?

Cum publice intereſt, ut communitates bona ſua juſto, & majori, quo licet, pretio diſtrahant, quo communibus neceſſitatibus, & commodis proſpicere poſſint, legum latores ſolemnia quædam ſervanda præſcripſerunt in alienandis præcipue rebus immobilibus civilium univerſitatum: quæ ad quinque capita referri poſſunt, videlicet 1. Legitimam congregationem univerſitatis, ſeu conſiliariorum 2. Cauſſæ cognitionem. 3. Publicam bonorum ſubhaſtationem, 4. Quam præcedere debet æſtimatio. 5. Demum judicis, ſeu legitimi ſuperioris decretum, quo, his omnibus legitime peractis, alienatio permittatur (✠1).

(✠1) *Deciſ.* 30. *maii* 1644. *refer. D. Barberis in cauſſa univerſit. Tolegni contra Montha in princip.*, & §. *Ratio deciſionis*, *Deciſ.* 21. *junii* 1656. *refer. D. Delaude in cauſſa communit. Gaſſini contra Gobettum in princip. V. Loſeum de jure univerſitat. part.* 3. *cap.* 5., & *Reg. Diploma* 6. *junii* 1775. *de admin. civil. commun. potiſſimum tit.* 5. *cap.* 1. §. 15, & 16.

DEFINITIO XVIII.

An ſufficiat auctoritas conſilii ordinarii in alienandis bonis immobilibus univerſitatum.

Diſputant pragmatici, utrum res immobiles univerſitatum alienari poſſint ex ſola ordinarii conſilii auctoritate, nec ne. Quidam ſentiunt, neceſſariam eſſe generalis conſilii congregationem per capita domorum; alii requirunt præſentiam majoris partis curialium, nec non honoratorum, & poſſeſſorum, prout ſtatuit Imperator Leo (1). Sed conſuetudine hujus patriæ receptum eſt, ut ſufficiat ordinarii conſilii auctoritas (✠2), niſi forte decuriones viri graves, & ſagaces non ſint, prout in villis contingere poteſt (3): atque conſuetudo hæc noviſſimo regio jure confirmata apparet; niſi in negotiis magni momenti provincialium tributorum præfectus, cujus de hiſce rebus notio eſt, augendum putet numerum conſiliariorum (4). Sane judex, ad quem ea res pertinet, non niſi adhibita diligenti cauſſæ inquiſitione, alienationem permittere debet (✠5).

(1) *L. ult. cod. hoc tit. de vendend. reb. civit.* (11. 31.)

(✠2) *Theſaur. deciſ.* 249. *num.* 1., *Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1674. *refer. D. Gabuti in cauſſa fratr. de Graneriis contra univerſitat. Cariniani*, §. *Et primo*, *num.* 4., *V. Deciſ. Senat. Caſal. menſ. ſeptembr.* 1672. *refer. D. Berti in cauſſa Natta contra communit. Tonc.*

(3) *Theſaur. ibid. num.* 3, & *ult.* ✠, *D. Deciſ. refer. D. Gabuti*, §. *Nec objiciatur, num.* 5.

(4) *V. Reg. diploma* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communitat. tit.* 1., §. 16, *junct. tit.* 5. *cap.* 1., §. 15, & 16.

(✠5) *D. L. ult. cod. hoc tit. de vendend. reb. civitat.* (11. 31.), *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 11. §. 4, & *tit.* 13. §. 7, *Reg. diplom.* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communitat. tit.* 5. *cap.* 1, § 15., & 16., *Deciſ.* 26. *ſeptembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa communit. Antignani contra fratr. de Malabaila*, §. *Primo quia*, *in fine*, *Deciſ.* 17. *januar.* 1735. *refer. D. Cavalli in cauſſa communit. Piperanii contra Marchion. Grimaldi*, §. *Inſuper ipſummet juris ordinem*, *poſt num.* 41., & §. *Solemnia non extrinſeca modo*, *poſt num.* 71., *V. ſupra definit. XVII. in fin.*, *ubi demonſtravimus*,

Digitized by Google

judicis interventum omnino neceſſarium eſſe in conſilio univerſitatis, cum res immobilis alienanda proponitur.

DEFINITIO XIX.

Subhaſtatio bonorum, & prævia eorum æſtimatio fieri debet, cum res immobiles univerſitatum vendendæ ſunt.

Ut vim habeat alienatio bonorum immobilium univerſitatis, requiritur publica bonorum ſubhaſtatio, quam præcedat æſtimatio (✠1): hæc quidem jure Romano non præſcribuntur; ſed, communi fere omnium gentium uſu ad abundantiorem cautelam recepta ſunt, exemplo etiam juris Romani, quod in perpetuis locationibus prædiorum ad rempublicam pertinentium publicas licitationes exigit (2). Subhaſtatio autem, & prævia periti æſtimatio jure, quo nunc regimur, ad ſubſtantiam, ſeu ut pragmatici loquuntur, ad formam actus requiri videntur, quemadmodum in alienationibus bonorum immobilium, quæ ad pupillos, vel minores ſpectant (3): quibus expreſſe in hoc argumento univerſitates cujuſcumque generis æquiparantur (4).

(✠1) *Reg. conſtit. d. lib. 5. tit. 11. §. 4., d. Deciſ. 30. maii 1644. refer. D. Barberis in cauſſa Univerſit. Tolegni contra Mathæum Monteu, §. Et ratio deciſionis, Deciſ. 10. ſeptembris 1732. refer. D. Bianchis in cauſſa utrinque de Caldora, §. Vitioſa namque, Deciſ. 28. ſeptembris 1643. refer. D. Vercellis in cauſſa Univerſitat. Lexonæ contra Clerici in princip.*

(2) *Loca omnia, fundive reipublicæ, propoſitis prius licenter edictis, de hine ubi in eum canonis modum contendentium augmenta ſuccreverint, ut extendi ultra, aut ſuperari alterius oblatione non poſſint, perpetuariis conductoribus locentur, L. Loca 3. eod. de locatione prædior. civil. (11. 70.)*

(3) *V. Juriſprud. Tom. II. §. 609, & ſeqq. pag. 143.*

(4) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 3., & 4., V. Reg. diploma 6. junii 1675. de adminiſtration. civil. communitat. tit. 5. §. 16.*

DEFINITIO XX.

Quid ſi Princeps ſubhaſtationes remittat, vel ex adjunctis temporum fieri nequeant, vel contraria vigeat conſuetudo, aut res modici valoris vendi debeant?

Exceptionem habet regula modo propoſita (defin. præced.), ſi Princeps ex juſta cauſſa, puta ad evitandas graviores, quæ in his fiunt, expenſas, ſolemnitates ſubhaſtationum remiſerit (✠1): vel propter temporis calamitates, hoſtium incurſiones, vel belli pericula ſubhaſtationes peragi non potuerint (✠2); cum receptiſſimum apud omnes ſit, neceſſitatem a quibuſcumque ſolemnibus excuſare (3); vel ſi forte contraria conſuetudo legitime firmata inducta fuerit (✠4). Res quoque modici valoris, ſeu quæ infra libras 200. ſunt, ſine ſubhaſtatione, non tamen ſine prævia æſtimatione, diſtrahi permittuntur (5).

(✠1) *Deciſ. 8. maii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Protopræſidis De Zoppis contra Communitat. oppidi Caſſinarum, in princip., ubi de cenſu agebatur a communitate conſtituto ex licentia Senatus Mediolanenſis, qui parem habet poteſtatem cum Principe ex conſtitutionibus Principis in tit. de ſenatoribus. Ita Regiis literis 28. novembris 1737. data fuit adminiſtratoribus Sancti Pauli, nec non Hoſpitalium ſancti Joannis, & Charitatis facultas alienandi immobilia ſine diſpendio ſubhaſtationum, ſi neceſſitas urgeat, prævia tamen facultate habita a Senatu, & literis eodem die, & anno Se-*

Digitized by Google

natui datis ſancitum eſt, poſſe Senatum hanc tribuere facultatem, ſi cauſſa alienandi ſit notorius concurſus pauperum, vel infirmorum, quibus redditus non ſufficiant, vel graviſſimum æs alienum, de quo ex inſtrumentorum editione conſtet.

(✠2) *Decis. 10. ſeptembris 1674. ref. D. Gabuti in cauſſa fratr. de Graneriis contra Univerſitat. Cariniani, §. Nam quoad ſubhaſtationes, num. 11., Decis. 25. auguſti 1733. refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca, Comit. Olcenenghi, & Caſtri veteris contra Communit. Lucernæ veteris, §. Attendebatur inſuper.*

(3) *L. Aliquando 5. ff. de offic. proconſul.* (1. 16.), §. *Alienatione 13. ff. famil. erciſcund.* (1. 2.)

(✠4) *Decis. Senat. Caſalenſ. menſe ſeptembris 1672. refer. D. Berti in cauſſa Natta contra Communit. Tonci, §. ult., Decis. 25. auguſti 1751. refer. D. Rotario inter loci Morani commune Montisferrati, & ejuſdem loci, nec non illius Cuniolii municipes quamplures. §. Quamquam vero ad ſolemnitates, num. 14.*

(5) *Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtration. civil. communitat. tit. 5. §. 16.*

DEFINITIO XXI.

An univerſitas ſolemnitatibus ſubhaſtationum renunciare poſſit? An judex ex officio nullam dicere poſſit venditionem omiſſis ſubhaſtationibus celebratam?

Non tamen univerſitas poteſt renunciare ſolemnibus in alienatione immobilium præſtitutis (✠1): quemadmodum nec minoribus permittitur renunciatio (2); quia lex, quæ ſubhaſtationes præſcribit, ſimul prohibet, ne aliter bona immobilia univerſitatum diſtrahantur: legi autem prohibenti renunciari non poteſt. Quo fundamento definitum fuit, judicem poſſe ex officio ſupplere, & contractum irritum declarare, etiamſi univerſitas ex parte ſua defectum ſolemnitatum non opponat (✠3); quia hinc nullus ipſo jure fiat contractus, adeoque, deficiente jure actoris, judex abſolvere debeat.

(✠1) *Decis. 28. ſeptembris 1643. ref. D. Vercellis in cauſſa Univerſitat. Lexonæ contra Clerici, §. Et quamvis dicta jura, Loſæus de jure univerſitat. part. 3. cap. 5. num. 14.*

(2) *Abeeleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſerv. 129. num. 14., & 18.* ✠

(✠3) *D. Decis. §. Verum quia ex parte communitatis, argum. L. ubi pactum 40. cod. de tranſactionib.* (2. 4).

DEFINITIO XXII.

Subhaſtationes publice, & interdiu fieri debent. Quid de die, loco, rerum quantitate, & qualitate?

Subhaſtationes publice, & interdiu fieri debent, ut cuique offerenti liber aditus pateat (✠1): & in iis, ſeu potius in edictis, quæ prius proponuntur, ſpecifice exprimenda ſunt bona, eorum qualitas, & quantitas (✠2); tum locus, & dies certo definiri, quo licitatio facienda eſt (3); alioquin obtineri non poteſt finis ſubhaſtationum, in eo poſitus, ut, quantum fieri poteſt, majori pretio res diſtrahantur. Hinc nulla videtur ſubhaſtatio bonorum communitatis cum juribus aquarum in genere tantum deſignatis, cum ſpecifice ſint exprimenda ad alliciendos plures licitatores, atque idem ferendum eſt judicium de falſa die aſſignata ad comparendum; niſi, falſitate detecta, nova fuerint facta proclammata, & affixa nova edicta.

(✠1) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 12. §. 2., Decis. 10. februarii 1674. refer. D. Rolando in cauſſa Moretta contra Marconam, & Communitat. Bayri in princip., & §. ſeq., ubi & definitum fuit, nullum*

Digitized by Google

eſſe poſterius deliberamentum; *quia ſecutum fuerat, quin prius judex pronunciaſſet de vitio, ſeu, ut ajunt, nullitate prioris*; *clam, & nocte factum fuerat*; *quia actus ſemper præſumitur validus, donec aliter judicatum fuerit*, §. *Aliud vero deliberamentum*.

(✠2) *Non tamen reſcinditur deliberamentum eo prætextu, quod jugerum quantitas non fuerit rite deſignata, ſi hæc demonſtrative tantum, non vero taxative, ut pragmatici loquuntur, fuerit adjecta, niſi expreſſe licitator oſtenderit, ſe ad determinatam jugerum quantitatem reſpicere*; *etenim eo plane conſilio demonſtrative quantitas indicatur, ne ſpecialior, & individua determinatio deſiderari poſſit*, *Deciſ.* 13. *decembris* 1730. *refer. D. Caſſotti in cauſſa de Villanis contra de Panuellis*, §. *Secunda exceptio*, *ubi in edictis aſſertum fuerat, rus, quod publice vendebatur*, 64. *jugeribus conſtare, cum* 74. *contineret*.

(3) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 12. §. 1.

DEFINITIO XXIII.

Pretium bonorum, quæ publice vendenda proponuntur, exprimi debet. Quid ſi ſalſo expreſſum ſit?

Cum autem præter hactenus enumeratas ſubhaſtationum conditiones, adhuc rei pretium exprimi debeat (1), ſi forte poſt priorem licitationem minuatur pretium, deminutio hæc publice denuncianda eſt, ut inde facilius emtores alliciantur, & verum rei pretium cognoſcere poſſint. Hinc, cum ſubhaſtata proponeretur domus ſub pretio librarum 16000., quæ prius ſub pretio librarum 20000. fuerat ſubhaſtationi expoſita, quin publice denunciata fuiſſet hæc pretii deminutio, quæ emtores facile potuiſſet allicere, cenſuit Senatus, nullum eſſe deliberamentum, quo ſub pretio librarum 17000. plus offerenti addicta fuerat: ſed denuo eſſe ſubhaſtandam ſub pretio oblato librarum 17000. (✠2).

(1) *Reg. conſtit. d. lib.* 5. *tit.* 12. §. 1.

(✠2) *Deciſ.* 17. *ſeptembris* 1648. *refer. D. Piſcina in cauſſa Leſnæ contra Goſium in fine, ubi agebatur de domo ad minorem pertinente*.

DEFINITIO XXIV.

An venditor de pretio rei publice vendendæ ſub haſta prius convenire poſſit cum emtore?

Subhaſtatio, ſeu potius venditio publice facta ſub haſta vim habere non deſinit, licet pretium antea ſtatutum, & conventum fuerit cum emtore; ea lege adjecta, niſi alter meliorem offerat conditionem (✠1); hujuſmodi enim pactum prudens eſt, cum per illud univerſitas propriæ conſulat utilitati, nec ullum diſpendii periculum ſubeat (2). Ex quo ſequitur, defectum ſubhaſtationum per ſe ſtatim non irritare contractum, utpotequæ eo etiam inito adhiberi poſſunt (3).

(✠1) *Deciſ.* 25. *augusti* 1733. *refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Riccâ, Comit. Olcenenghi, & Caſtri veteris contra Communit. Lucernæ veteris*, §. *Quod vero attinet ad pactum præambulum, ubi etiam traditur, neceſſariam non eſſe affixionem edictorum pluribus in locis, ſed ſufficere, ſi in oppido affigantur*, *Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1674. *refer. D. Gabuti in cauſſa D.D. de Graneriis contra Univerſitat. Cariniani*, §. *Quarto cumulative*.

(2) *Adeoque prohiberi non debet*: *L. Nulla juris* 25. *ff. de legib.* (1. 3.)

(3) *Quæ enim non ad ſubſtantiam, ſeu formam actus pertinent, ſed in alterius utilitatem præſcribuntur, non intereſt, quocumque tempore adhibeantur, dummodo finis legis obtineatur*, *L. quo enim* 12. §. *Julianus* 2. *ff. ratam rem haberi* (46. 8.)

Digitized by Google

DEFINITIO XXV.

Adminiſtratores univerſitatum bona vendere non poſſunt ſine ſpeciali mandato. An verſio pretii præſumatur?

Venditio bonorum immobilium univerſitatis a ſindico, vel alio quovis ſingulari adminiſtratore facienda rata non eſt, niſi habeat ſpeciale mandatum (quod in hac gravis momenti re vix aliquando præſumitur); quo quidem mandato non tantum vendendi facultas detur, ſed & vendi plerumque jubeatur (✠1). Præterea verſio pretii demonſtranda eſt in utilitatem univerſitatis (2); quæ tamen facilius præſumitur in alienationibus, utpotequæ fiant auctorante judice, ſeu apud nos provincialium tributorum præfecto, ex cujus decreto oritur præſumtio, omnia fuiſſe legitime peracta (✠3). Sane adminiſtratores non aliter auctoritate ſua firmare poſſunt alienationem, quam ſi legitimi ſint (✠4), ut de tutoribus diximus (5).

(✠1) *Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Appiano in cauſſa Communitat. Antignani contra fratres de Malabaila, §. Primo, quia ſyndici.*

(2) *V. de mandati neceſſitate, aliiſque, quæ ad mandatum pertinent tit. præced. defin. XXIII., & ſeqq.*

(✠3) *Deciſ. 9. ſeptembris 1699. refer. D. Commoto in cauſſa Odaſſi contra Communitat. Caſſæ, §. Præcipue dum pretium, & §. Decretum fuit interpoſitum, V. Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtrat. civil. communitat. tit. 5. §. 16.*

(✠4) *Deciſ. 4. ſeptembris 1648. refer. D. Caroccio in cauſſa Societat. B. Virginis Vici contra Comit. Penſam, §. Senatus inſuper habitis.*

(5) *V. ſupra lib. 1. tit. XXIII. de præd., & aliis rebus minor. ſine decreto non alienand. definit. XXI., & Juriſpr. Tom. II. §. 574., & ſeqq. pag. 139.*

DEFINITIO XXVI.

In alienandis bonis immobilibus Eccleſiæ, vel alterius loci pii eædem requiruntur ſolemnitates, ac in bonis civilium communitatum.

Eædem fere, ac in alienandis bonis immobilibus civilium univerſitatum, requiruntur ſolemnitates in alienationibus bonorum immobilium Eccleſiæ (✠1); videlicet legitima convocatio, & congregatio eorum, quorum de re agitur; vel mandatum, ſi ab uno ex iis peragenda ſit alienatio: tum prævia cauſſæ cognitio, bonorum æſtimatio, ſubhaſtatio, & verſio in utilitatem Eccleſiæ (✠2): atque idem obtinet in confraternitatibus, quæ regulariter inter loca pia connumerantur (✠3): nec non in rebus ad menſam Epiſcopalem ſpectantibus (✠4). Quod apud nos regio jure firmatum eſt (5). Demum etiam in bonis, quæ ad commendas ordinum militarium pertinent, quia commendæ hæ inſtar beneficiorum habentur (✠6).

(✠1) *L. Jubemus 14., & Auth. ſeq. cod. de ſacroſ. Eccleſ. (1. 2.), Deciſ. 9. maii 1731. refer. D. Blavet in cauſſa Rignoni, Gaii, & Ciochini, poſt num. 14., Deciſ. 1. aprilis 1662. refer. D. De Gubernatis in cauſſa Monaſt. Unelienſ. Eremit. ſancti Auguſtini contra Ardoinum, & Straſorellum, §. Demum non fuit dubitatum.*

(✠2) *Deciſ. 8. junii 1646. refer. D. Barberis in cauſſa PP. ſancti Franciſci contra Caſaſſam, §. Et Senatus cenſuit.*

(✠3) *Deciſ. 12. aprilis 1649. refer. D. Barberis in cauſſa Confraternit. Orphanarum contra Fiſcalem Patutiam, §. Et quia eadem ſolemnitas: ubi & traditur, eaſdem requiri ſolemnitates, licet alienatio fiat favore alterius Eccleſiæ.*

Digitized by Google

(✠4) *Fab. cod. de reb. alien. non alienand. lib. 4. tit. 38. defin. 6., Deciſ. 28. martii refer. D. Blavet in cauſſa Promotor. menſæ Epiſcopal. Vercellarum contra Comit. Adrianum Siccardum, in princip.*

(5) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 4.*

(✠6) *Deciſ. 11. maii 1648. refer. D. Abecclesia in cauſſa Blanchetti contra Pradelium in princip., Concil. Trident. de reform. ſeſſ. 24. cap. 17.*

DEFINITIO XXVII.

Quæ deſiderentur ſpeciales ſolemnitates in alienatione bonorum immobilium Eccleſiæ, vel pii loci?

Inter ſolemnitates, quæ ſingulariter ſervari debent in alienatione bonorum immobilium, quæ ad Eccleſias, vel pia loca pertinent, recenſeri non poteſt tractatus, ut ajunt, capitularis, quo prælatus una cum capitulo, vel conventu diſquirat, utrum expediat alienare, nec ne (1): nec conſenſus totius capituli, vel ſaltem majoris partis, aut ſanioris (2); hæc enim etiam deſiderantur in aliis. Idem dicendum de ſubſcriptione capitularium, ſeu clericorum, aut monachorum (3); neque enim magis ad ſubſtantiam alienationis pertinere videtur in Eccleſia, quam in ceteris civilibus univerſitatibus. Potius ergo inter ſpeciales ſolemnitates referri debet 1. Conſenſus ſuperioris Eccleſiæ, de cujus bonis alienandis agitur. 2. Apoſtolicæ Sedis ſpecialis licentia (4). Quod & apud nos uſu fori receptum (✠5): ſufficit tamen, conſenſum Summi Pontificis obtinere poſt factam alienationem, antequam res tradatur (6).

(1) *Can. Sine exceptione 52. cauſſ. 12, quæſt. 2. cap. Tua nuper 8. extra de his, quæ fiunt a prælat. ſine conſenſ. capitul. (3. 10.), cap. 1. extra de reb. Eccleſ. non alienand. in 6. (3. 9.)*

(✠2) *D. cap. ſine exceptione 52. cauſſa 12. quæſt. 2., cap. ut ſuper 8. §. ult. extra de reb. Eccleſ. alienand., vel non (3. 13.), Deciſ. 27. auguſti 1658. ref. D. Demazzettis in cauſſa Monialium ſanctæ Mariæ Magdalenæ Civitat. Albæ contra Comit. Prandum, in princip., Deciſ. 9. maii 1731. refer. D. Blavet in cauſſa Rignoni, Gaii, & Ciochini, poſt num. 14.*

(3) *Cap. 1. de his, quæ fiunt a prælat. un. conſenſ. capitul.*

(4) *Cap. ult. extra de reb. Eccleſ. non alienand., extravag. Ambitioſæ extra eod. tit. int. commun. (3. 4.)*

(✠5) *Fab. d. lib. 4. tit. 38. defin. 6. in princip., junct. alleg. 1. Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 37. num. 1, Deciſ. 28. novembris 1735. refer. D. Bianchis in cauſſa Monialium SS. Annunciationis Salutiarum contra Comit. Benvelum Abecclesia, §. Alienationem quippe, Deciſ. 24. julii 1730. refer. D. Sclarandi in cauſſa Promot. menſæ Epiſcopal. Aſtarum contra Romagnanum, §. Acceſſit deinde, num. 5., d. Deciſ. 28. martii 1737. refer. D. Blavet in cauſſa Promot. menſæ Epiſcop. Vercel. &c. in princip., Deciſ. 18. junii 1672. refer. D. Burontio in cauſſa Canonicorum Lateranenſium contra Signorettum, in princip., V. Deciſ. 10. decembris 1700. refer. D. Braida in cauſſa Valletti contra PP. ſancti Franciſci, §. His omnibus non obſtantibus, & ſeqq., in qua traditur, Eccleſiam nec alienare, nec obligare, nec locare poſſe bona ſua ultra triennium ſine ſolemnibus, & auctoritate Apoſtolica: neque hos actus ſuſtineri, niſi facti ſint in evidentem Eccleſiæ utilitatem. Quare, cum Vallettus ceſſiſſet dictis Patribus diverſa jura, & credita litigioſa media annua penſione ll. 600. dicto cedenti præſtanda, & aliis piis oneribus per ceſſionarios ſubeundis, quæ omnia firmaverant cum clauſula conſtituti, camerali, & jurejurando. Deinde vero dicti patres in ſolutum annuæ penſionis aſſignaverant Valletto tot locationis pretia exigenda propria auctoritate a conductoribus domum ad*

eoſdem patres ſpectantium. Senatus nullum dixit contractum.

(6) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 213. *pag.* 87.

DEFINITIO XXVIII.

Alienatio perperam facta nullos parit effectus. Quid de fructibus, & melioramentis?

Alienatio bonorum immobilium univerſitatis non rite facta nullas vires habet, perinde ac ſi facta non fuiſſet: nec dominium ab univerſitate amiſſum, nec in acquiſitorem translatum intelligitur (✠1). Hinc, quemadmodum de minorum rebus perperam alienatis diximus (2), poteſt univerſitas a quocumque poſſeſſore rem ſuam vindicare, etiam cum fructibus: adhibita tamen diſtinctione inter poſſeſſorem bonæ fidei, & malæ fidei: ita ut prior fructus tantum reſtituat a die litis conteſtatæ, poſterior vero a die cœptæ poſſeſſionis (✠3), juxta generales juris regulas, quibus poſſeſſor bonæ fidei fructus ſuos facit, quamdiu durat bona fides, quæ per litis conteſtationem tollitur; poſſeſſor vero malæ fidei perceptos, tum extantes, tum conſumtos, immo & percipiendos reſtituit, ſive is primus acquiſitor ſit, ſeu tertius poſſeſſor: qui tamen a primo in eo diſtat, quod facilius bonæ fidei præſumitur. Fructus autem, qui facile compenſantur cum uſuris, & melioramentis (✠4), æſtimantur ſecundum valorem cujuſque anni, quo conſumi ſolent (5). Sane fructus melioramentorum ad poſſeſſorem pertinent, licet malæ fidei ſit (✠6), utpotequos ex re ſua percepit (7).

(✠1) *L. Jubemus* 14. §. 1. *cod. de ſacroſ. Eccleſ.* (1. 2.), *Novel.* 7. §. *ult.*, *Deciſ.* 5. *decembris* 1729. *ref. D. Marelli pro Parochiali Caſellæ contra Paulum Gonellam, in princip.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 642., *& ſeqq. pag.* 153., *V. ſupra lib. I. tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. &c. defin. XXXV, & XXXVI.*

(✠3) *Deciſ.* 10. *ſeptembris* 1732. *ref. D. Bianchis in cauſſa utrinque de Caldora, § Sane quoad fructus, num.* 8., *Theſaur. deciſ.* 29. *num.* 8. ✠, *& in addit. litera C, Deciſ.* 17. *januarii* 1735. *refer. D. Cavalli in cauſſa Univerſit. Piperanii contra Marchion. Grimaldi, §. Senatus itaque, poſt num.* 114.

(✠4) *Sent. Jud. delegat.* 11. *ſeptembris* 1738. *refer. D. Viani in cauſſa Communit. Clauſii contra Comit. Gilettarum, §. Noti juris eſt, & d. Deciſ. refer. D. Cavalli, & d.* §.

(5) *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 650. *pag.* 154., *&* §. 1607. *pag.* 404., *V. ſupra dict. lib. I. tit. XXIII. definit. XXXVII.*

(✠6) *Deciſ.* 30. *maii* 1644. *refer. D. Barberis in cauſſa Communit. Tolegni contra Monta in fine.*

(7) *Argum. L. Si unus ex ſociis* 67. §. 1. *ff. pro ſocio* (17. 2.)

DEFINITIO XXIX.

Univerſitas, reſciſſa alienatione, rem cum fructibus reſtituit, & melioramenta.

Quemadmodum minor rem ſuam cum fructibus repetens tum pretium, quod in rem ipſius verſum eſſe conſtat, reſtituere debet, tum uſuras, nec non pretium melioramentorum cujuscumque generis, data interim poſſeſſori retentione, vel etiam actione, ſi imprudens præpropere rem reſtituerit (1): ita & univerſitas eodem jure regitur (✠2); utpotequæ his juribus gaudet, quia pupillis, & minoribus comparatur (3). Inter melioramenta vero ea tantum reſtituuntur, quæ perpetuo durant, nec ex fructibus compenſationem habuerunt (4). Atque hinc jure placuit, reſciſſa alienatione rei Eccleſiæ, quæ tranſeat in permutationem, reſtituen-

dam ex adverſo eſſe rem Eccleſiæ traditam, atque, ut evitetur inutilis, & difficilis fructuum æſtimatio, compenſationem utrinque faciendam eſſe (✠5).

(1) *V. ſupra lib. I. tit. XXIII. de præd., & aliis rebus minor. ſine decret. non alienand. defin. XXXVIII. ad XLI, & Juriſprud. Tom. II. §. 751, & ſeqq. pag. 154.*

(✠2) *D. Deciſ. 30. maii 1644. refer. D. Barberis in cauſſa Univerſitat. Tolegni contra Monta, §. Et cenſuit Senatus, d. Sententia Judicum delegatorum 11. ſeptembris 1738. refer. D. Viani in cauſſa Communit. Clauſii contra Comit. Gillettarum, §. Reſciſſo contractu.*

(3) *L. Rempublicam 3. cod. de jure reipubl. (11. 29.)*

(4) *V. Reg. diplom. 6. junii 1775. de adminiſtrat. civil. communitat. tit. 5. cap. 1. §. 6.*

(✠5) *Deciſ. 5. decembris 1749. refer. D. Marelli pro Parochiali loci Caſeliæ contra Gonellam, §. Appoſita autem.*

DEFINITIO XXX.

Neceſſitas alienationis excuſare poteſt a ſolemnibus. An & conſuetudo? Quid ſi alienatio univerſitati utilis fuerit?

Neceſſitas, quæ ſupra legem eſt (1), eximere poteſt a neceſſitate adhibendarum ſolemnitatum, quæ in alienandis rebus immobilibus univerſitatum generatim præſcriptæ ſunt. Imo placuit olim Senatui, ex longa, & legitima conſuetudine induci poſſe, ut venditiones, & locationes rerum univerſitatis fiant ſine conſuetis ſolemnitatibus, dummodo obſerventur, quæ ex regionis conſuetudine deſiderantur (✠2): non tamen ſine judicis interventu, quod ita neceſſarium videtur ad univerſitatis indemnitatem, ut contraria conſuetudo nullius ſit roboris (✠3). Suſtinetur quoque alienatio hæc, ſolemnitatibus licet prætermiſſis, ſi utilis univerſitati appareat (✠4); cum ſolemnitates eo plane conſilio præſtitutæ ſint, ut indemnitati, & utilitati univerſitatum conſulatur: quare quod univerſitatis favore inductum eſt, in ejuſdem odium detorqueri non debet (5), prout ſupra diximus de rebus minorum (6).

(1) *L. Aliquando 5. ff. de offic. proconſul. (1. 16), L. Alienationes 13. ff. famil. erciſcund. (10. 2).*

(✠2) *Deciſ. 5. junii 1665. refer. D. Sandiliano in cauſſa Comit. feudi Monalis contra Communit. eiuſdem loci per tot., Deciſ. 21. auguſti 1751. refer. D. Rotario inter loci Morani commune Montisferrati, & eiuſdem loci, nec non illius Cuniolii municipes quamplures § Quantum vero ad ſolemnitates, num. 14, ubi etiam refertur deciſio Senatus Caſalenſis menſe ſeptembris 1672. refer. D. Berti in cauſſa Natta contra Communit. Tonci, Fab. cod. de legib., & conſtitutionib. princip. lib. 1. tit. 5. def. 5. num. 2. in in allegat.*

(✠3. *D. Deciſ. refer. D. Sandiliano, V. Perez. in cod. lib. 11. tit. 31. num. 5.*

(✠4) *Deciſ. 9. ſeptembris 1682. refer. D. Gabuti in cauſſa Præsbiteris gulii Romana contra Univerſitat. Bagnaſci §. Tertio reſpondetur, D. Deciſ. 25. auguſti 1751. refert D. Rotario §. Tametſi Supremis judicibus num. 4, Fab. cod. de reb. alien. non alienand. lib. 4. tit. 38. def. 7.*

(5) *L. Quod favore 6. cod. de legib. (1. 14), L. Nulla 25. ff. eod. tit. (1. 3.)*

(6) *V. Supra lib. 1. tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. Sine decret. non alienand. defin. XXXIV.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXXI.

Alienatio non rite facta poſteriore ratihabitione expreſſa, vel tacita convaleſcit. Quæ deſiderentur conditiones in ratihabitione?

Quemadmodum alienatio rerum univerſitatis ſine ſolemnibus celebrata aliquando valet, ita, quæ ab initio irrita fuit, vim accipere poteſt ex ratihabitione quæ mandato æquiparatur (✠1); dummodo in ea præſcriptæ ſolemnitates adhibeantur (✠2), vitii ſcientia præceſſerit (✠3), quod regulariter non præſumitur, & dolus abſit tum in ratihabitione, tum etiam abfuerit in priore contractu, & læſio (✠4). Ex longa obſervantia etiam præſumitur univerſitas ratum habuiſſe contractum (✠5); patientia conſenſum ſupponit, & vix per longum tempus ignorantia præſumitur.

(✠1) *L. Semper, qui non prohibet 60. ff. de reg. jur., Deciſ. 14. junii 1685. refer. D. Torrini in cauſſa Advocat. Camelli contra Univerſit. Cerioni, §. Verum hæc omnia.*

(✠2) *Deciſ. 24. januarii 1730. refer. D. Marelli in cauſſa Marchioniſſæ Solariæ Dolianiei contra Communit. Turris a ſancto Georgio, §. His, & aliis in contrarium adductis, Deciſ. 30. auguſti 1736. refer. D. Caſſotti in cauſſa loci pii Sanctæ Coronæ, & Marchion. Phæbi de Ada contra Civitat. Mortarii, §. Denique ineficax erat ratihabitio.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Caſſotti, §. Præterea ut recte.*

(✠4) *Univerſitas æque contra ratihabitionem reſtituitur ac adverſus contractum, vel alienationem, ſi læſa ſit, pupillorum, & minorum exemplo, d. Deciſ. refer. D. Caſſotti, §. Nec quod hujuſce cenſus, V. ſupra lib. I. tit. XXV. ſi major factus &c. defin. I. ad V., & Juriſprud. Tom. II. §. 696., & ſeqq. pag. 167. Ad læſionem vero probandam tempus contractus regulariter inſpicimus, ſi modo pretium rerum ſit ſolitum, & naturale, non accidentale, & calamitoſum, V. ſupra lib. I. tit. XXXV. de in integr. reſtitut. minor. defin. VI.*

(✠5) *L. Semper 6. ff. de reg. jur., Deciſ. 6 ſeptembris 1683. refer. D. Garretti in cauſſa PP. ſancti Auguſtini Civit. Cevæ contra Communit. Nucetti, §. Quare ratificatio, Deciſ. 25. auguſti 1733. refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Ricca, Comit. Olcenenghi, & Caſtri veteris contra Communit. Lucernæ veteris, §. Hinc corruit, & rejectis exceptionibus, d. Deciſ. refer. D. Torrini 14. junii 1685, & d. §.*

DEFINITIO XXXII.

Ex obſervantia oritur præſumtio ſolemnitatum.

Cum ſolemnitates adhibendæ in alienationibus bonorum immobilium univerſitatis res facti ſint, aſſerenti eas adhibiras fuiſſe probationis onus incumbit (1): quod tamen indiciis, & conjecturis adſtrui poſſe receptum eſt (2); præcipue vero ex diuturnitate temporis, quæ adjunctam habeat contractus obſervantiam (✠3).

(1) *L. Ab ea parte 5. princip., & §. 1., L. Quoties operæ 18. ff. de probation.* (22. 3.)

(2) *V. ſupra lib. I. tit. XXV. de reſtitution. minor. defin. XVI.*

(✠3) *Fab. cod. de reb. alien. non alienand. lib. 4. tit. 38. defin. 7. num. 3. in corpore, Theſaur. quæſtion. forenſ. lib. 4. quæſt. 46. num. 16., d. Deciſ. 25. auguſti 1751. refer. D. Rotario inter loci Morani commune Montiſferrati &c. in fine, Deciſ. 2. junii 1673. refer. D. Raymondo in cauſſa jugalium de Chialuitis contra Communitat. Paeſanæ, in fine. V. Juriſprud. Tom. II. §. 741. pag. 177.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXXIII.

Vitium alienationis regulariter non poteſt allegari a tertio, ſed tantum ab univerſitate, quæ urgeatur ad implementum contractus.

Alienationis vitium inde profluens, quod præſcriptæ a legibus ſolemnitates in illis omiſſæ fuerint, allegari quidem poteſt ab univerſitate, quæ ad contractus implementum urgeatur, ſi velit; quippe etiam ipſius favore claudicat contractus (✠1); quemadmodum de minore diximus (2), non autem ab alio contrahente (✠3); ne, quod favore univerſitatis inductum eſt, in ejus diſpendium retorqueatur (4): potiori ratione nec a tertio, niſi ex actu nullo tertius conveniatur; quo caſu non eſt exceptio de jure tertii, ſed de non jure agentis (5). Fingamus, minorem, vel univerſitatem ſine ſolemnibus cenſum ſibi a Titio debitum dimiſiſſe Sempronio. Equidem Sempronius ceſſionarius a ſuſcepta obligatione ſe defendere non poteſt ex omiſſione ſolemnitatum: ſed, ſi ipſe agat contra Titium cenſus debitorem, poteſt Titius vitium ceſſionis allegare, donec univerſitas legitime declaraverit, ſe velle eundem ratam habere; alioquin Titius bis ſolvere periclitaretur; videlicet tum minori, vel univerſitati, quæ perperam ceſſit, tum Sempronio ceſſionario, quod æquitas non patitur (✠6).

(✠1) *Can. Si quæ de rebus* 42. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2., *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 3. *quæſtion.* 37. *num.* 2. ✠, *Deciſ.* 4. *junii* 1659. *refer. D. Delaude in cauſſa Garagni contra Communit. Andezeni*, §. *His tamen non reſtagantibus*, *Deciſ.* 12. *ſeptembris* 1750. *ref. D. Viale in cauſſa Marchion. a Sancto Thoma, & Monaſt. ſanctæ Crucis contra Comit. a Pamparato, & Comit. Rombellum*, §. *Verum nullitas hæc, num.* 33. *Sentent. Judic. delegat.* 15. *ſeptembris* 1738. *refer. D. Viani in cauſſa Communit. Clauſii contra Comit. Gilletarum*, §. *Univerſitatis licet*, *Theſaur. quæſtion. forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 37. *num.* 2. ✠, *Deciſ.* 10. *decembris* 1672. *refer. D. de Mazzettis in cauſſa Ninzolini contra Monial. ſanctæ Claræ Albenſ. in princip.*, *Deciſ.* 30. *aprilis* 1657. *refer. D. Galleani in cauſſa Simeomi, & Bertolotti contra Communitat. Scarnafixii*, §. *Verum, cum omnes.*

(2) *V. ſupra lib. I. tit. XXIII. de prædiis, & aliis rebus minor. &c. defin. XLII.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Delaude in cauſſa Garagni contra Communitat. Andezeni, & dict.* §., *Theſaur. dicto loco num.* 2.

(4) *L. Nulla juris* 25. *ff. de legibus* (1. 3.), *L. Quod favore* 6. *cod. eod. tit.* (1. 14.)

(5) *D. tit. XXIII. defin. XLII.*

(✠6) *Species plane hæc agitata, & definita fuit in citat. Deciſ.* 4. *junii* 1759. *refer. D. Delaude.*

TITULUS IV.

De auctoritate adminiſtratorum univerſitatis in judicio.

DEFINITIO I.

Univerſitatem defendere quiſque poteſt, non tamen pro ea agere ſine mandato.

Quamquam ex neceſſitate ad defendendam univerſitatem, quam nemo ex adminiſtratoribus defendat, quiſque admititur (1); non tamen ad agendum, niſi quis mandatum habeat: quod exhibere tenetur cum deſignatione diei, & anni (✠2). Quod ſi adminiſtrator

univerſitatum, Eccleſiæ, vel pupillorum ſecundo vocatus copiam ſui non fecerit, Regiis ſanctionibus præſcriptum eſt, ut ejus periculo conſtituatur curator ad lites (3).

(1) *L. 1., & penult. ff. quod cujuſq. univerſit. nomin.* (3. 4.)

(✠2) *Oſaſc. deciſ. 1. num. 35, & ſeqq. Deciſ. 30. auguſti 1642. refer. D. Barberis in cauſſa Communitat. Cervaſchæ contra Communit. Buſchæ, in princ., & §. Neque viſum fuit.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 3. tit. 5. §. 4.*

DEFINITIO II.

Actor univerſitatis a conſilio ordinario eligi poteſt, quin judicis auctoritas requiratur.

Cum univerſitatis conſilium eandem repræſentet, & omnia agere poſſit, quæ poteſt univerſitas (1), atque ſyndicus, ſeu actor univerſitatis a privatorum procuratore non differat (2); qui privata domini voluntate conſtituitur, conſequens eſt, ſyndicum, ſeu actorem univerſitatis rite conſtitutum intelligi auctoritate conſilii ordinarii: atque hinc jure definitum fuit, procuratorem ad lites deputatum a prioribus, ut ajunt, Eccleſiæ, etiam ſine ejuſdem ordinamento, rite electum cenſeri, & valere ſententiam, maxime ſi communitas, & parochus rata habuerint geſta a procuratore, quamvis ratihabitio ſecuta ſit, poſtquam adverſus ſententiam poſtulatum fuit (✠3), quia in hoc caſu, quo utriuſque litigatoris intereſt, rata fieri judicii acta, nihil impedire poteſt, quominus ratihabitio quovis tempore præſtita retrotrahatur (4), ſecundum generales juris regulas (5).

(1) *L. Nulli 3., L. Item eorum 6. §. 1., & 2. ff. quod cujuſque univerſitat. nomina* (3. 4.), *Reg. diploma 6. junii 1775. de adminiſtrat. civil. communitat. tit. 1. §. 6.*

(2) *D. L. 6. §. ult. ff. quod cujuſq. univerſit. &c.*

(✠3) *Sent. Senatus 4. ſeptembris 1756. refer. D. Beltramo in cauſſa Euſebii Borioni loci Graliæ contra Parochum, & Communit. loci Camburſani.*

(4) *Fab. cod. de exceptionib. lib. 8. tit. 24. def. 40.*

(5) *L. ult. cod. de S. C. Macedoniano* (4. 28.)

DEFINITIO III.

An ſyndicus, ſeu actor univerſitatis reſpondere poſſit poſitionibus?

Quamquam plures ſentiunt, ſyndicos univerſitatis poſſe reſpondere poſitionibus (1); dummodo ipſi ſcientiam habeant eorum, quæ in poſitionibus continentur, aut de credulitate tantum interrogentur, cum jurare poſſint de calumnia (2), ſicut & de conditione adimplenda, quæ legato adjecta ſit (3); apud nos tamen ex ſententia Senatus requiritur aſſeveratio totius conſilii, vel collegii, vel ſaltem majoris partis ejuſdem (✠4).

(1) *Cap. Præſentium 2. extra de teſtib. in 6.* (2. 10.)

(2) *L. penult. §. Hoc etiam 5. cod. de jurejur. propt. calumn.* (2. 59.) *Ex præſcripto Regiar. conſtit. lib. 3. tit. 15. §. 1, Jusjurandum aſſeverationis non exigitur ab eo, qui poſitiones offert; quamvis adverſa pars illud poſtulet.*

(3) *L. Municipibus 97. ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.)

(✠4) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 61. num. 27. ✠, Deciſ. 30. auguſti 1645. refer. D. Beccaria in cauſſa Facii contra Civitat. Cherii, §. Neque dominis, in quo additur, reſponſionem procuratoris ſine ſpeciali mandato non impedire pronunciationem poſitionum.*

Digitized by Google

DEFINITIO IV.

Jusjurandum litis deciſivum deferri poteſt actori univerſitatis. Quid ſi univerſitas per adminiſtratores inſtructos jurare nolit?

Jusjurandum litis deciſivum defenſori, ſeu ſyndico, quod idem eſt, deferri poteſt, dummodo habeat ſpeciale mandatum (1); ita ut univerſitas pro convicta haberi debeat, ſi per adminiſtratores inſtructos jurare nolit (✠1), quod quidem juſta ratione nititur; cum enim ſæpe magis interſit, hac via litibus finem imponere, concedendum fuit univerſitati, ut per eum, cui judicialia negotia ſua credidit, publicæ utilitati conſulat: quia vero graviſſima res eſt, cum alterius fidei committatur controverſiæ definitio, ſpeciale mandatum requirendum fuit.

(1) *L. Jusjurandum 4. §. 1. ff. de jurejurand.* (12. 2.)

(✠1) *Deciſ. 4. feb. 1653. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Lesbianchæ contra Communitat. Cariniani, quamquam contumacia unius adminiſtratoris, qui jurare nolit, non nocet univerſitati, Deciſ. 11. martii. 1672. refer. D. Balegno in cauſſa Clementis contra Civitat. Taurini in fine.*

DEFINITIO V.

Syndici reſponſio in judicio nocet univerſitati, ſi habeat ſpeciale mandatum, vel generale cum libera poteſtate adminiſtrandi.

Syndicus, ſeu actor univerſitatis reſpondendo in judicio nocet univerſitati, ſi habeat ſpeciale mandatum, vel ſaltem generale cum libera poteſtate adminiſtrandi (✠1), quamquam univerſitas, probato errore, confeſſionem a ſyndico emiſſam poteſt retractare (✠2). Si autem mandato ſpeciali, vel generali cum libera ſyndicus deſtitutus ſit, ex ejuſdem confeſſione univerſitas damnum ſentire non debet (✠3). Quemadmodum nec confeſſio tutoris, aut curatoris pupillo, vel minori nocet (4); quæ enim gravioris momenti ſunt, conceſſa ſyndico non exiſtimantur, niſi ſpecialiter de conceſſione appareat (5). Quo fundamento pronunciavit Senatus, procuratorem generalem univerſitatis ad lites conſtitutum non poſſe nullam dicere locationem, niſi conſtet de ſpeciali mandato (✠6).

(✠1) *Oſaſc. deciſ. 39. num. 36, & 37, V. ſupra tit. præced. defin. XVIII. Si communitas ipſa in judicio reſponderit, confeſſio hæc habet executionem paratam, Deciſ. 21. junii 1650. refer. D. Piſcina in cauſſa Marinæ contra Civitat. Hiporediæ, in fine.*

(2) *L. Non fatetur 2. ff. de confeſſis* (42. 2.), *Oſaſc. d. deciſ. 39. num. 38, 39, & ult., Deciſ. 21. auguſti 1699. refer. D. Comotto in cauſſa Hoſpital. Caritatis, & Communitat. Pecetti contra Corradinos, §. Verum, quod magis urgebat, in qua traditur, univerſitatum adminiſtratores poſſe quidem, recipere ſolutionem veram, & liberare debitorem: per fictam autem, qualis eſt confeſſio de recepto, liberare non poſſe: per confeſſionem tamen de recepto univerſitati eatenus nocent, quatenus hinc oritur præſumtio contra eam, L. Ne caſu 2. cod. de diſcuſſoribus* (10. 30.), *L. Omnes 2. §. 1. cod. de quadriennii præſcript.* (7. 37.), *Deciſ. 8. junii 1657. ref. D. Galleani in cauſſa Petrina contra Communitat. Ploſaſchi, §. Adminiſtratores publici.*

(✠3) *L. Certum confeſſus 6. §. Sed an & ipſos §. 4. ff. de confeſſis* (42. 2.), *Deciſ. 30. auguſti 1736. refer. D. Caſſotti in cauſſa loci pii ſanctæ Coronæ, & Marchion. Phœbi de Adda contra Civitat. Mortarii, §. Neque nota illi auctoritatem addidit.*

Digitized by Google

(4) *V. ſupra lib. I. tit. XXII. de auctoritat. tutor., & curator. defin. XI.*

(5) *Tit. præced. defin. XIX.*

(✠6) *Deciſ. 9. ſeptembris 1682. refer. D. Gabuti in cauſſa presbyteri Julii Romana contra Univerſitat. Bagnaſci, §. Secundo reſpondetur, argum. L. De pupillo 5. §. Qui procuratorio 18. ff. de operis novi nunciat.* (39. 1.)

TITULUS V.

De actionibus univerſitatum contra adminiſtratores.

DEFINITIO I.

Adminiſtratores univerſitatum rationes reddunt. An cogi ad eas reddendas poſſint, nondum finito officio?

Cum ex ipſa officii natura adminiſtratores rerum alienarum librum rationum conficere teneantur, in quo data, & accepta ſcribant, & finita adminiſtratione ejuſdem rationem reddant, ac reliqua reſtituant (1); huic quoque oneri ſubjici debent, qui res adminiſtrant, quæ ad univerſitates pertinent (✠2). Immo apud nos conſtitutum eſt, ut præfectus provincialis tributorum poſſit cogere exactores, receptores, & adminiſtratores locorum ad reddendas rationes quovis tempore, & ad reliqua ſolvenda (3); quamvis regulariter, nonniſi finito officio, quod certo temporis ſpatio circumſcribitur, reddendarum rationum onus incumbat (4). Ut autem rationes legitime reddantur, ſingillatim, & diſtincte omnia exprimenda ſunt, ut cognoſci poſſit, an probe, an improbe relata fuerint (5).

(1) *L. Si quis abſentis 2. ff. de negot. geſt.* (3. 5.), *L. 1. ff. de tutel., & rationib. diſtrahend.* (27. 3.), *V. ſupra lib. I. tit. XXX. de reddition. ration. defin. I.*

(✠2) *Deciſ. 5. decembris 1652. refer. D. Piſcina in cauſſa Univerſit. Sanfredi contra exactores, L. Non utique 2. §. Quod de frumentaria 2. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pertinent.* (50. 8.)

(3) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 1. cap. 4. §. 5.*

(4) *L. Niſi finita 4., L. Si tutor 9. §. Et generaliter 4. ff. de tutel., & rationib. diſtrahend.* (27. 3.)

(5) *L. Cum ſervus 82. fere in med. ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.), *L. Argentarius 10. §. Edi autem 2. ff. de edendo* (2. 13.), *V. ſupra lib. I. tit. XXX. defin. XXI.*

DEFINITIO II.

Univerſitati non competit ex jure Romano hypotheca in bonis adminiſtratorum; utique ex uſu fori.

Univerſitates in bonis adminiſtratorum jure tacitæ hypothecæ gaudere, etiam Romano jure inſpecto, aliquibus placet; tum quia traditum ſit, civitates uti jure minorum (1); quos nemo dubitat, hypothecæ jure gaudere in bonis curatorum (2); tum quia ex Conſtantino debitorum bona univerſitati obnoxia ſunt (3). Rectius negant alii, non tantum, quia, ex regula communiter approbata, tacita hypotheca nunquam competit, niſi in caſibus a jure expreſſis: allata autem jura agunt de reſtitutione in integrum, quod privilegium ab eo tacitæ hypothecæ longe diverſum eſt: Conſtantinus de hypotheca conventione quæſita ſatis apte intelligitur (4): ſed potiſſimum, quia contrarium in jure definitum apparet; tum ab Antonino aſſerente, reipublicæ cauſſam a ceteris creditoribus non ſeparari, qui habent perſonalem actionem, niſi jus pignoris ſpeciali beneficio nacta ſit, vel ſpeciali-

Digitized by Google

ter in obligatione ita ſibi proſpexerit (5); tum a Marciano ſcribente privilegium fiſci nulli civitati competere, niſi id nominatim a Principe conſtitutum ſit (6); quemadmodum conceſſum fuerat civitati Antiochenſium (7). Ita quidem obtinet ex jure Romano, ſed ex uſu fori bona quorumcumque adminiſtratorum, qui rationes reddere tenentur, tacitæ hypothecæ ſubjiciuntur (✠8).

(1) *L. Reſpublica* 4. *cod. quib. ex cauſ. major.* (2. 54.), *L. Rempublicam* 2. *cod. de jur. republic.* (11. 29.)

(2) *L. Pro officio* 20. *cod. de adminiſtrat. tutor.* (5. 37.)

(3) *Et, quia nefas eſt, obnoxiis corporibus alienatis, circumſcribi civitates, L. ult. fere in princip. cod. de debitorib. civit.* (11. 32.)

(4) *In d. L. ult. cod. de debitoribus civitat.*

(5) *L. In republica* 1. *cod. de jure reipublic.*

(6) *L. Simile privilegium* 10. *ff. ad municipalem* (50. 1.) *Fiſcus habet tacitam hypothecam in bonis eorum, quibuſcum contrahit, L. Certum eſt* 2. *cod. in quib. cauſſ. pign., vel hypothec. tacit. contrahit.* (8. 15.)

(7) *L. Antiochenſium* 37. *ff. de reb. auctoritat. judic. poſſidend.* (42. 5.)

(✠8) *V. Deciſ.* 9. *maii* 1731. *refer. D. Blavet inter Canonicum Rignonum, Joannem Gay, & Clericum Ciochinum, §. Quamobrem dictum, poſt num.* 21, *in qua traditur, bona canonici, qui rem Eccleſiæ perperam alienavit, tacite obligata eſſe exemplo tutoris, uſufructuarii, & fideicommiſſarii, V. ſupra lib. I. tit. XXXII. de hypothec. pupil., & minor. definit. II, V. Reg. diploma* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communit. tit.* 9. *cap.* 3. §. 5.

DEFINITIO III.

Hypotheca tacita competit univerſitati pro tributis etiam cum prælatione.

Univerſitates tacitæ hypothecæ jure gaudent in bonis civium pro tributis, atque ex communi ſententia, & omnium fere gentium legibus etiam cum prælatione (✠1): nec non privilegium, quo ceteris creditoribus chirographariis præferantur (2). Si autem civitas hypothecam expreſſam in contractu ſibi quæſierit, & concurrat cum alio idem jus habente, nullo fruitur privilegio, ſed, quemadmodum in privatis obſervatur, potior jure eſt, qui prior eſt tempore (3).

(✠1) *L.* 1. *cod. ſi propter publicas penſitationes* (4. 46.), *Oſaſc. deciſ.* 91. *num.* 4., *Deciſ.* 13. *aprilis* 1658. *refer. D. Caroccio in cauſſa Communit. Volveriæ contra Comit. Ploſaſcum in princip., Deciſ.* 27. *ſeptembris* 1634. *refer. D. Nomis in cauſſa fratrum de Rolia contra exactores Communitat. Podivarini, §. Et Senatus, juncto §. Neque adverſatur, V. Reg. diploma* 6. *junii* 1775. *de adminiſtrat. civil. communitat. tit.* 9. *cap.* 3. §. 36, & 37, *Voet in pandect. in quib. cauſ. pign. &c. lib.* 20. *tit.* 2. *num.* 8.

(2) *L. Bonis venditis* 38. §. 1. *ff. de reb. auctoritat. judic. poſſidend.* (42. 5.)

(3) *L. Si fundum* 4. *cod. qui potior in pign.* (8. 18.)

Google

TITULUS VI.

De in integrum reſtitutione univerſitatum.

DEFINITIO I.

Univerſitatibus cujuſcumque ſpeciei competit beneficium reſtitutionis in integrum, ſi læſæ ſint.

Univerſitates omnes reſtitutionis beneficio gaudere, ſi læſæ demonſtrentur, utpotequæ pupillis, & minoribus æquiparantur, communis ſententia eſt, atque uſu fori paſſim probata (✠1), quæ & reſcriptis Imperatorum nititur (2). Neque ſpeciales deſunt textus, quibus hæc concluſio firmetur. Eccleſiæ per reſtitutionem in integrum ſuccurrendum eſſe, tradunt Alexander III. (3), Gregorius IX. (4), Bonifacius VIII. (5), & Clemens V. (6); privilegia autem, quibus Eccleſia utitur, omnibus locis piis, quocumque nomine donentur, competere apertiſſime conſtituerunt Imperatores Leo, & Anthemius (7), atque iidem Imperatores præſcripſerunt, ut orphanotrophi, ſeu orphanorum rectores, omnibus juribus, & privilegiis gaudeant, quibus fruuntur tutores, & curatores (8); ex quo jure infertur, ceteris piis cauſſis, confraternitatibus, ſive laicales ſint, ſive eccleſiaſticæ, idem jus afferendum eſſe, quia & ab adminiſtratoribus reguntur, & Eccleſiis quodammodo, quatenus ad pietatis opera exercenda pertinent, non immerito æquiparantur (9)

(✠1) *Deciſ.* 12. *junii* 1679. *refer. D. Gabuti in cauſſa Univerſitat. Coſtiliolarum comitatus Aſtenſ. contra Comit. Alpherium, & Marchion. Villam, §. His tamen minime obſtantibus, num.* 5, *Sentent. Judic. delegat.* 11. *ſeptembris* 1738. *refer. D. Viani in cauſſa Communitat. Clauſii contra Comit. Gillettarum in princip., Loſæus de jure univerſit. part.* 3. *cap.* 18. *num.* 2, *& ſeqq.*

(2) *L. Reſpublica* 4. *cod. ex quib. cauſ. maj.* (2. 54.), *L. Rempublicam* 2. *cod. de jur. reipublic.* (11. 29.)

(3) *Cap.* 1. *extra de reſtitut. in integr.* (1. 41.)

(4) *Cap.* 1. *extra eod. tit. in* 6. (1. 21.)

(5) *Cap.* 2. *eod. tit. in* 6.

(6) *Clement. unic. eod. tit.* (1. 11.)

(7) *L. Omnia privilegia* 35. *cod. de Epiſcop., & cleric.* (1. 3.)

(8) *L. Orphanotrophos* 32. *cod. eod. t.*

(9) *D. L.* 35. *cod. de Epiſcop., & cleric.*

DEFINITIO II.

Pauperes in integrum reſtitui poſſunt, ſi læſi ſint in alienatione bonorum.

Pauperibus indulgendam eſſe reſtitutionem in integrum, ut reſcindatur alienatio, qua læſi ſint, vulgo placet; cum eorum cauſſa pia ſit (✠1); adeoque Eccleſiæ, & piorum locorum beneficio uti debent (defin. præced). Nec intereſt, ſaltem quoad effectum, an univerſitatem quandam pauperes conſtituant, nec ne; etenim etiam in poſteriore caſu ſaltem ex generali clauſula, qua prætor, ſe reſtituturum pollicetur, ſi qua juſta cauſſa ipſi eſſe videbitur (2), reſtitutio non poſſet illis denegari.

(✠1) *Deciſ.* 25. *auguſti* 1642. *refer. D. Beccaria in cauſſa Bernardi Bonæ, & aliorum per tot.*

(2) *L.* 1. *§.* 1. *in fin. ff. ex quib. cauſ. major.* (4. 6.)

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Univerſitates reſtituuntur adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis. An adverſus centenarium Eccleſia reſtituatur?

Reſtituuntur univerſitates adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis (✠1): non tamen adverſus centenariam (✠2), excepta Eccleſia Romana, cui ſolam objici poſſe centenariam præſcriptionem paſſim traditur, utpotequæ propter ſingularem dignitatem ſingulari jure, & privilegio digna ſit (3). Quod quidem privilegium, quamvis Juſtinianus abrogare viſus fuerit, cum indiſtinctè conſtituit, ut in Eccleſiis, & piis locis ſervetur præſcriptio XL. annorum (4); quia tamen ſpeciatim Romanæ Eccleſiæ non meminit, jure canonico (5) paſſim in foro recepto adhuc vires ſuas exerit (6).

(✠1) *Deciſ. 12. junii 1701. refer. D. Gabuti in cauſſa Univerſitat. Coſtiliolarum contra Comit. Alpherium, & Marchion. Villam, §. His tamen minime obſtantibus, num. 3.*

(2) *Edict. 12. junii 1697. conceſſa fuit reſtitutio præciſa omnibus communitatibus contra quemcumque lapſum temporis, actus, & res judicatas, ſi foveret jus in meritis, ita in Deciſ. 28. julii 1701. refer. D. de Caburetto in cauſſa reviſionis loci Publiciarum contra Vaſſallum Pergamum, §. Fundamenta hujus deciſionis.*

(3) *Auth. Quas actiones poſt L. 23. cod. de ſacr. Eccleſ.* (1. 2.)

(4) *Novel. 111. cap. 1, & Novel. 136. cap. Pro temporalibus 6.*

(5) *Cap. Cum a nobis 14. extra de præſcriptionib.* (2. 26.)

(6) *Fab. cod. ne rei dominic., vel templor. lib. 7 tit. 12 def. 1.*

DEFINITIO IV.

Reſtitutio ab univerſitatibus intra conſuetum tempus quadriennii peti debet.

Cum de tempore petendæ in integrum reſtitutionis ab univerſitatibus nihil ſingulare præſcriptum ſit, conſequens eſt, conſuetum quadriennii tempus ſervari debere (✠1): quemadmodum de Eccleſia conſtituit Gregorius IX; niſi fraus probetur interveniſſe, vel alia rationabilis cauſſa ſubſit, quæ aliud ſuadeat (2), atque de reſtitutione minorum diximus (3). Quadriennium autem non a die contractus, vel læſionis computatur, ſed ab eo tempore, quo læſionis ſcientia habita eſt (✠4).

(✠1) *Deciſ. 23. junii 1676. refer. D. Ocelli in cauſſa Comit. de Siccardis contra Communit. Pignes in princip.*

(2) *Cap. 1. extra de reſtit. in integr. in 6.* (1. 21.)

(3) *V. ſupra lib. I. tit. XLI. de temporib. in integr. reſtitut. definit. I, & ſeqq., & Juriſprud. Tom. II. §. 1562, & ſeqq. pag. 392.*

(✠4) *Deciſ. 26. ſeptembris 1644. refer. D. Piſcina in cauſſa Nicolis contra Religionem Hyeroſolimitarum, §. Et quatenus eſſent.*

DEFINITIO V.

Reſtitutio omnia in priſtinum ſtatum reducit.

Reſtitutionis impetratæ is eſt effectus, ut omnia in priſtinum ſtatum reducat, perinde ac ſi nihil actum fuiſſet (1). Hinc recte pronunciavit Senatus, civitate reſtituta a Principe contra ſententiam, etiam reſtitutam intelligi adverſus pronunciationem jurisjurandi ejus odio ſecutam, atque ad id omne quod abſtulit læſio (✠2).

Digitized by Google

(1) *L. Quod ſi minor 24. §. ult. ff. de minorib.* (4. 4.), *L. unic. cod. de reputationib., quæ fiunt in judic. in integ. reſtitution.* (2. 48.), *V. Juriſprud. Tom. II.* §. 1596., *& ſeqq. pag.* 402.

(✠2) *Deciſ.* 21. *junii* 1650. *refer. D. Piſcina in cauſſa Marinæ, & Civit. Hiporediæ, in princip.*

TITULUS VII.

De acquirendo rerum dominio per occupationem: ubi de venatione, piſcatione, & inventione.

DEFINITIO I.

Venationem, & piſcationem Princeps prohibere poteſt: & interdum publice intereſt prohiberi.

Quamquam non defuerunt interpretes, qui Principibus denegarunt jus prohibendi piſcationem, & venationem, eo fundamento, quod Princeps ſubditis ea prohibere nequeat, quæ jure naturæ, & gentium unicuique competunt, qualia ſunt volucrum, & ferorum animalium occupatio, prout docent Jureconſulti (1), & poſt ipſos Juſtinianus (2); recepta tamen ſententia apud omnes nunc eſt, Principi hujuſmodi jus competere; quippequi diſpenſationem habet eorum, quæ nullius ſunt (✠3); atque non raro reipublicæ intereſt, ut facultas hæc ſubditis generatim auferatur, ne ab agrorum cultura, vel artificiorum opera eos hinc diſtrahi contingat: atque ut uni præcipue concedatur ob præclara in rempublicam merita: quare jus piſcandi in flumine cum facultate piſcationem prohibendi inter regalia inferiora, ſeu, ut alii vocant, minora vulgo a pragmaticis recenſetur (4).

(1) *L.* 1. §. 1., *L. Quod enim* 3. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.)

(2) §. *Feræ igitur* 12. *inſtit hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠3) *Deciſ.* 29. *decembris* 1772. *refer. D. Gavutio inter Civitat. Aſtæ, & Monaſter. Caſſinenſe ſancti Bartholomæi num.* 9. *in allegat.*

(4) *Regalia duplicis generis paſſim diſtinguuntur, quorum alia majora, quædam minora appellantur; majoribus continentur metalli fodinæ, jus condendæ monetæ; minoribus jus piſcationis, & venationis, pedagia exigendi, & ſimilia.*

DEFINITIO II.

Venationis, & piſcationis jus quibus caſibus a Principe in vaſſallos per inveſtituras tranſlatum cenſeatur?

Poteſt quidem Princeps jus venationis, & piſcationis, quod inter regalia minora recenſetur, in vaſſallos transferre; cum immo conſideretur tamquam prærogativa annexa juriſdictioni, qua fruuntur vaſſalli (1): dubitari tamen non raro poteſt, utrum voluerit hoc jus transferre. In hac autem re generalis regula vulgo traditur, regalia non aliter in vaſſallos tranſlata cenſeri, præterquamſi clienteliaribus tabulis nominatim fuerint comprehenſa, ita ut nec generali verborum quantumlibet pugnantium vi ſingularia Principis jura una cum feudo tranſire exiſtimentur (✠1). Quæ regula præcipue locum ſibi vindicat, quando clauſula *cum regaliis*, vel *regalibus* non legitur in diſpoſitiva conceſſionis parte, ſed in proemiali, vel finali (✠2); generales enim hujuſmodi formulæ vim ſuam commode exercere poſſunt in illis, quæ eandem naturam habent cum expreſſis, & feudi nomine jam traditis (✠3). Quod ſi certo conſtet de Principis voluntate, qua jus venationis, & piſcationis in vaſſallum tranſtulerit, vaſſallis in vim hujus con-

Digitized by Google

ceſſionis competit jus venandi, & piſcandi in territorio per ſe, vel per alium nomine ſuo, & quæcumque animalium genera capiendi, niſi facultas hæc verbis inveſtituræ ad anguſtiores limites fuerit coercita (✠4).

(1) *V. Juriſprud. Tom. 3. §. 459, & ſeqq. pag. 121, V. Reg. conſtit. lib. 6. tit. 3. cap. 1. §. ult.*

(✠2) *Deciſ. 29. novembris 1750. ref. D. Corte in cauſſa Marchion. de Chabò contra Regium Procuratorem §. Quacumque vero ratione, num. 5. in fine, ubi de metalli ſodinis, Deciſ. 5. idus ſeptembris 1767. reſer. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Moſſi, aliorumque litis conſortium contra Comit. Surdum, §. Plura ſane, num. 8, ubi de jure paſcendi pecudes, & immittendi in agros privatorum, Deciſ. 15. kalendas martii 1765. reſer. eod. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Bellingerii Proveriæ contra Marchion. a Mayno, & Regii Fiſci contra prædictos Dominos, §. Explorati enim, num. 54., ubi de jure piſcandi, molendina, & furnos habendi; cum enim potius interſit, ut regalia penes Principem ſint, translata in ſubditos non judicantur, niſi certo de conceſſione conſtet.*

(✠3) *D. Deciſ. reſer. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Bellingerii, num. 55. certa enim regula a tractatu inferri non poteſt.*

(✠4) *D. Deciſ. reſer. D. Corte, num. 31., d. Deciſ. reſer. D. Beltramo num. 61, conſtat enim, generalium verborum ſignificationem ex ſubjecta materia reſtringi, V. Reg. conſtit. lib. 6. tit. 3. cap. 1. §. ult., in quibus jura piſcationis, & venationis tamquam juriſdictionis, vaſſallis in vim feudi tributæ, appendices exhibentur.*

(✠5) *Deciſ. 27. februarii 1658. reſer. D. Caroccio in cauſſa Marchion. Vivaldi contra Communitat. Caſtellini, & Juliani, §. Et licet ſub illa: ſpecialis nimirum venationis, vel piſcationis facultas per hæc verba vaſſallis data intelligitur.*

DEFINITIO III.

An, venationis jure conceſſo vaſſallis, poſſint hi venationem prohibere?

Certum quidem apud omnes eſt, Principem poſſe jus venationis, & piſcationis in vaſſallos transferre cum jure prohibendi (1): ſed dubitatur aliquando, utrum jus prohibendi generatim contineatur inveſtituris, quæ factæ fuerint cum jure venationis, & piſcationis. Si inveſtituræ verba de jure quidem venationis, vel piſcationis concepta ſint, vel ſaltem in genere cum omnibus pertinentiis juriſdictionis, prohibendi autem jus expreſſim non contineant, generalis regula a pragmaticis traditur, jus prohibendi venationem, vel piſcationem non comprehendi (2): niſi conſtet jus ipſum a Principe jam creatum fuiſſe, cum inveſtiret (✠3): putat tamen Theſaurus, vaſſallum de venationibus inveſtitum, quamvis ſine jure prohibendi, poſſe interdicere, ne ſubditi venentur in loco proprio deſtinato ad venationem, licet muro vaſallatus non ſit, nec ſepe circumdatus (4); vel niſi ampliſſima ſint verba inveſtituræ, atque apta jus hoc comprehendere, quo caſu poterit vaſſallus prohibere venationem mulcta indicta adverſus tranſgreſſores: ſaltem ſi feudum habuerit ex contractu oneroſo (✠5), prævia tamen Senatus requiſita auctoritate, cum prohibeantur vaſſalli de venatione, & piſcatione inveſtiti, ne banna promulgent mulcta indicta, niſi prævia Senatus confirmatione (6): reſtrictior fieret verborum interpretatio, ſi feudum fuiſſet gratioſe conceſſum; privilegium enim mere gratuitum, & alteri damnoſum ultra naturalem, & neceſſariam verborum ſignificationem extendi non debet (7).

(1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 22. num. 4. ✠.*

(2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 22. num. 2.*

(✠3) *Deciſ. 27. februarii 1658. reſ. D. Caroccio in cauſſa Marchion. Vivaldi contra Communitat. Caſtellini, & Illiani, §. Et licet ſub illa. Neque enim Princeps venationis jus ſibi ſemper excipit, ſed ſubditorum arbitrio permittit, adeoque Vaſſallo illud privative concedere non exiſtimatur, niſi ita aperte declaret. Sed V. Reg. conſt. lib. 6. tit. 3. cap. 1. §. ult. & eod. lib. 6. tit. 3. cap. 3. §. 5.*

(4) *Theſaur. d. lib. 2. quæſt. 22. num. 9.*

(✠5) *Deciſ. 3. auguſti 1694. reſer. D. Richelmi in cauſſa Neyroni Comit. Montaldi contra Univerſitatem ejuſdem loci, per tot.; hæc enim, ut jam monuimus, a juriſdictione in vaſſallos translata, tamquam acceſſiones dependent. Reg. conſtit. lib. 6. tit. 3. cap. 1. §. ult.*

(6) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 3. cap. 3. §. 6.*

(7) *V. Juriſprud. Tom. I. §. 193, & ſeqq. pag. 102.*

DEFINITIO IV.

Præſcriptione acquirere poſſunt vaſſalli jus prohibendi venationem, & piſcationem.

Præſcriptione, ſeu uſu acquiri poſſe per vaſſallos jus prohibendi venationem, & piſcationem, recepta apud pragmaticos ſententia eſt, dummodo huic uſui, ſeu repetitæ prohibitioni acceſſerit ex parte eorum, qui prohibiti ſunt, patientia, & acquieſcentia (✠1): ita ut a Senatu definitum fuerit, jus prohibendi acquiri per unicum actum prohibitionis factum a vaſſallo, cui communitas, & particulares non contradixerint (✠2); nam ex actibus ſingulorum præſumitur conſenſus univerſitatis in iis rebus, quas ſinguli, non uti privati, ſed ut univerſi, & tamquam de populo faciunt, vel non faciunt: vel cum agitur de jure, quod ſingulis uti de populo competit, potiſſimum ſi ſeniores, vel honeſtiores ex univerſitate huic prohibitioni acquieſcant (✠3); tunc enim locum habet juris axioma, quo traditur, conſenſiſſe videri eum, qui non prohibet, cum poſſet prohibere (4).

(✠1) *Deciſ. 27. februarii 1658. refer. D. Caroccio in cauſſa Marchion. Vivaldi contra Communitat. Caſtellini, & Illiani, §. Et licet ſub illa, Deciſ. 10. ſeptembris 1674. refer. D. Raſini in cauſſa Comit. Raſini Gays contra Bolengum, Theſaur. quæſtion. forenſ. lib. 2. quæſt. 22. num. 5.. argum. L. Si quiſquam 7. ff. de diverſ. temporalib. præſcript. (44. 3.), Huic quidem Marciani ſententiæ contrarius omnino videtur Papinianus in L. Præſcriptio 45. ff. de uſurpat. & uſucaptionib. (41. 3), Papinianum quidam explicant de præſcriptione ordinaria, ſed quidquid ſit de hiſce interpretationibus, ut Jureconſultus uterque ad conſenſum adducatur, in foro recepta eſt Marciani ſententia: nec immerito, poſtquam piſcationis jus inter res jure gentium communes amplius non refertur.*

(✠2) *Theſaur. ibid. num. 8 ✠, Deciſ. 11. januarii 1671. refer. D. Torrini in cauſſa Epiſcop. Auguſtenſ. contra Univerſitat. Loci Cognæ §. Placuit dominis, & ſeqq.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Torrini §. Nec vim faciebat.*

(4) *L. In omnibus 3, & L. Seq. ff. de Noxalib. actionibus (9. 4).*

DEFINITIO V.

Quid ſi prohibitio venandi, & piſcandi judicis auctoritate facta, & publicata fuerit? Quid de forenſibus?

Quamquam venandi, aut piſcandi prohibitio facta a Vaſſallo de jure venationis, & piſcationis inveſtito, judicis auctoritate firmata, & publicata majorem vim habet, quam facta privatim, atque ideo ſunt, qui putant, ſufficere com-

Digitized by Google

munitatis patientiam per decem annos; communior tamen, & æquior illorum opinio eſt, qui triginta annorum ſpatium requirunt, ut hujuſmodi præſcriptio inducatur (1); etenim univerſitas, ut ſcite ratiocinatur poſt alios Theſaurus, actionem habet contra dominum, ut inhibitionem auferat (2): actiones autem nonniſi triginta annorum ſpatio præſcribuntur (3). Plane ſi venationis prohibitio miniſterio judicis emanaverit, actus contrarii extra judicium geſti vaſſallo non videntur nocere; quia conſtare non poteſt, utrum ad domini notitiam pervenerint (✠4); quæ enim facti ſunt, facile ignorantur (5). Quod ſi dubitetur, utrum ſubditi prohibitioni acquieverint, nec ne, probandi onus injungi debet vaſſallo (6), contra quem ſtat præſumtio (7); niſi inveſtitus fuerit cum jure prohibendi (✠8); quo caſu pro ſe juris præſumtionem habet; vel niſi talis vigeat conſuetudo (9). Quod ſi vaſſallus per publica programmata venationem prohibeat forenſibus, ſententia ferri non poteſt, niſi citatis forenſibus (✠10); viribus enim deſtituitur ſententia, quæ lata fuit minime citata parte, cujus intereſt (11).

(1) *Theſaur. deciſ. 16. num. 7.*

(2) *Theſaur. ibid.*

(3) *L. Sicut in rem 3. cod. de præſcrip. XXX., vel XL. annor. (7. 39.)*

(✠4) *D. Deciſ. 11. januarii 1671. refer. D. Torrini in cauſſa Epiſcop. Auguſtens. contra Univerſitat. loci Cognæ, & d. §. Nec vim faciebat.*

(5) *L. Regula eſt 9. ff. de jur., & facti ignorantia (22. 6.)*

(6) *Theſaur. d. deciſ. 16. num. 8.* ✠

(7) *L. Ab ea parte 5. ff. de probation. (22. 3.)*

(8) *Deciſ. 3. martii 1708. refer. D. Demagiſtris in cauſſa Comit. Curioni contra Communitat. Olivolæ, §. Et demum, prope finem deciſ., Theſaur. d. deciſ. 16. num. 9.*

(9) *Theſaur. d. deciſ. 16. num. 13.*

(✠10) *Deciſ. 4. februarii 1656. refer. D. Malleani in cauſſa Comit. Baronis contra Univerſitat. Buttilieriæ, in fin.*

(11) *L. De unoquoque 47. ff. de re judicata (42. 1.).*

DEFINITIO VI.

Quid ſi ſubditi venandi, vel piſcandi facultatem a vaſſallo petierint?

Ex facultate per ſubditos petita, ita ſibi eos nocere, ut vaſſallo jus prohibendi adferant, communis eſt pragmaticorum ſententia (✠1): dummodo non unus, vel alter ex privatis; ſed paſſim, & præcipue honeſtiores ex univerſitate ſubjectionis hujus argumenta præſtiterint; præterquamquod enim facultas hæc ex errore, vel metu peti potuit, ex unius, vel alterius facto univerſitatis conſenſus recte non eruitur (✠2).

(✠1) *D. Deciſ. 11. januarii 1671. refer. D. Torrini in cauſſa Epiſcop. Auguſtenſ. contra Univerſitat. loci Cognæ, §. Placuit dominis, & ſeq., qui enim facultatem poſtulat, jus prohibendi in altero confitetur.*

(✠2) *Deciſ. 23. aprilis 1665. refer. D. Delaude in cauſſa Communitat. Tavagnaſci contra Fabricium de Joanne Petro, per tot.*

DEFINITIO VII.

Quid ſi Princeps prius conceſſerit univerſitati jus venationis in toto territorio; deinde partem in feudum alteri indulgeat cum jure prohibendi?

Si Princeps, poſtquam civitati, vel municipio conceſſit jus venationis in toto territorio, ejus partem in feudum alteri tribuat cum jure venationem prohibendi, poſterius vaſſallo conceſſum privilegium non cenſetur ſubreptitium,

Digitized by Google

vel nullius roboris, quamquam priori contrarium, ſed potius judicatur Princeps per poſterius priori derogare voluiſſe (1); nec enim Princeps præſumi poteſt, priore generali conceſſione jus ſibi ademiſſe, quo partem a priore privilegiario tollat, & in alterum transferat (✠2). Quare & in hoc caſu generi per ſpeciem derogari non dubitamus (3). Potiſſimum ſi prior conceſſio gratuita fuerit; quippequam ſucceſſor pro arbitrio revocare poteſt (✠4).

(1) *Fab. cod. de diverſ. reſcript. lib.* 1. *tit.* 12. *defin.* 2., *V. Juriſprub. Tom. I.* §. 110, *& ſeqq. pag.* 106.

(✠2) *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1661. *refer. D. Ciprandi in cauſſa Comut. Amici contra Civit. Aſtæ, per tot.*

(3) *L. In toto jure* 80. *ff. de reg. jur.*

(✠4) *Deciſ.* 3. *decembris* 1737. *refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Picconi contra Communitat. Peruſiæ, & Vallis*, §. *Titulo vero; privilegium enim eſt &c. V. Juriſprud. Tom. I.* §. 208. *pag.* 106.

DEFINITIO VIII.

Piſcatio, venatio, & banna campeſtria a privatis poſſideri non poſſunt ſine legitimo titulo: nec prodeſt immemorialis poſſeſſio.

Generalis regula eſt, in foro paſſim probata, piſcationem, venationem, & banna campeſtria, utpotequæ a juriſdictione dependeant, a privatis poſſideri non poſſe ſine legitimo titulo, ita ut nec immemorialis poſſeſſio ſufficiat (✠1); hæc enim in illis vim non obtinet, quæ titulum neceſſario deſiderant, quem ipſa fingit quidem, ſed non probat (2).

(✠1) *Deciſ.* 3. *decembris* 1737. *refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Picconi contra Communitat. Peruſiæ, & Vallis*, §. *Primo neutiquam fundari.*

(2) *Bannorum campeſtrium jus ſine legitimo titulo ad privatos non pertinere jamdudum conſtituit D. Carolus Emanuel I, Diplom.* 10. *julii* 1621., *hanc adjiciens rationem, quod facultas hæc de regalibus eſt, ratio autem hæc venationem, & piſcationem quoque comprehendit. V. ſupra defin. I.*

DEFINITIO IX.

Qui vincere debeat inter duos, qui de poſſeſſione venationis, & piſcanis contendant?

Si duo de poſſeſſione venationis, & piſcationis contendant, inprimis vincere debet, qui titulum pro ſe habet contra alterum, qui titulo munitus non ſit (defin. præced.): quod ſi uterque titulum proferat, ſecundum recepta juris principia potior, & favorabilior eſt illius cauſſa, qui poſſeſſionem ſuam melius probat (✠1). Quod ſi vaſſallus, lite pendente, privilegium a Principe obtineat prohibendi venationem, non ideo in ſummariſſimo poſſeſſorio vincere debet (✠2); hujus enim privilegii inſpectio ad aliud judicium pertinet (3).

(✠1) *Deciſ.* 23. *aprilis* 1665. *refer. D. Delaude in cauſſa Communitat. Tavagnaſci contra Comit. Fabricium de Joanne Petro, per tot.*, *Deciſ.* 17. *januarii* 1731. *refer. D. Guiller in cauſſa Civit. Clavaxii, & Marchion. Turinetti a Prierio, per tot.*, *Fab. cod. uti poſſidetis lib.* 8. *tit.* 4. *definit.* 1., *&* 3., *Theſaur. deciſ.* 206. *num.* 15., *Abecclеſ. part.* 1. *obſervat.* 187.

(✠2) *Deciſ.* 16. *junii* 1649. *refer. D. Vercelli in cauſſa Comit. Malabaila contra Communit. Antignani.*

(3) *L. Naturaliter* 12, §. 1. *ff. de acquir. poſſeſſion.* (41. 2).

Digitized by Google

DEFINITIO X.

Columbarii jus habens vaſſallus non immodicum columbarum numerum tenere poteſt.

Vaſſallus, quamvis de venatione cum jure prohibendi inveſtitus ſit, curare tamen debet, ne feræ nimium multiplicentur; indeque immodice agris pernicies inferatur. Quare ſi vaſſallus jure columbarii fruatur, eum dumtaxat columbarum numerum retinere poteſt, quin non nimius videatur, inſpecta quantitate bonorum, quæ in eodem loco, & prope columbarium poſſidet (✠1).

(✠1) *Deciſ. 6. februarii 1737. refer. D. Ferraris in cauſſa Comit. Gays contra Communitat. Gilettæ, §. Conquerebatur etiam, & ſeqq., ubi Regia Camera columbas ad 40. reduxit, niſi vaſſallus alio transferret columbarium, ubi majorem bonorum copiam poſſidebat. In Gallia jus columbarii refertur inter ea, quæ juriſdictioni annexa ſunt, V. Argou inſtit. au droit François livr. 2. chap. 2, Ferriere dictionnaire de droit, & de pratique in V. Colombier.*

DEFINITIO XI.

Derelictam intelligitur habere rem communem ſocius, qui partem expenſarum ferre detrectat, ut illa reſtituatur.

Cum res a domino derelicta nullius in bonis amplius eſſe intelligatur, conſequenter primi occupantis fieri debet (1), non ſecus ac feræ, volucres, lapilli, & ſimilia, quæ in nullius dominio unquam fuerunt (2). Quod autem de rebus mobilibus derelictis dicimus, idem obtinet in immobilibus (3): atque eorum parte: puta ſi ſocius rei communi partem ſuam dereliquerit, ejus dominium amittit (4): dereliquiſſe autem exiſtimatur, qui partem expenſarum ferre detrectat, ut res communis, puta molendinum deſtructum reſtituatur (✠5).

(1) §. *Qua ratione 46. inſtit. de rer. diviſion.* (2. 1.), *L. Si id 5. §. 1. ff. pro derelicto* (41. 7.)

(2) §. *Item capilli 18, & ſeq. inſtitut. hoc tit. de rer. diviſion.*

(3) *L. 1., & paſſim ff. eod. tit. pro derelict.*

(4) *L. An pars 3. ff. eod. tit.*

(✠5) *Deciſ. 3. novembris 1673. refer. D. Balegno in cauſſa Scaliæ contra fratr. de Picconis per tot.*

DEFINITIO XII.

Metallorum fodinæ ad quem ſpectent, inſpectis hodiernis plerarumque gentium legibus?

Metalli fodinas publicis, vel communibus in locis inventas Principi, in privatis vero domino fundi Romani addicebant (1); data etiam horum decima Principi juxta uſum locorum (2). Sed, poſtquam Fridericus Imperator conſtitutione ſua, quam de juribus regalibus tulit, præter vias publicas, flumina navigabilia, & ex quibus navigabilia fiunt, portus, atque alia plurima, argentarias quoque, & ſalinas inter jura majeſtatis recenſuit (✠3), orta eſt quæſtio inter pragmaticos, atque interpretes de jure metallorum; alii reperta in locis publicis, vel fiſcalibus concedunt quidem Principi, cetera vero privatis, in quorum prædiis reperiuntur, quibus ideo licere putant, eas fodere, & excolere, dummodo decimam fiſco perſolvant (4), atque in eo tantum caſu jus tribuunt fiſco permittendi publicis metallariis (5), ut fodinas excolant, quo privati eas excolere nolint, ita ut a fiſco viciſſim decima pendatur fundi dominis. Friderici vero ſanctionem (6), unice in terris imperii vigere tradunt, vel uſu

Digitized by Google

nunquam receptam, aut contrario uſu abrogatam contendunt, vel de metallis non intelligunt; quippe *argentariæ* nomine, quo utitur Imperator, nihil aliud ſignificati defendunt, quam menſas nummularias, non autem argenti metalla; ſi enim, inquiunt, de metallorum fodinis loqui voluiſſet, aurum, utpote ceteris pretioſius, ſine dubio commemoraſſet. Alii contra ſentiunt, metalla omnia ad Principem pertinere; utpote neceſſaria ad graviſſimos in publicam utilitatem ſumtus ferendos. Atque Fridericum de metalli fodinis accipiendum volunt, non quaſi novum jus conſtituerit, ſed ea tantum numeraverit, quæ jam dudum ex recepta conſuetudine inter regalia accenſebantur. Atque hoc demonſtrare nituntur, tum ex ſacris literis, in quibus narratur, Romanos Hiſpanis ſubjugatis in poteſtatem ſuam redegiſſe metalla argenti, & auri, quæ illic erant (7): tum ex Pauli jureconſulti verbis, qui poſt relatam Ulpiani ſententiam de pupillo, lapidicinas, creti fodinas, argenti fodinas, vel quod aliud ſimile metallum habente (8), hæc ſubjungit: quod tamen privatis licet poſſidere (9); ideſt, ut ipſi explicant, cujus poſſeſſio privatis a Principe conceſſa ſit. Sunt, qui triplex metallorum genus diſtinguentes, alia dicunt pretioſa, ut aurum, & argentum, alia media, veluti æs, auricalcum, ferrum, alumen, marmor, & his ſimilia: cetera infima, nimirum creta, arena, lapides. Prima ad Principem indiſtincte etiam olim ſpectaſſe defendunt: media, quæ in privatorum fundis ſunt, privatis concedunt, ita tamen, ut decimam fiſco ſolvant (✠10): infimi vero generis fodinas juris mere privati exiſtimant, ita ut nullus canon fiſco pendi debeat: niſi aliud ferat regionis conſuetudo, aut lex municipalis. Poſtrema hæc ſententia æquior ceteris videtur, utpote quæ Principis dignitati, & publicis æque commodis, & privatis conſulat (✠11). Neque hinc multum diſſentit jus Regium; eo quippe conſtitutum eſt, ut cuilibet liceat fodinas inquirere, & effodere, etiam in fundis alienis, dummodo damnum omne domino reficiant (12); prius tamen a ſuprema rationalium curia petita, & obtenta effodiendi facultate, probationibus oblatis (13). Ex quo patet, jure noſtro quoad metalli fodinas jus primævum occupationis, & inventionis adhuc vigere; quamquam, ita ſuadente publica utilitate, prævia probationum oblatio præſcribitur, qua hujuſmodi originarium jus confirmetur (✠14); ſeu, ut publico bono conſulatur, conditio hæc præſcribitur, ſine qua occupationi, & inventioni locus eſſe nequeat. Huic tamen inventionis juri exceptio traditur; niſi Princeps ipſe, vel vaſſallus, qui de metalli fodinis inveſtitus ſit, vel fundi dominus malit propriis impendiis fodinæ excavationem ſuſcipere, & perficere (15).

(1) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 531. *pag.* 136.

(✠2) *L. Cuncti 3. cod. de metallar.* (11. 6.), *V. Deciſ.* 24. *januar.* 1676. *refer. D. de Balbis in cauſſa Epiſcop. Auguſtenſ. contra Communitat. Cognæ, & Deciſ.* 26. *maii* 1676. *refer. D. Torrini in eadem cauſſa.*

(3) *Lib.* 2. *feudor. tit.* 56. *quæ ſint regalia.*

(4) *L.* 1, *L. Cuncti* 3. *cod. de Metallariis* (11. 6.)

(5) *De quibus meminiſſe videntur Imperatores in L. ult. cod. eod. tit.*

(6) *Lib.* 2. *feud. tit.* 56.

(7) *Lib.* 1. *Machabæorum cap.* 8. *verſ.* 3:

(8) *L. Sed ſi pecunia* 3. §. *ult. ff. de reb. eorum &c.* (27. 9.)

(9) *L.* 4. *ff. eod. tit.*

(10) *Ex d. L. Cuncti* 3. *cod. de metallariis.*

(✠11) *V. d. Deciſ. refer. D. Torrini* 26. *maii* 1676. *in cauſſa Epiſcop. Auguſtenſ. contra Communitat. Cognæ, &*

Digitized by Google

Deciſ. 28. *novembris* 1750. *refer. D. Corte in cauſſa Marchion. de Chabò contra Reg. Procuratorem, Borel. pag.* 309, *& ſeqq.*

(12) *Reg. conſtitut. lib.* 6. *tit.* 6. §. 1, *&* 2.

(13) *Reg. conſtit. ibid.* §. 3, *&* 4.

(✠14) *Deciſ.* 12. *octobris* 1759. *ref. D. Ferraris in cauſſa Procurat. Generalis contra Marchion. de Chabò &c.* §. *In quæſtionis primæ tractatione, num.* 15., *argum. L. Quamvis* 50. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.)

(15) *Reg. conſtitut. ibid.* §. 5., *V. de his Juriſprud. Tom. III.* §. 531, *& ſeqq. pag.* 136.

DEFINITIO XIII.

Metalli fodinarum jus vaſſallis conceſſum facile non intelligitur.

Metallorum jus, ſive in decimarum perceptione, ſive proprietatis jure in ipſis metallorum fodinis a Principe exerceatur, ita ſupremæ dignitati adhæret, ut vix privati aliquod emolumentum inde percipere poſſint, niſi Principis beneficio obtinuerint: ita ut neque in feudorum conceſſionibus jus hoc qualecumque ſit, translatum in vaſſallos intelligatur, niſi in inveſtitura nominatim fuerit comprehenſum: nec proſunt vaſſallis generales formulæ, quamtumvis ampliſſimis verbis conceptæ fuerint, quibus feudum, ſive cum integro territorio, ſive cum omnibus juribus, & utilitatibus, ſive etiam cum omni jure, quod Princeps in eo habeat, conceſſum proponatur (✠1): niſi antiqua regionis conſuetudo aliter ſuadeat (✠2): vel contractus tempore principi nullum aliud jus competiiſſet, aut emolumenti perceptio, quamquod e metalli fodinis erui poteſt (✠3); conſtat enim metallorum jura, eorumque reditus, ex quo inter regalia haberi cœperunt, non obtinere inſtar portionis, vel acceſſionis feudi (✠4).

(✠1) *Deciſ.* 26. *novembris* 1750 *refer. D. Corte in cauſſa Marchion. de Chabò contra procurat. general.* §. *Quacumque vero ratione num.* 5.; *in generali enim conceſſione non veniunt, quæ ſpecialem deſiderant, L. Obligationis* 6. *ff. de pignorib.* (20. 1), *L. Filiusfamilias* 7. *ff. de donationibus* (39. 5), *cap. Ult. extra de officio Vicarii in* 6. (1. 13), *Feudor. lib.* 2. *tit.* 51, *V. Edic. D. Caroli anni* 1509, *quod extat in collectione veterum edictor. cameræ ſabaudiæ pag.* 797, *quo diſerte cavetur, ne aliter feudorum poſſeſſores metallorum fodinas, aut alia quævis regalia jura ſibi adſerant, niſi & prout ſonant, & ſe extendunt infeudationes: atque conſonant Reg. conſtit. lib.* 6. §. 6, *&* 12.

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Corte, & d.* §.

(✠3) *D. Deciſ. & d.* §. *Semper enim verba intelligi debent, ut aliquid operentur, L. Fundus* 24. *ff. de inſtructo, vel inſtrumento legato* (33. 7.)

(✠4) *D. Deciſ.* §. *Iam vero num.* 7, *ut colligi poteſt ex Friderici conſtitut. feud lib.* 2. *tit.* 56.

DEFINITIO XIV.

Quo temporis ſpatio præſcribatur jus metalli fodinarum odio Vaſſalli, qui de eo legitime inveſtitus ſit?

Vaſſallus, qui de regali fodinarum metalli jure inveſtitus legitime ſit, ſive jus hoc conſiſtat in prælatione, ſive in decimis percipiendis, contraria præſcriptione ex communi ſententia jus ſuum non amittit, niſi hæc hominum memoriam excedat, & ſimul occaſio fuerit hujus juris exercendi (✠1); non enim culpa, aut negligentia imputari poteſt vaſſallo, quia uſus non fuerit jure, cujus occaſio ſe non obtulit (2).

(✠1) *Deciſ.* 28. *maii* 1676. *refer. D. Torrini in cauſſa Epiſcop. Auguſtens. contr. Communitat. Cognæ* §. *Tandem reſponſum fuit.*

Digitized by Google

(2) *L. 1. §. Ult. in fin. cod. de annal. exception.* (7. 40.)

TITULUS VIII.

De acquirendo rerum dominio per acceſſionem, ubi potiſſimum de fructibus.

DEFINITIO I.

Alluvionis incrementum fundi domino, cui pars adjecta eſt, acquiritur.

Naturalis acceſſionis ſpecies alluvio eſt, ideſt incrementum latens, quod vi fluminis paullatim ab agro detrahitur, & alteri adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum, & quo temporis momento hinc detractum, inde adjectum ſit (1); æquius viſum fuit in hac rerum ambiguitate fundi domino incrementum adferere, cui pars adjecta eſt (✠2), quam priorem dominum inveſtigare, ut ei reſtituatur. In ambiguis enim id ſequimur, quod minus incommodum habet; nec ab æquitate naturali, quæ ſemper præ oculis haberi debet, alienum eſt.

(1) *§. Præterea 20. inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1(, *L. Adeo quidem 7. §. 1. ff. hoc tit., de acquir. rer. domin.* (41. 1.)

(✠2) *D. §. 20. inſtit., D. L. 7. §. 1 ff. hoc tit., Deciſ. 26. martii 1732 ref. D. Bonaudi in cauſſa Communitat. Fontanetti contra Communitat. Gabiani §. Et quæ quidem tenimenta.*

DEFINITIO II.

Hodiernis moribus nulla diſtinctio ſit inter agros limitatos, & illimitatos quoad jus alluvionis. Quid de jure territorii, ſeu juriſdictione?

Acceſſionis jus apud Romanos dumtaxat obtinebat in agris illimitatis, non limitatis, quorum augmentum ad rempublicam pertinebat, non ad dominum agri (1). Agri limitati dicebantur, qui ab hoſtibus capti, privatis, potiſſimum veteranis militibus, concedebantur, ita tamen ut præfinitos initio limites excedere favore privatorum non poſſent (2), ceteri illimitati. Sed, cum hodiernis moribus nulli amplius ſint agri limitati, exceptio hæc juri alluvionis amplius non obtinet (✠3): ſaltem in eo quod pertinet ad bona privatorum; quod enim ſpectat ad jus territorii, ſeu ad juriſdictionem, vulgo traditur, hanc per alluvionem non augeri (✠4). Cum hæc inter ſe longe diſtat; adeoque ab una ad aliud tamquam a diverſis non valet illatio (5).

(1) *L. In agris 16. ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.)

(2) *D. L. 16. ff. hoc tit.*

(✠3) *Deciſ. 24. januarii 1731. refer. D. Meynier in cauſſa Communitat. Inſulæ contra Marchion. de S. Severino §. Imo, cum ea alluvionis, & ſeqq., Ita paſſim interpretes diverſarum gentium.*

(✠4) *Deciſ. 17. ſeptembris 1741. ref. D. Enrici in cauſſa civitat. Clavaxii contr. Communit. Caſtagneti in fine, quia a dominio proprietatis ad dominium juriſdictionis non poſſit legitime inferri.*

(5) *L. Papinianus 20. ff. de minor.* (4. 4)

DEFINITIO III.

Alluvio vires habet, quamvis via publica intermedia ſit.

Alluvionis jus obtinet, quamvis via publica intermedia forte reperiatur (✠1), tum quia via prædii pars reputatur (2); tum quia, cum ex vicinis prædiis ſublata via redintegrari debeat, æquum eſt, ut commodo utatur, qui incommodum ſentit (3).

(✠1) *L. Attius fundum* 38. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1), *D. Deciſ.* (*defin. præced.*) *refer. D. Meynier* 24. *januarii* 1731. *in cauſſa Communit. Inſulæ contra Marchion. de S. Severino* §. *Nec rurſus.*

(2) *D. L.* 38. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.*

(3) *L. Secundum naturam* 10. *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO IV.

Incrementum alluvionis ejuſdem naturæ reputatur, ac fundus, cui acceſſit.

Alluvionis tanta vis eſt ex legum ſanctione, ut illius incrementum ejuſdem indolis reputetur, atque iiſdem legibus ſubjiciatur, quibus regitur ipſe fundus (1). Hinc pactum ſuper prædio initum etiam ad alluvionem extenditur (2): qui fundum poſſidet, incrementum quoque alluvionis poſſidere intelligitur (✠3). Si fundus pignori datus ſit, creditori ſecuritas etiam acquiritur ſuper incremento alluvionis (4): ejus uſusfructus ad fructuarium pertinet (5). Demum dotale æſtimatur, quod per alluvionem dotali fundo acceſſit (6).

(1) *L. Si ego* 11. §. *Quod tamen* 7. *ff. de publician. in rem action.* (6. 2.), *Theſ. deciſ.* 140. *num.* 3.

(2) *Theſaur. ibid. num.* 2.

(✠3) *D. L.* 11. §. 7. *ff. de publician. in rem action.*, *d. Deciſ.* 24. *januarii* 1731. *refer. D. Meynier in cauſſa Communitat. Inſulæ contra Marchion. de Sancto Severino*, §. *Immo cum ea alluvionis.*

(4) *L. Si convenerit* 18. §. 1. *ff. de pignorat. action.* (13. 7.), *L. Si fundus* 16. *ff. de pignorib.* (20. 1.)

(5) *L. Item, ſi fundi* 9. §. *Huic vicinus* 4. *ff. de uſufructu* (7. 1.)

(6) *L. Si proprietati* 4. *ff. de jure dot.* (23. 3.)

DEFINITIO V.

Avulſio jus dominii non mutat, niſi pars terræ avulſa alteri prædio coaluerit.

Avulſio, quæ tunc contingit, cum vi fluminis magna terræ pars ab uno prædio detrahitur, & alteri adjicitur, longe diſtat ab alluvione: avulſio enim dominii jus non mutat (✠1): atque avulſa terræ pars tamdiu prioris domini manet, quamdiu alterius prædio non coaluerit, ut ab eo amplius non diſtinguatur; vel niſi arbores radices egerint (2).

(✠1) *L. Adeo* 7. §. *Quod ſi vis* 2. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (4. 1.), *Deciſ.* 24. *januarii* 1731. *ref. D. Meynier in cauſſa Communitat. Inſulæ contra Marchion. de Sancto Severino*, §. *Item vel agebatur.*

(2) §. *Quod ſi vis fluminis* 21. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.), *d. L.* 7. §. 2. *ff. hoc tit. de rer. acquirend. domin.*

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

Inſula in flumine nata cujus ſit?

Inter inſulas in flumine natas aliæ vepribus, vel ſimili levi materia compactæ in aqua natant, nec certo loco conſiſtunt: aliæ ſolo inhærent. Priores acceſſionis jus non recipiunt; adeoque tamquam res nullius primo occupanti cedunt (1): poſteriores, ſi forte agris limitatis adhæreant, nullius ſunt, adeoque fiunt primi occupantis (2): quæ autem agros illimitatos circumſtant, intereſt, an propiores ſint uni ripæ, quam alteri: an medium fluminis alveum teneant. Illæ acceſſionis jure pertinent ad dominum agri ripæ proximioris (✠3): hæ dividuntur inter eos, qui ex utraque fluminis parte prædia poſſident pro modo latitudinis cujuſque agri prope ripam (4). Quod ſi inſula initio nata fuerit prope agrum alicujus, deinde paullatim ſe extenderit contra frontem agri alterius, jure alluvionis ad prioris agri dominum integra ſpectare debet (✠5); eadem enim acceſſionis vi, qua inſulam primo conſecutus eſt, ejus quoque incrementum acquirit (6).

(1) *L. Si epiſtolam* 65. §. *Si qua inſula* 2. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.)

(2) *L.* 1. §. *Si inſula* 6. *ff. de fluminibus* (43. 2.)

(✠3) *D. Deciſ.* 24. *januarii* 1731. *refer. D. Meynier in cauſſa Communitat. Inſulæ contra Marchion. a Sancto Severino, & d.* §. *Item vel agebatur, d. L.* 1. §. 6.

(4) §. *Quod ſi naturali* 23. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠5) *Deciſ.* 22. *junii* 1768. *refer. D. Damillano in cauſſa Quiriei Cagnæ contra PP. Cartuſ. Aſtæ, ubi ex allata aſſeveratione Cagnæ, & probata antiquiore poſſeſſione fuit ipſi data manutentio in ſummariſſimo, reſervato cuique jure ſuo in meritis cauſſæ.*

(6) *D. L.* 1 §. 6. *ff. de fluminibus.*

DEFINITIO VII.

Alveus fluminis eorum ſit, qui prope ripam prædium poſſident, ſi flumen alveum mutet.

Si flumen naturalem curſum immutet, alveus derelictus eorum fit, qui prope illum prædia illimitata poſſident ex utraque parte ripæ pro latitudine cujuſque prædii prope eandem ripam, atque novus alveus fluminis publicus fit (1), videlicet ejuſdem juris, cujus eſt flumen. Neque intereſt, quod inter flumen, & agros publica intermedia via ſit; hæc enim conſideratur tamquam pars confinium prædiorum, non ſecus ac fluminis alveus (✠2), quemadmodum obtinet de inſula in flumine nata (defin. præced.)

(1) §. *Quod ſi naturalis* 23. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.), *D. L. Ergo, ſi inſula* 30. §. 1. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (4. 1.)

(✠2) *Deciſ.* 23. *junii* 1674. *refer. D. Beraudi in cauſſa de Gattinaris contra Coardum,* §. *Verum quia in judicio, V. L. Altius fundum* 38. *ff. hoc tit. de acquir. rer. domin.*

DEFINITIO VIII.

Quid ſi flumen modico poſt tempore ad priorem alveum revertatur?

Si flumen priorem alveum, quem deſeruerat, impetu, & modico interjecto ſpatio temporis, rurſus ingrediatur, æquitas ſuadet, ut novus alveus priori domino reſtituatur (✠1), hæc quippe alvei mutatio inundationi potius comparari debet, quæ fundi ſpeciem non immutat (2).

Digitized by Google

(✠1) *L. Ergo ſi inſula* 30. §. *Alluvio* 3. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.), *Deciſ.* 26. *martii* 1732. *refer. D. Bonaudi in cauſſa Communitat. Fontanetti contra Communit. Galiani*, §. *Dato enim*, *qua traditur*, *mutatione quæ contingit ex impetu*, *& per ſaltum*, *non amitti privatum dominium bonorum*.

(2) §. *Alia ſane* 24. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

DEFINITIO IX.

Alveus a flumine per ſaltum, vel aquarum impetu derelictus non ſtatim ſit eorum, qui prope ripas prædia poſſident: nec confinia univerſitatum mutat.

Cum novus alveus, quem flumen per modicum tempus dereliquit, priori domino reſtitui debeat, quaſi dominium nunquam amiſſum videatur (defin. præced.), conſequens eſt, alveum a flumine per ſaltum, vel aquarum impetu derelictum non ſtatim fieri eorum, qui prope ripas prædia poſſident: adeoque nec confinia univerſitatum immutari, ſi forte ex fluminis naturali curſu dimetienda ſint (✠1). Quare prudenti judicis arbitrio opus eſt, ſi confines univerſitatum per hujuſmodi fluminis variationes, & inundationes confuſi fuerint (✠2); non ſolum, ut æſtimet, quod utriuſque ante confuſionem erat, ſed ut terminos unicuique conſtituat, re mature perpenſa (✠3).

(✠1) *Deciſ.* 26. *martii* 1732. *refer. D. Bonaudo in cauſſa Communitat. Fontanetti contra Communitat. Gabiani*, §. *Dato enim*, *quod confines*, *argum. L. Rutilia Polla* 69. *ff. de contrahenda emt.* (18. 1.)

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Bonaudo in fine*, *argum.* §. *Si duorum* 27. *inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Bonaudo in fine*, *L. Si irruptione* 8, *L. In finalibus* 11. *ff. fin. regundor.* (10. 1.)

DEFINITIO X.

Piſcationis jus non amittitur per alvei fluminis mutationem, quæ paullatim fiat.

Si flumen non per ſaltum, & impetu aquarum, ſed paullatim alveum mutet, jus piſcationis in eo flumine competens neutiquam amitti placet (✠1); quia mutatio hæc, utpote ſenſim facta, non immutat rerum ſtatum: nec ideo apta eſt prioris domini jus intervertere; atque hujuſmodi quæſtio non ex jure alluvionis, ſed ex jure, quod obtinet in alvei mutatione, dijudicari debet: alvei autem mutatio ſenſim contingens dominium non mutat (✠2); quia, etſi alvei mutatio vere contigerit, non tamen contingere judicatur, quia non apparuit.

(✠1) *Deciſ.* 27. *februarii* 1679 *refer. D. Gabuti in cauſſa PP. Societat. Jeſu Taurin. contra Comit. Maſſena in fine.*

(2) *Argum.* §. *Quod ſi naturali* 23. *inſtit. hoc. tit. de rer. diviſion.* (2. 1), *in illis verbis*, alveo in univerſum relicto *quo innuit Imperator*, *alvei mutationis ſenſim factæ eandem non eſſe vim.*

DEFINITIO XI.

Bonam fidem habere poteſt, qui rem a domino emit. An, qui dubitat, in bona fide ſit?

Bonam fidem habere intelligitur, qui rem habuit ab eo, quem dominum, vel jure alienandi præditum judicabat, puta qui procurator, vel tutor ſit (1). Ex quo patet, ex ſcientia rei alienæ malam fidem neceſſario non induci, ſi emtor ex juſtis cauſſis exiſtimaverit dominum in alienationem conſentire (✠2). Immo ſunt, qui defendunt, ad bonam fidem

Digitized by Google

eo ſenſu, ut quis fructus ex re aliena perceptos ſuos faciat, non omnino requiri, ut legitimas undequaque præſumptiones, vel argumenta habeat dominii, vel liberæ adminiſtrationis in eo, a quo rem comparat, ſed ſufficere medium quoddam inter bonam, & malam fidem: videlicet quod neutra adſit, ſed dubitatio (✠3); quia bona fides ſufficiens ad fructuum dominium acquirendum ibi ſit, ubi non eſt dolus: dolus autem in hac ſpecie abeſſe videatur: niſi litis conteſtatio ſecuta fuerit, qua malam fidem ſtatim induci in jure traditur (4).

(1) *L. Bona fidei* 109. *ff. de verb. ſignificat.*

(✠2) *Deciſ.* 5. *martii* 1689. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Freilinæ contra Arri verſic. Non refragante.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Abeccleſia verſic. Ad quam excludendam. Atque ideo Senatus fructus tantum perceptos poſt litem conteſtatam reſtituendos cenſuit, D. deciſ. in fin., Oſaſc. deciſ.* 160. *num.* 6, *& ſeqq., ubi & hanc opinionem communem dicit.*

(4) *L. Sed & loci* 4. §. *Poſt litem* 2. *ff. fin. regund.* (10. 1), *L. Certum eſt* 2. *cod. de rei vindicat.* (3. 32.)

DEFINITIO XII.

Mala fides in altero contrahente non præſumitur, ſed probanda eſt.

Certiſſimum in jure eſt, malam fidem nunquam præſumi: quare dolum in altero allegans probare debet, quamvis in exceptione (1): nec admittuntur fallaces conjecturæ, aut levia indicia, ſed perſpicua argumenta deſiderantur (✠2): ita ut reſcripſerint Imperatores, nec alienæ rei ſcientiam, nec malam fidem in emtore inde convinci, quod evictionis nomine duplum ſtipulatus ſit (3).

(1) *L. Quotiens operæ* 18. §. 1. *ff. de probat.* (22. 3.)

(✠2) *Dolum ex indiciis perſpicuis probari convenit., L. Dolum* 6. *cod. de dolo malo* (2. 21), *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1732 *refer. D. Provana in cauſ. Gays contra Gibellum* §. *Secundo loco quatenus, circa finem deciſ.*

(3) *L. Non ex eo* 30. *cod. de evictionib.* (8. 45.)

DEFINITIO XIII.

Poſſeſſor bonæ fidei, quamvis juſto titulo deſtitutus ſit, acquirit omnes fructus uſque ad litis conteſtationem. An tunc extantes reſtituere teneatur, ſaltem quatenus factus eſt locupletior? Quid de poſſeſſore hereditatis?

Recepta in foro opinio eſt, quæ poſſeſſori bonæ fidei omnes indiſtincte fructus addicit tum naturales, tum induſtriales, tum extantes, tum conſumtos tempore litis conteſtatæ; exceptis tantummodo illis, qui poſt litem conteſtatam percepti fuerunt, ſi modo poſſeſſor probabilem cauſſam habuit neſciendi alienum, quamvis nullo jure, nec titulo fundum alienum retinuerit (✠1): ita tamen, ut fructus poſt litis conteſtationem perceptos omnino reſtituere debeat, quamvis litis perſecutio diu intermiſſa fuerit (✠2); quia & malam fidem, quæ inde contraxit poſſeſſor, nunquam exuere poteſt (3), niſi per reſtitutionem. Aliud quidem conſtitutum eſt de hereditatis poſſeſſore, quem bona fides non eximit a fructuum reſtitutione, quatenus factus eſt locupletior (✠4); jura diſtinxerunt cauſſas univerſales, in quorum numero eſt hereditas, a ſingularibus, de quibus hic agimus; poſſeſſor hereditatis emolumentum, quod ex ea percepit, reſtituere debet; ſed ſimul immunis eſt a reſtituendis rebus, quas culpa ſua forte amiſerit (5): atque ita utrique parti conſultum eſt.

Digitized by Google

(✠1) *Fab. cod. de fruct., & lit. expenſ. lib. 7. tit. 18. def. 73., Theſaur. deciſ. 29. num. 8 ✠, Abecclеſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 199. num. 13, & 16, Deciſ. 5. martii 1689. ref. D. Abeccleſia in cauſ. Freylinæ contra Arri verſic. Tamen his non obſtantibus, Deciſ. 30. janu. 1732. refer. D. Provana in cauſſa Griſerii contra de Thomatis, num. 25., & 26., Deciſ. 28. novembris 1735. refer. D. Bianchis in cauſſa Monialium SS. Annunciationis Salutiarum contra Comit. Abeccleſia, Deciſ. 30. auguſti 1736. ref. eod. D. Caſſotti in cauſſa Loci pii S. Coronæ, Marchion. Phœbi de Adda, & civitat. Mortarii, §. Hujuſce diſputationis, in fin. deciſion. Hinc Vinnius ad §. 35. inſtit. hoc tit. de rer. diviſion. num. 11, Voet in pandect. ad hunc tit. de acquir. rer. domin. num. 33. cum pluribus aliis, quorum ſententiam referunt, docent indiſtincte in foro ſervari, ut poſſeſſor bonæ fidei tantum reſtituat fructus poſt litem conteſtatam perceptos, nulla habita ratione, utrum prius perceptos conſumſerit, nec ne, an locupletior inde factus ſit, ut ita frequentibus, & noxiis litibus aditus præcludatur.*

(✠2) *Fab. cod. de fructib., & lit. expenſ. lib. 7. tit. 18. definit. 77, Deciſ. 12. februarii 1765. ref. D. Buzano in cauſſa Panſoyæ contra de Bernardis, §. prima, & ſecunda exceptio. Aliud dicendum de extrajudiciali interpellatione deſerta, ex L. Mora 32. ff. de uſuris, D. Deciſ., & d. §.*

(3) *L. Omnes 26, L. Conſtitutionibus 33. ff. de obligat., & actionib.* (44. 7.)

(✠4) *L. Sed & ſi lege 25. §. Conſuluit 11. ff. de heredit. petit.* (5. 2), *Deciſ. 3. martii 1732. refer. D. Provana in cauſſa Dubois Cotiæ contra Cotiam, §. Unde etiam ſi.*

(5) *Quemcumque igitur ſumtum fecerint ex hereditate, ſi quid dilapidaverint, perdiderint, dum de re ſua abuti putant, non præſtabunt, D. L. 25. §. 11. in medio ff. de hereditat. petition.*

DEFINITIO XIV.

Fructus a bonæ fidei poſſeſſore percepti compenſantur cum ſumtibus meliorationum.

Quamvis vero poſſeſſor bonæ fidei ad reſtituendos fructus non teneatur, nec quatenus locupletior factus eſt, hujuſmodi tamen emolumentum compenſare cogitur cum ſumtibus melioris effecti prædii, ſeu meliorationibus (✠1): atque ita æqualitas, prout ſuadet naturalis ratio, ſervatur inter poſſeſſorem bonæ fidei, & fundi dominum, & utriuſque incolumitati proſpicitur.

(✠1) *L. Sumtus 48, L. Emtor prædium 65. ff. de rei vindicat.* (6. 1.), *Deciſ. 8. martii 1740. refer. D. Laurenti in cauſſa Comitiſſæ Peyranæ a Caſtellengo contra Comit. Friehignonum verſic. Neque rei huic, Deciſ. 4. april. 1675. refer. D. Villiono in cauſſa Columnæ contra Falletos, §. Veriorem, Deciſ. 14. januar. 1732. refer. D. Blavet in cauſſa Sedeci contra ſorores De La Villa per tot.*

DEFINITIO XV.

Fructus poſſeſſori pleno jure acquiſiti cum impenſis meliorationum non compenſantur.

Sed hæc de compenſatione fructuum cum impenſis melioris effecti prædii regula exceptionem habet in fructibus, qui poſſeſſori pleno jure acquiſiti ſint, puta quia jam conſumti, vel uſucapti eo tempore, quo factæ fuerunt expenſæ (1); vel ſi poſſeſſor jure dominii fructus perceperit, veluti jure emtionis, quamquam dominium, puta ob pactum retrovenditionis, revocari poſſit (✠2); etenim compenſatio, quæ vices ſolutionis obtinet (3), in illis tantum caſibus admittitur, in quibus locum habere poteſt ſolvendi obligatio (4).

Digitized by Google

(1) *Fab. cod. de fructib., & lit. expenſ. lib. 7. tit. 18. definit. 70., argum. L. Sequitur 4. §. Sane 19. ff. de uſurpationib., & uſucapion.* (41. 3.)

(✠2) *Fab. d. definit. 70. num. 3. in corp., Deciſ. 16. januar. 1647. ref. D. Barberis in cauſſa Rotæ contra de Fantinettis, §. Sed huic etiam dato.*

(3) *L. Si conſtat. 4. cod. de compenſat.* (4. 31.), §. *In bonæ fidei 30. inſtit. de actionib.* (4. 6.)

(4) *L. 1, l. 2., & paſſim ff. de compenſat* (16. 2.)

DEFINITIO XVI.

Fructus melioramentorum non compenſantur cum impenſis, ſed ad poſſeſſorem, licet malæ fidei, pertinent.

Fructus melioramentorum, cum ex re poſſeſſoris propria percepti ſint, cum fructibus ex prædio perceptis non compenſantur (1): maxime quia meliorationum valorem non dimetimur ex pecuniæ quantitate, quæ in eas impenſa fuit, ſed attenditur communis æſtimatio eo tempore, quo fundus reſtituendus eſt (2). Cum ergo ſecundum naturam ſit, ut commoda eum ſequantur, qui incommoda ſentire tenetur (3), meliorationum fructus ad poſſeſſorem, quamvis malæ fidei ſit, pertinere debent (✠4), quia & hic ex re ſua eos percepit.

(1) *Argum. L. Si unus 67. §. 1. ff. pro ſocio* (17. 2.)

(2) *L. In fundo alieno 38. ff. de rei vindicat* (6. 1.)

(3) *L. Secundum naturam 10. ff. de reg. jur.*

(✠4) *Deciſ. 5. martii 1689. refer. D. Abeccleſia in cauſſa Freylinæ contra Arri verſic. Secundum fundamentum.*

DEFINITIO XVII.

Poſſeſſor malæ fidei reſtituit fructus omnes, quos percepit: malæ autem fidei ſit, ex quo habet ſcientiam rei alienæ.

Poſſeſſor malæ fidei, is nempe, qui ſcit rem, quam tenet, & ex qua fructus percipit, alienam eſſe, quamvis titulo munitus ſit, fructus omnes, quos percepit, reſtituere tenetur (1); deficiente enim dominio, & bona fide, nullum fundamentum eſt, quo fructus ex re aliena percepti acquirantur: neque ſufficit ab initio poſſeſſionis ignorantia rei alienæ, ſi aliquando deſierit, & ſcientia ſupervenerit; ab eo temporis momento, quo poſſeſſor novit rem ad ſe non pertinere, malæ fidei habetur (✠2): atque hinc per litis conteſtationem malam fidem induci in jure traditur (3), quæ perpetua eſt (definit. XIII.)

(1) *L. Si quis a non domino 35. inſtit. hoc tit., de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠2) *L. Qui bona fide 23. §. 1. ff. hoc tit., de acquirend. rer. domin.* (41. 1.), *Deciſ. Senat. Caſal. 27. april. 1711. in cauſſa Abeccleſia contra poſſeſſores bonorum, ubi traditur per intimationem actorum executorialium induci ſcientiam rei alienæ, licet acta non fuerint exhibita.*

(3) *L. Sed & loci 4. §. Poſt litem 2. ff. finium regund.* (10. 1.), *L. Certum eſt 22. cod. de rei vindicat.* (3. 32.)

DEFINITIO XVIII.

Heres poſſeſſoris malæ fidei fructus omnes reſtituit, quamvis ignoret rem alienam eſſe.

Non tantum poſſeſſor malæ fidei, ſed etiam illius heres ad reſtituendos, quos ex re aliena percepit, fructus tenetur, licet ipſe bonam fidem habeat, rem alie-

Digitized by Google

nam eſſe ignorans (✠1), etenim heres repræſentat defunctum, ita ut eadem cum illo perſona cenſeatur (2); adeoque vitium defuncti in ipſum tranſit, eique nocet (3).

(✠1) *L. Litigator* 2. *cod. de fruct., & lit. expenſ* (7. 51.), *Fab. cod. de præſcript., quæ pro libertat. compet. lib.* 7. *tit.* 4. *def.* 1. *in fine, Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 164. *num.* 13., *Deciſ.* 22. *januar.* 1700. *refer. D. Marelli in cauſſa de Nigris contra de Moretta*, §. *Cum fructus prati num.* 15, *Deciſ.* 19. *junii* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſa Georgis, & Gibellinæ*, §. *Nec dubitabatur, num.* 137., *& ſeqq.*

(2) *Novel.* 48. *in fin. præfation.*

(3) §. *Diutina poſſeſſio* 12. *inſtit. de uſucapionib.* (2. 6.)

DEFINITIO XIX.

Poſſeſſor malæ fidei reſtituere debet domino fructus percipiendos. Quid in his uſu fori obtineat?

Poſſeſſor malæ fidei reſtituere tenetur non tantum fructus, quos ipſe percepit, ſed & quos ex negligentia ſua percipere omiſit, quoſque fundi dominus, majore induſtria adhibita, percepturus fuiſſet (✠1); ne hic ex poſſeſſoris iniquitate damnum ſentiat (2): hæc tamen, quæ de fructuum reſtitutione diximus, obſervantur quidem, ſi Fabro credimus, in judiciis bonæ fidei (3): in judiciis autem ſtrictis, & arbitrariis, puta in actione ex ſtipulatu, plerumque tantum condemnatur injuſtus poſſeſſor ad reſtituendos fructus a die litis conteſtatæ (4).

(✠1) §. *Et ſi in rem* 2. *inſtit. de offic. judicis* (4. 17.), *L. Fructus* 33. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.), *Deciſ.* 5. *mart.* 1689. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Freylinæ contra Arri verſic. ſed quia procedunt.*

(2) *L. Non debet* 74. *ff. de reg. jur.*

(3) *Fab. cod. de fructib., & lit. expenſ. lib.* 7. *tit.* 18. *defin.* 53. *ex L. Videamus* 38. §. *ult. ff. de uſuris* (22. 1.)

(4) *Fab. D. defin.* 53. *num.* 3. *in corp., & num.* 4. *in allegat. ex L. Vulgo receptum* 2. *L. In fideicommiſſi* 3. §. 1., *& d. L.* 38. §. *Videamus* 7. *ff. de uſuris.*

DEFINITIO XX.

An fructus ante ſententiam non petiti in executione judicati peti poſſint?

Fructuum condemnatio plerumque in tempus definitivæ ſententiæ differri ſolet (1): quamquam etiam pendente lite interdum fit: puta ſi pendente lite fiat adjudicatio fiduciaria hereditatis (2); quia reſtituta non videretur hereditas, niſi ſimul reſtituantur fructus, qui hereditatem augent (3): vel ſi pendente judicio reſtitutionis in integrum actor occupaverit fundi litigioſi poſſeſſionem, & fructus ex eo perceperit; quia, ſicuti, pendente hoc judicio, contractui ſtandum eſt, ita etiam reſtituendi ſunt fructus ei, ad quem ex contractu pertinere debuerunt (4), quippequi dominii naturam ſequuntur (5). Quod ſi jure actionis, & per ſe debiti ſint fructus, etiam in judicati executione jure petuntur, & adjudicari debent, quamvis ante ſententiam petiti non fuerint (✠6): ut in Faviana, Pauliana actione (7), unde vi (8); in actione, *quod metus cauſſa* (9), in petitione hereditatis (10); in hiſce enim caſibus judex id agit per ſententiam, ut actori omnia præſtentur, quæ ſua ſunt: quo nomine etiam fructus continentur (11).

(1) *L.* 2, *&* 3. *cod. de fructib., & lit. expenſ.* (7. 51.), *Fab. cod. de ſent., & interlocut. omn. judic. lib.* 7. *tit.* 15. *def.* 12.

(2) *Fab. cod. de fructib. & lit. expenſ. lib.* 7. *tit.* 18. *def.* 23.

(3) *L. Item veniunt* 20. §. *Item non ſolum* 3. *ff. de heredit. petit.* (5. 3.)

(4) *Fab. D. def.* 23. *in fine*

(5) *L. Qui ſcit* 25. §. 1. *ff. de uſuris* (22. 1.)

Digitized by Google

(✠6) *Fab. cod. de fructibus, & lit. expenſ. lib. 7. tit. 18. def. 67. in fine, Deciſ. 5. martii 1680. ref. D. Abeccleſia in cauſſa Freylinæ contra Arri verſic. Quoad primam.*

(7) *L. Videamus 38. §. In Faviana 4. ff. de uſuris* (22. 1.)

(8) *D. L. 38. §. Et ideo 5.*

(9) *D. L. 38. §. Item ſi vi 6.*

(10) *L. Item veniunt 20. §. Item non ſolum 3. ff. de heredit. petit.* (5. 3.)

(11) *D. L. 38. §. 4. ff. de uſuris.*

DEFINITIO XXI.

Fructuum valor, & quantitas demonſtrari debet a fundi domino, qui eos petit. Fructuum quantitas eadem ſemper præſumitur.

Fundi dominus qui fructus repetit a poſſeſſore, valorem, & quantitatem demonſtrare tenetur (✠1), tamquam fundamentum, ut loquuntur pragmatici, ſuæ intentionis (2): niſi agatur de fructibus certis, & determinatis, quales ſunt penſiones domus locatæ, vel de fructibus proxime perceptis (✠3); tunc enim præſumtio poſſeſſorem onerat, adeoque ipſe probare debet, ſe fructus non percepiſſe (4). Fructuum vero quantitas, qui uno anno percepti fuerunt ex prædio fructifero, eadem ſemper reputatur, niſi aliud demonſtretur (✠5); mutatio enim in fundis fructiferis non ita facile contingit, adeoque non præſumitur (6); quare & traditur, ex ſuperiorum annorum locatione fructuum æſtimationem deduci poſſe.

(✠1) *Deciſ. 19. ſeptembris 1646. ref. D. Vercelli in cauſſa Turchi contra Comitiſſam Longam ab Alladio, §. Nec in dubium.*

(2) *L. Cum de indebito 25. ff. de probat.* (22. 3.)

(3) *D. Deciſ. refer. D. Vercelli, & d. §. Nec in dubium.*

(4) *L. Ab ea parte 5. princip., & §. 1. ff. d. tit. de probationib.*

(✠5) *Deciſ. 14. julii 1666. refer. D. Filippa in cauſſa Comitiſſæ Longæ ab Alladio contra Turchum, §. Et cum ex actis ſecutis.*

(6) *V. Supra lib. 1. tit. XXXI. de reſtitut. reliquer. definit. III.*

DEFINITIO XXII.

Fructuum quantitas, & valor potiſſimum probatur teſtibus. Quid ſi teſtes diſſentiant?

Fructuum e fundo perceptorum quantitas, & valor potiſſimum per teſtes probatur (✠1): aliiſque indiciis, prudentis judicis arbitrio (2). Quod ſi teſtes inter ſe diſſentiant, atque quidam de majori; alii de minori fructuum quantitate, vel pretio deponant, ſunt, qui putant, ſententiam pro reo ferendam eſſe, & de minore quantitate; quia in hac minori quantitate conteſtes ſint, & proprie tantum diſcrepent in majore quantitate, vel pretio (✠3): neque judex mediam viam ſequi poſſit; quia dubium non in jure, ſed in facto conſiſtit; eodem fere modo, quo ſtipulatio valere traditur, cum diſſenſus ſtipulatorem inter, & promiſſorem ad quantitatem tantum refertur, utpote quia in majore ſumma etiam ineſt minor (4).

(✠1) *Deciſ 20. januar. 1734. ref. D. Caſſotti in cauſſa concurſ. Marchion. Gattinaræ, §. Vel de fructibus.*

(2) *V. Supra lib. 1. tit. XXI. de reſtitut. reliquor. definit. III.*

(✠3) *Deciſ. 22. januarii 1700. refer. D. Marelli in cauſſa de Nigris contra de Moretta, §. Quo poſito, num. 6, & §. Non obſtante, num. 14.*

(4) *L. 1. §. Si ſtipulanti 4. ff. de verbor. obligat.* (45. 1.)

Digitized by Google

DEFINITIO XXIII.

Caſuum fortuitorum rationem habere debet judex in æſtimandis fructibus.

Ceterum, cum de fructibus æſtimandis, & ut pragmatici ajunt, liquidandis agitur, judex rationem habere debet caſuum fortuitorum, propter quos eorumdem perceptio poteſt impediri, prout fieri ſolet in ſtatuendis uſuris lucri ceſſantis; æquitas enim non ſinit, ut, quod multis periculis obnoxium eſt, tamquam certum æſtimetur (✠1). Severiores, & ad utriuſque partis indemnitatem magis compoſitæ regulæ apud nos præſcriptæ ſunt in hoc argumento (2).

(✠1) *Deciſ.* 28. *junii* 1675. *refer. D. Raymondi in cauſſa communitat. Gariliana contra Comit. Biliorum*, 9. *Placuit, ubi Senatus ex ſingulo quinquennio redditus unius anni ſubducendos arbitratus eſt, atque agebatur de re a communitate nulliter alienata, Argum. L. Qui principali* 26. §. 1. *cod. de uſuris* (4. 32).

(2) *Reg. conſtit. lib.* 3. *tit.* 31. §. 1. *& ſeqq.*

DEFINITIO XXIV.

Impenſæ neceſſariæ, & utiles reſtitui debent poſſeſſori bonæ fidei. An etiam ei, qui mala fide rem poſſedit?

Reſtitui debent impenſæ neceſſariæ, & utiles in fundo factæ poſſeſſori bonæ fidei vindicatione convento (✠1); immo etiam poſſeſſori malæ fidei, ſi adhuc extent res, & impenſæ domino profuerint, ideſt ex iis fundus ſit melioratus (2); quamvis enim, ſtricto jure inſpecto, denoganda videatur poſſeſſori malæ fidei impenſarum utilium repetitio, quaſi eas donaſſe videatur; quia tamen nemo debet, ex alienis ſpoliis ditari (3); idcirco, æquitate ſuadente, reſpondit Paulus, in hujus quoque perſona impenſarum utilium habendam eſſe rationem (4).

(✠1) *L. Plane* 38. *ff. de hereditat. petition.* (5. 3.), *Deciſ.* 5. *decembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Bernardi contra Patres ſancti Dominici in princip.*

(2) *D. L. Plane* 38. *ff. de hereditat. petit.*, *L. Domum* 5. *cod. de rei vindicat.* (3. 32.)

(3) *L. Nam hoc natura* 14. *ff. de condict. indebit.* (12. 6.)

(4) *Sed benignius eſt, in hujus quoque perſona haberi rationem impenſarum; non enim debet petitor, ex aliena jactura lucrum facere D. L. Plane* 38. *ff. de heredit. petit.*

DEFINITIO XXV.

Impenſæ neceſſariæ factæ poſt litem conteſtatam poſſeſſori reſtitui debent. An etiam utiles?

Quamquam, non obſtante mala fide, quæ per litis conteſtationem inducitur (1), neceſſariæ impenſæ factæ a poſſeſſore ei reſtituendæ ſunt; ne dominus alienis ſpoliis ditetur (Definit. præced.); utilium tamen nomine nec actio, nec retentio datur (✠2); tum quia ſumtus hi donati videntur, utpote nullo jure cogente facti (3); tum quia nemini permittendum eſt, ut poſt acceptum judicium duriorem faciat adverſarii conditionem (4): duriorem autem facit, qui adverſarium etiam locupletem onerat refuſione expenſarum, quamvis utilium (5). Sed regula hæc exceptionem habere poteſt, cum probabilis aliqua cauſſa poſſeſſorem excuſat (6). Sane nemo dubitat, quin liceat poſſeſſori in hac ſpecie auferre, quod ſine rei detrimento tolli poteſt (7).

(1) *L. Sed et & loci* 4. §. *Poſt litem* 2. *ff. finium regundorum* (10. 1.), *L. Certum eſt* 22. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

(✠2) *Deciſ.* 20. *januarii* 1679. *refer.*

Digitized by Google

D. Torrini in cauſſa Hoſpitalis SS. Trinitatis Foſſani contra Baſſettum in fine.

(3) *L. Donari videtur 29. ff. de donationib.* (39. 5.), *L. Quæ dubitationis* 81. *ff. de Reg. jur.*

(4) *L. Quamquam autem 4. §. 1. ff. de aqua, & aqua pluv. arcend.* (39. 3.)

(5) *Fab. cod. de rei vindication. lib. 3. tit. 22. def. 16. num. ult. in fin.*

(6) *Ita ſuadente æquitate, qua diſputatio hæc potiſſimum regitur, V. Juriſprud. Tom. III. §. 711. pag. 175.*

(7) *L. In fundo 38. ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

DEFINITIO XXVI.

Impenſæ voluptuariæ nec bonæ, nec malæ fidei poſſeſſori reſtituuntur; ſed utrique licet eas tollere ſine rei detrimento.

Impenſæ voluptuariæ, ideſt quæ voluptatem afferre poſſunt, & rei ſpeciem ornare, nullos tamen fructus pariunt, nec rei pretium per ſe augent, veluti tectorium, & picturæ (1), nec bonæ, nec malæ fidei poſſeſſori reſtitui debent; ſed utrique permitti, ut eas auferat, quæ tolli poſſunt, quin deterior res fiat, antequam in eam exornandam impenſum eſſet (✠2), ſi modo poſſeſſor aliquod, iis ſublatis, emolumentum percepturus ſit (3).

(1) *L. Voluptuariæ 7. ff. de impenſ. in rem dotal. fact.* (257). *Quæ dicantur impenſæ neceſſariæ, utiles, & voluptuariæ explicavimus, Juriſprud. Tom. III.* §. 703. *pag.* 173.

(✠2) *L. Domum. 5. in fin. cod. de rei vindicat.* (3. 32.), *L. Utiles autem 39. ff. de hereditat. petit.* (5. 3.), *Deciſ. 8. julii 1642. refer. D. Appiano in cauſſa Marchiſii contra Roccam, §. Et quoad domum.*

(3) *D. L. In fundo 38. in med. ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

DEFINITIO XXVII.

Ad repetendas impenſas competit ex uſu fori actio, ſi res reſtituta fuerit; alioquin poſſeſſor habet retentionem, ſi liquidæ ſint, pro illiquidis injungitur cautio.

Romano quidem jure inſpecto impenſæ meliorationum a poſſeſſore factæ actionis jure repeti non poſſunt, ſed tantum beneficio retentionis, præterquam in ſingularibus quibuſdam caſibus (1): ſed uſu fori, æquitate etiam ſuadente, actio in ſingulis caſibus datur (✠2); ſi modo certo de illis conſtet; melioramenta enim vel liquida ſunt, vel illiquida, ſeu certo probata, & demoſtrata, vel adhuc incerta. Pro meliorationibus liquidis indiſtincte datur retentio etiam in actione ſpolii (✠3), donec plene ſoluta fuerint (✠4). Si autem illiquida melioramenta ſint, non datur retentio, ſed injungitur cautio domino vindicanti, qua ſpondeat, ſe eorum nomine ſoluturum, quidquid judicari poſtea contigerit (✠5). Non tamen illiquida habentur ad retentionem melioramenta, quæ ſpecifice adhuc demonſtrata non fuerunt; ſufficit in genere ea probata fuiſſe, ut locus fiat retentioni favore poſſeſſoris (✠6); vel etiam breviter poſſe liquidari (✠7).

(1) *V. Supra lib. 1. tit. XXIII. de præd., & aliis reb. minor. definit. XLI.*

(✠2) *Cum quæſtio Senatui propoſita fuiſſet, utrum poſſeſſor, qui rem evictam reſtituerat, non facta mentione melioramentorum, ea adhuc repetere poſſet, placuit diſtinctio inter melioramenta utilia, & voluptuaria: ita ut illa etiam poſt reſtitutionem actione rite petantur: voluptuaria autem repeti amplius nequeant, niſi rem pretioſiorem reddant, Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 79. num. 3* ✠; *quæ quidem obtinent non ex ſtricto jure, ſed ex æquitate, quæ ſuadet, ut nemo cum alterius jactura locupletetur, L. Nam*

hoc natura 14. ff. de condic. indebit. (12. 6.), *L. Si & me, & Titium 32. ff. de reb. credit.* (12. 1.), *Deciſ. 10. decembris 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Marchion. Doliani contra Marchion. De Aix §. At nec id nocebit.*

(✠3) *Deciſ. 28. ſeptembris 1665. ref. D. Beraudo in cauſſa a Ponte contra de Laurier. in princip., Deciſ. 12. februar. 1676. refer. D. Garretti in cauſſa fratr. de Rondolinis contra Petrottum in fine, Deciſ. 19. ſeptembris 1682. ref. D. Raſini in cauſſa Freylinæ contra Arri in fine, Deciſ. 10 ſeptembris 1732. ref. D. Bianchis in cauſ. utr. de Caldora Abecclef. obſerv. 163. num. 12, & 16., atque retentio hæc etiam inquilino datur, & colono, L. Sed adde 19. §. Si inquilinus 4, L. Dominus 55. §. 1., L. Penult. ff. locati* (19. 2.) *Sentent. Senat. 3. ſeptembris 1737. in cauſſa Marchion. a Sancto Georgio contra Oſcliam, & Ferrerium, qua conductoribus decretæ ſunt impenſæ factæ etiam ſine mandato, quatenus fundus valoris majoris factus fuerat; atque illi nova etiam ædificia conſtruxerant.*

(✠4) *Deciſ. 18. jun. 1774. refer. D. Scala in cauſſa Comit. Gonterii Fabulatum contra Comit. Turinettum a Pertengo, §. Neque illa meliorationum poſt num. 26, Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 71. num. 6 ✠, ubi retentio data fuit poſſeſſori, etiam contra creditorem anteriorem, qui hypothecæ ſuæ vi rem vindicabat, ex L. Paulus 29. §. Domus 2. ff. de pignorib.* (20. 1.)

(✠5) *Deciſ. 11. decembris 1673. ref. D. Beraudi in cauſſa Facii contra Fiori, & Pennatos in fine, Deciſ. 13. ſeptembris 1674. refer. D. Leone in cauſſa de Porris contra Marchion. Blandrate, & communitat. ejuſdem loci in fine, D. Deciſ. refer. D. Raſini in cauſſa Freylinæ, & Arri in fine, Deciſ. 14. januar. 1732. refer. D. Blavet in cauſſa fratris, & filiæ Sedeci, aliorumque litis conſortium contra ſorores De La Ville in med. Reg. conſtit. lib. 3. tit. 31. §. ult., L. ult. §. 1. cod. de compenſationib.* (4. 31.)

(✠6) *Deciſ. 23. junii 1679. refer. D. Caſtelli in cauſſa Chiriorum, & Garrini in fine, Deciſ. 17. februarii 1652. ref. D. Filippa in cauſſa Auditoris Muſſanti contra Gandulfum in fine, Deciſ. 16. januar. 1647. refer. D. Barberis in cauſſa Ratæ contra de Fantinettis, §. Quoad melioramenta, Abecclef. d. obſerv. 163. num. 15., Reg. conſtit. lib. 3. tit. 31. §. ult.*

(✠7) *D. Deciſ. refer. D. Barberis, & d. §., Abecclef. d. num. 15., Reg. conſtit. d. §. ult.*

DEFINITIO XXVIII.

An executio ſententiæ differri debeat propter meliorationes a poſſeſſore ad rem reſtituendam condemnato petitas?

In ea quæſtione, utrum ſententiæ executio differenda ſit propter impenſas melioris effecti prædii, quas ſibi deberi contendat poſſeſſor, ad rem domino reſtituendam condemnatus, diſtinctione opus eſt: ſi meliorationes in genere ſaltem probatæ fuerint, differenda eſt ſententiæ executio, & miſſio in poſſeſſionem, donec ſit publicatum examen ſupercapitulis in ſpecie datis. Si vero nec in genere de illis conſtet, rurſus diſtinguendum eſt: ſi melioramenta deducta ſint ante ſententiam, hujus executio retardatur, donec ſit publicatum examen ſuper articulis propoſitis: cum vero deducta ſunt poſt ſententiam, hujus executio conceditur, præſtita tamen a domino, qui rem vindicat, cautione de his reficiendis (✠1), atque ſecundum hanc diſtinctionem explicari poteſt, quod refert Sola (2), congruam dilationem poſſeſſori concedendam eſſe, antequam ad reſtitutionem teneatur, ut melioramentorum quantitatem & valorem demonſtret. Vel etiam commode intelligitur de actione reali, non vero hypothecaria; quia in actione reali non tam facile revocatur poſſeſſio, etiamſi melioramenta non ſolvantur; quam in hypo-

Digitized by Google

thecaria per jus offerendi: hæc tamen regula de jure retentionis poſt ſententiam exceptionem habet, quando poſſeſſor per fraudem protrahit judicati executionem, & ſumtuum reſtitutionem (3).

(✠1) *Deciſ.* 15. *ſeptembris* 1648. *ref. D. Juliani in cauſſa de Mazzettis contra Comit. Viſcarum* §. *In contrarium fuit dictum*, & §. *Et ad decretum.*

(2) *Sola tit. de excuſſionib. pag. mihi* 446. *in fin.*

(3) *V. Supra lib.* 1. *tit. XXIII. de præd.*, & *aliis reb. minor. &c. definit. XLI.*

DEFINITIO XXIX.

Impenſæ meliorationum æſtimantur ex fructu, ſeu ex quo fundus melior effectus eſt.

Æſtimatio meliorationum fit habita ratione fructus, ſeu valoris, qui ex impenſis fundo acceſſit, non ejus, quod impenſum eſt (✠1); cum enim impenſarum reſtitutio fiat ex æquitate, quæ non patitur, ut alter cum alterius diſpendio locupletetur (2), imponi nequit domino rem ſuam vindicanti onus reficiendi impenſas, quarum emolumentum non percipit. Cum ſumtus non profuerunt, alteruter in damno hærere debet, aut poſſeſſor, qui impendit, aut dominus, qui fundum vindicat. Æquius autem eſt, ut rei jacturam ferat, qui propria ſponte, & proprio nomine ſumtus erogavit, quam alter.

(✠1) *L. Paulus reſpondit* 29. §. *Domus* 2. *ff. de pignorib.* (20. 1.), *Deciſ.* 10. *decembris* 1732. *refer. D. Cavalli in cauſſa Marchioniſſæ Doliani contra Marchion. de Aix*, §. *Nec de natura ſumtuum, poſt num.* 6., *Deciſ.* 22. *novembris* 1673. *refer. D. Rolando in cauſſa Corradi contra Francum*, §. *Ratio deciſionis*, *Deciſ.* 14. *januar.* 1732. *ref. D. Blavet in cauſſa Sedeci contra ſorores de La Villa per tot.*

(2) *L. In fundo* 38. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.), *junct. L. Nam hoc natura* 14. *ff. de condict. indebit.* (12. 6.)

DEFINITIO XXX.

Si minus impenſum ſit, quam emolumenti fundo acceſſit, id tantum reſtituitur, quod impenſum fuit.

Si plus impenſum ſit, quam fundus melior factus, tantum reſtituit poſſeſſori dominus, qui fundum vindicat, quatenus impenſæ profuerunt (Defin. præced.) & viciſſim id tantum reſtituitur, quod impenſum eſt, licet ex ſumtibus prædio amplius acceſſerit (✠1); etenim ſtricto jure melioramenta ad fundi dominum pertinent, acceſſionis vi (2): æquitas autem, quæ refectionem impenſarum ſuadet (Definit. præced.), non poſtulat, ut plus reſtituatur, quam impenſum eſt.

(✠1) *L. In fundo* 38. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.) *Deciſ.* 15. *decembris* 1667. *refer. D. Raymondi in cauſſa Marchion. S. Georgio contra Caudam in fine princ.*

(2) §. *Cum in ſuo* 29., & *ſeqq. inſtit. hoc tit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

DEFINITIO XXXI.

Meliorationum valor æſtimatur eo tempore, quo fundus reſtituitur.

His conſequens eſt, in æſtimando melioramentorum valore non inſpici tempus, quo factæ ſunt impenſæ: ſed quo poſſeſſor rem domino reſtituit (✠1); alioquin facile contingeret, ut plus oneraretur, qui rem accipit, quam utilitatis percepturus ſit ex ſumtibus: quod æquitas non patitur (Defin. XXIX.)

(✠1) *Fab. cod. de fructib.*, & *lit. expenſ. lib.* 7. *tit.* 18. *defin.* 72, *Deciſ.* 6. *aprilis* 1683. *refer. D. Garretti in cauſſa Freylinæ contra heredes Bollæ per tot.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXXII.

Quid ſi creverit valor rerum, & operarum eo tempore, quo res, in quam impenſum eſt, reſtitui debet?

Si tamen melioramenta plus valeant, quam impenſum eſt ab initio, quia creverit eo tempore, quo res reſtituenda eſt, æſtimatio rerum, & operarum, non eadem eſt interpicium omnium ſententia. Quidam putant, etiam in hac ſpecie, quod minus eſt, refici debere (Definit. XXX). Aliis placet, tempus reſtitutionis, ſeu præſentem rerum valorem inſpiciendum eſſe, tum ex regula generali modo tradita, & paſſim probata (Defin. præced.), tum ex Papiniani ſententia, qui ſpeciem expendens de domibus, ex cauſſa fideicommiſſi reſtituendis, quas heres gravatus, poſtquam caſu fortuito combuſtæ fuerant, denuo ſuis nummis extruxerat, reſpondit, eaſdem reſtituendas eſſe deductis ſumtibus, atque examinatis ætatibus (1), ideſt, ut ipſi interpretantur, inſpecta earumdem vetuſtate. In hoc interpretum diſſenſu placuit olim Senatui noſtro diſtinctio inter impenſas voluptuarias, ſeu potius utiles, & neceſſarias: ita ut æſtimatio neceſſariarum ex tempore reſtitutionis deſumatur; quia neceſſariæ etiam tum fieri deberent, & tanti æſtimarentur, ac ſolverentur: adeoque queri non poteſt dominus, qui nullum patitur damnum: in ceteris vero tantum computetur, quod ab initio fuit impenſum (✠2); ne alioquin nimis oneretur dominus, qui forte ſumtus illos non erogaſſet. Hæc quidem diſtinctio optima ratione nititur; nihil tamen obſtat, quominus ex ſingularibus adjunctis judex mediam quandam viam amplecti poſſit, maxime ſi de melioramentorum valore certo, & determinate non conſtet (✠3).

(1) *L. Domus 58. ff. de legat. 1. (30. 1.)*

(2) *Theſaur. Deciſ. 251. in additionib. liter. A* ✠.

(✠3) *Deciſ. 8. mart. 1740. refer. D. Laurenti in cauſ. Comitiſſæ Frichignonæ a Caſtellengo contra Comit. Frichignonum a Cerretto, §. Quare Senatus, num. 15.*

DEFINITIO XXXIII.

In æſtimando meliorationum valore judex poteſt recedere a ſententia peritorum.

Receptum quidem paſſim eſt, ut in æſtimando meliorationum valore ratio habeatur judicii peritorum: quia tamen non raro periti inter ſe diſſentiunt, atque periculi plena hæc via eſt, idcirco latius definienda relinquitur quæſtio hæc prudentis judicis arbitrio (1), qui ſingula rerum, & perſonarum adjuncta perpenderit, quique etiam moveri poteſt ex incremento pretii in poſteriori venditione (✠2), maxime ſi hæc ſub haſta fuerit celebrata; quia tanti res eſſe non immerito creditur, quanti poteſt vendi (3).

(1) *D. L. In fundo 38. ff. de rei vindicat. (6. 1.)*

(✠2) *L. 1. §. Si hæres 16. ff. ad S.C. Trebel. (36. 1.), V. Supra lib. 1. tit. XXIII. de præd. & aliis reb. minor. def. XL, Deciſ. 5. maii 1734. refer. D. Cavalli in cauſſa Laveſini, Borelli, Roſſi, & curator concurſ. Fenolii, fere in princ., ubi nulla habita eſt ratio æſtimationis a peritis, mandante Senatu factæ; tum quia periti inter ſe diſſenſerant, tum quia plenam periculi hanc viam demonſtrat experientia. Quare Senatus ex ſecunda venditione melioramenta æſtimavit.*

(3) *V. de hac re ſingularem ſpeciem a Senatu Sabaudo definitam apud Fabr. cod. de diſtract. pignor. lib. 8. tit. 17. defin. ult., in qua Senatus ex æquitate creditori hypothecario conceſſit, ut nova fieret ſubhaſtatio, quia pretium ex priore venditione redactum vix ſufficiebat*

Digitized by Google

reficiendis ſumtibus a poſſeſſore in rem factis.

DEFINITIO XXXIV.

Poſſeſſori reſtitui debent a domino impenſæ in fundi utilitatem quocumque modo erogatæ.

Eadem æquitas, quæ meliorationum reſtitutionem inducit (1), ſuadet, ut poſſeſſori reficiantur impenſæ omnes, quas utiliter fecerit, pro tuenda libertate prædii; has enim dominus ferre coactus fuiſſet, adeoque inter neceſſarias computari debent (✠2). Aliud ſane affirmandum, ſi temere litem inſtituerit, vel defenderit poſſeſſor, ſive bonæ, ſive malæ fidei (3).

(1) *L. In fundo* 38. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Cavalli* (*deſin. præced.*), §. *Sumtus a Lavezino*, *poſt num.* 11

(3) *Argum. L. Damnum* 202. *ff. de R. J.*

DEFINITIO XXXV.

Traditio ad dominium transferendum neceſſaria eſt, nec per ſententiam Senatus ſine traditione dominium transfertur.

Traditio ex legum præſcripto ad dominium transferendum omnino neceſſaria eſt (1): atque regula hæc ita conſtans eſt, ut vix unam, aut alteram exceptionem admittat; eaque non tantum in privatis contractibus locum habet (2): ſed & in illis, qui publica auctoritate firmantur, veluti in venditione ſub haſta, ita ut ne per ſententiam quidem Senatus ſine traditione dominium transferatur (✠3).

(1) *L. Traditionibus* 20. *cod. de pact.* (2. 14.)

(2) *Veluti in permutatione Fab. cod. de rer. permutat. lib.* 4. *tit.* 41. *def.* 2. *num.* 9. *in corp.*

(✠3) *Deciſ.* 5. *octobris* 1645. *refer. D. Nomis in cauſſa Dionyſii contra Monial. Cherienſes*, §. *Hinc dictum*; *quippequæ a regula generali nullibi invenitur excepta.*

DEFINITIO XXXVI.

Titulus juſtus, & aptus ad transferendum dominium requiritur præter traditionem, ut dominium transferatur.

Simplex autem traditio non ſufficit, ut rei dominium transferatur; niſi & ſimul juſtus adſit titulus, qui a legibus non reprobetur (1), atque aptus ad transferendum dominium, veluti venditio, donatio, permutatio, & ſimiles (✠2). Quare, cum pignus eo fine inductum ſit, ut ſecuritas creditori præſtetur, ſola bonorum oppignoratio non transfert dominium in creditorem, licet triginta, & amplius anni præterierint, & toto intermedio tempore creditor poſſederit (3).

(1) *L. Quemadmodum* 7. *cod. de agricol.*, *& cenſitis* (11. 47.)

(✠2) *Nunquam nuda traditio transfert dominium*; *ſed ita*, *ſi venditio*, *aut alia juſta cauſſa præceſſerit*, *propter quam traditio ſecuta ſit*, *L. Nunquam nuda* 31. *ff. hoc tit. de acquirend. rer. domin.* (41. 1), *l. Nullo* 24. *cod. de rei vindicat.* (3. 32.), *Fab. cod. de diſtractione pignor. lib.* 8. *tit.* 17. *def.* 4. *in princ.*, *Deciſ.* 1. *decembris* 1678. *refer. D. Gabuti in cauſſa Garinæ contra Dubois*, §. *Nec cenſuit Senatus*, *& ſeqq.*, *Deciſ.* 20. *januar.* 1734. *refer. D. Caſſotti in cauſſa concur. Marchion. Gattinaræ*, §. *Agnati petitioni.*

(3) *L. Qui prædium* 13. *cod. de diſtract. pignor.* (8. 28.), *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 5.

Digitized by Google

DEFINITIO XXXVII.

Res incerta nec acquiri, nec poſſideri poteſt. Qua ratione certitudo habeatur?

Res incerta nec acquiri, nec poſſideri poteſt (✠1). Res dicitur incerta, cum non conſtat de loco, & quota parte (2): ut atque certa fieri poſſit quota pars, docent pragmatici, non ſufficere, ſi ex fundo, centum puta jugeribus conſtante, decem tradantur; ſed omnino requiri, ut certa ejus diviſio aſſignetur, atque tradatur pars, veluti tertia, quarta (✠3).

(✠1) *L. Poſſideri 3. §. Incertam 2. ff. de acquirend. poſſeſſ.* (41. 2.), *Fab. cod. de inoffic. teſtam. lib. 3. tit. 19. def. 4. num. 2, & 3, Deciſ. 26. aprilis 1652. refer. D. Piſcina in cauſſa Malloni, & Ocelli per tot. Junge tit. ſequ. de acquirend. poſſeſſion. definit. XXI.*

(2) *L. Si fur 32. §. ult. ff. de uſurpationib., & uſucapionib.* (41. 3.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Piſcina.*

TITULUS IX

De acquirenda, vel amittenda poſſeſſione.

DEFINITIO I.

Creditores hypothecarii, uſufructuarii, & ſimiles naturaliter quidem, non tamen civiliter, poſſidere intelliguntur.

Naturaliter, ſed juſte poſſidere intelliguntur creditores pignoratitii, uſufructuarii, & ſimiles, qui alieno quidem nomine, ad ſui tamen commodum, & ſecundum legis auctoritatem poſſident 1, juſte enim poſſidere intelligitur, qui poſſidet, auctore prætore (✠2).

(1) *D. infra definit. XI.*

(✠2) *L. Juſte poſſidet 11. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *L. Quæcumque 13. §. 1. ff. de public. in rem action.* (6. 2.), *Deciſ. 13. auguſti 1660. refer. D. Dalmazzono in cauſſa jugal. Demaria contra de Bongioannis in princip. & §. Major. difficultas.*

DEFINITIO II.

Ex jure percipiendi fructus domus locatæ non acquiritur vera poſſeſſio: utique ex donatione, reſervato licet uſufructu.

Cum poſſeſſio non acquiratur, niſi corporalis apprehenſio ſequatur, & ſimul ſit animus apprehendendi proprio nomine (1), ſequitur, veram poſſeſſionem non acquiri ab eo, qui habet jus percipiendi fructus fundi, vel penſiones domus locatæ; poſſeſſio hæc mere naturalis eſt (Defin. præced.), remanente interim civili penes dominium (✠2): contra ex donatione, quamvis donator bonorum uſumfructum ſibi reſervaverit, tum poſſeſſio, tum dominum transfertur, maxime ſi clauſula conſtituti adjecta fuerit (✠3); cum ipſa uſusfructus reſevatio traditionis vices gerat, ut loquuntur interpretes (4).

(1) *L. Poſſideri 3. §. 1, L. Quemadmodum 8. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſ.* (41. 2.)

(✠2) *L. Si quis 10. §. 1. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion., Deciſ. 28. maii 1655. refer. D. Beccaria in cauſſa Pellegrini contra Baralis, §. Sed quia totius cauſſæ reſolutio, & ſeqq.*

(✠3) *Deciſ. 25. junii 1649. refer. D. Beccaria in cauſſa PP. S. Victorii Vercellarum contra jugal. de Careſana, §. Quæſitum itaque, in fine.*

(4) *L. Quiſquis rem 28. cod. de donationibus* (8. 54.), *L. Quod meo 18. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſ.*

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Judicis ſententia, qua quis mitti jubeatur in poſſeſſionem, non acquiritur poſſeſſio, ſi poſſidens contradicat.

Nec acquiritur poſſeſſio ex judicis ſententia, qua creditorem poſt delibe-ramentum mitti jubeat in poſſeſſionem (✠1); cum immo nec proſit ad poſſeſſionem acquirendam miſſio judicis auctoritate peracta, ſi ille, qui rem interim poſſidet, huic decreto obſiſtat (2); oppoſitio ex parte poſſidentis, qui ſe poſſidere demonſtravit, impedit ſententiæ effectum, donec illa fuerit definita (3): atque interim deficit corporalis apprehenſio ad poſſeſſionem acquirendam neceſſaria (4).

(✠1) *L. Non eſt mirum* 26. §. 1. *ff. de pignorat. act.* (13. 7), *Fab. cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *defin.* 28, *&* 41, *Deciſ.* 20. *januarii* 1679. *refer. D. Torrini in cauſſa hoſpit. SS. Trinitatis Foſſani contra Baſſettum in princip.*, *& Deciſ.* 16. *novembris* 1682. *refer. eod. D. Torrini in cauſſa Duſnaſii contra Puteum*, §. *Contrarium tamen, in fin.*

(2) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 158. *num.* 14. ✠

(3) *Abeccleſ. d. obſervat. num.* 15. ✠

(4) *L. Poſſideri* 3. §. 1, *L. Quemadmodum* 8. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

DEFINITIO IV.

In rebus incorporalibus quaſi poſſeſſio locum habet. Quomodo hæc acquiratur, & quos effectus pariat?

Cum rerum incorporalium, puta ſervitutum, vera poſſeſſio haberi nequeat, ſed tantum ficta (1); quemadmodum patientia locum traditionis obtinet, ita uſus apprehenſionis (2): in actionibus autem ceſſio traditionem, acceptatio apprehenſionem refert (✠3). Sane hæc quaſi poſſeſſio eoſdem effectus, parit ac vera poſſeſſio rerum corporalium (4).

(1) *L. Servus* 43. §. 1. *ff. de acquirend. rer. domin.* (41. 1.)

(2) *L. ult. ff. de ſervitutib.* (8. 1.)

(✠3) *L. ult. cod. quand. fiſc., vel privat.* (4. 16.), *Deciſ.* 18. *decembris* 1660. *ref. D. Raymondi in cauſſa Comit. ab Alladio contra Comit. Strambini*, §. *Nec adverſatur.*

(4) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 189. *num.* 12. ✠

DEFINITIO V.

Poſſeſſio rerum incorporalium acquiritur per unicum actum, non tamen contra plures, niſi omnes conſentiant. Quid de univerſitate?

Poſſeſſio rerum incorporalium acquiri utique poteſt, & retineri per unicum actum (✠1), non tamen contra plures, niſi adſit omnium patientia: ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, quod æquitas non ſinit (2). Quare patientia particularium univerſitati non nocet (✠3), niſi forte plerique ex honeſtioribus acquieverint in re, quod ſingulis, non uti ſingulis, ſed uti de populo competit (4).

(✠1) *Abeccleſia d. obſervat.* 189. *num.* 14. *ubi de unica cenſus ſolutione, Deciſ.* 18. *ſeptembris* 1656. *refer. D. Delaude in cauſſa communit. Volveriæ contra communitat. Caudolini in princip., ubi de annua præſtatione, Deciſ.* 22. *maii* 1676. *ref. D. Raſini in cauſſa Rabuti contra Comit. Loſam in fine, ubi de prohibitione furni ad panem coquendum.*

(2) *L. Non debet* 74. *ff. de Reg. jur.*

(✠3) *Deciſ.* 5. *decembris* 1673. *refer. D. Rolando in cauſſa Comit. de Monteu Verruæ contra particulares Mazzè in princ.*

(4) *V. titul. præced. definit. VII.*

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

Poſſeſſionem quis adipiſci poteſt per procuratorem, tutorem, vel curatorem.

Poſſeſſionem acquirere poſſumus per procuratores, quin neceſſaria ſit ſcientia ejus, quod a procuratore geſtum eſt (1); ſcire enim videmur, initio inſpecto, quæ procurator ex mandato noſtro geſturus eſt. Potiori ratione per tutores, curatores, & ſimiles (✠2): quippequi ampliſſimum mandatum habere intelliguntur, quo pupillorum, minorum, aliorumque, quorum curam gerunt, & bona adminiſtrant, nomine acquirant.

(1) §. *ult. inſtit. per quas perſon. cuique acquir* (2. 9.), *L. Quod meo* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

(✠2) *L.* 1. §. *Per procuratorem* 20., & §. *ult.*, *L.* 2. *ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſ.*, *Deciſ.* 19. *decembris* 1712. *ref. D. Beltramo in cauſſa Baroniſſæ a Sancto Marcello Parpaleæ a Revilaſco contra Equit. Solarium, & Comit. Martini Valpergia*, §. *Quod autem omnem.*

DEFINITIO VII.

Clauſula conſtituti transfert veram poſſeſſionem tum civilem, tum naturalem.

Vulgatus eſt acquirendæ poſſeſſionis modus, qui a pragmaticis conſtitutum poſſeſſorium vocari ſolet, nempe cum quis alieno nomine poſſidere incipit, quod ſuo nomine prius poſſidebat (1), & diſtinguitur a conſtituto, quod obligatorium appellant (2). Porro ex conſtituti clauſula acquiritur ficta quidem poſſeſſio, vera tamen (✠3); ita ut conſtituens ne naturaliter quidem poſſidere videatur, translata tum civili, tum naturali poſſeſſione in conſtitutarium (4). Si ergo per conſtituti clauſulam poſſeſſio duobus tradita fuerit, præferri debet ille, qui tempore prior eſt (✠5); cum enim conſtituens per priorem contractum ſe exuerit poſſeſſione ſua, eam amplius in poſteriorem transferre nequit (6).

(1) *L. Quod meo* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

(2) *De quo agitur lib.* 13. *tit.* 7. *ff. de pecunia conſtituta.*

(✠3) *D. L.* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.*, *Fab. cod. hoc tit. de acquirend.*, *vel amittend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 18, *Theſaur. deciſ.* 38. *in princip.*, *Oſaſc. deciſ.* 36. *num.* 2, *Deciſ.* 14. *maii* 1659. *refer. D. Sandiliano in cauſſa Giolitæ contra Minum.*

(4) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 15., *D. L.* 18. *ff. hoc tit. de acquir. poſſeſ.*

(✠5) *Deciſ.* 27. *junii* 1649. *refer. D. Beccaria in cauſſa PP. S. Victorii Vercellarum contra jugales de Careſana*, §. *Re bene perpenſa.*

(6) *L. Nemo* 54. *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO VIII.

Clauſula conſtituti, utpote acceſſoria contractus, ejus qualitates recipit: atque tum pure, tum ſub conditione, vel in diem ei adjici poteſt.

Conſtituti clauſula, ſeu conſtitutum poſſeſſorium tum pure, tum ſub conditione, & in diem contractui adjici poteſt, utpotequod acceſſorium eſt contractus, adeoque recipit omnes illius qualitates (✠1); ita ut ſi ſub conditione concepta ſit hujuſmodi clauſula, non niſi ea eveniente, translata reputetur poſſeſſio (✠2) ſecundum generales juris regulas (3). Atque idem obtinet, cum dies adjecta fuit (4).

(✠1) *Deciſ.* 3. *junii* 1647. *refer. D. Abeceleſia in cauſſa Chiardorat contra Ferraris*, §. *Nec iis obſtat.*

Digitized by Google

(✠2) *D. Deciſ.* §. 2. *Non obſtat, Fab. eod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſ. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 27.

(3) *L. Cedere diem* 213. *ff. de verb. ſignif.*

(4) *D. L.* 213., *Fab. defin.* 27.

DEFINITIO IX.

Conſtitutarius habet interdicta retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis.

Cum veræ traditionis vices gerat conſtitutum (Defin. VII.), ejus quoque commoda affert, atque effectus parit. Hinc conſtitutario competunt interdicta retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis (✠1), atque remedium Juſtinianeæ conſtitutionis (2) ad avocandam poſſeſſionem (✠3).

(✠1) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 183. *num.* 10 ✠, *Oſaſc. Deciſ.* 137. *num.* 7, *Deciſ.* 17. *novembris* 1648. *refer. D. Porta in cauſſa de Vialis contra filios quondam auditor. Humolii in fine*, *Deciſ.* 5. *ſeptembris* 1641. *refer. D. Porta in cauſſa Comit. Loſæ contra Pellegrinum fere in princip.*, *Deciſ.* 20. *maii* 1648. *refer. D. Porta in cauſſa Præſid. Granerii contra Vaſſallos de Caburetto*, §. *Qui habet obligationem.*

(2) *De quo in l. ult. cod. hoc tit. de acquir. poſſeſſion.* (7. 32.)

(✠3) *Deciſ.* 14. *maii* 1659. *refer. D. Sandiliano in cauſſa Giolitæ contra Minum per tot.*

DEFINITIO X.

Quid ſi clauſula conſtituti appoſita fuerit in reſtitutione fideicommiſſi, vel juris patronatus?

Si conſtituti clauſula appoſita fuerit in primogenii, fideicommiſſi, vel juris patronatus reſtitutione, fundator ipſe ſe ſucceſſorum omnium jure poſſidere conſtituit; & ideo in omnes ſucceſſores poſſeſſionem transfert, quam ipſi acquirunt eodem momento, quo vocatio ſuum ſortitur effectum (✠1); eodem momento a fundatore in ſucceſſorem tranſit, quamvis heredes non ſint (2).

(✠1) *Argum. D. l. Quod meo* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Deciſ.* 9. *junii* 1736. *refer. D. Provana in cauſſa Parellæ contra Scaliam*, §. *In fundamentis*, *Deciſ.* 11. *maii* 1732. *refer. D. Cavalli in cauſſa utrinq. Galli*, §. *Non igitur.*

(2) *Fab. cod. uti poſſidetis lib.* 8. *tit.* 4. *def.* 6.

DEFINITIO XI.

Quid ſi clauſula conſtituti adjecta fuerit in donatione, venditione, vel emphyteuſi?

Rei donatæ, reſervato uſufructu, adjecta clauſula conſtituti, non dominium tantummodo, ſed & poſſeſſio quoque translata intelligitur (✠1): atque idem eſt de re vendita, licet non tradita; ex conſtituti clauſula poſſeſſio ſtatim in emtorem transfertur, ita ut prior præferatur in re vendita, quamvis poſteriori res vere tradita fuerit (✠2). Exceptio tantum eſt in conſtituto adjecto contractui, quo vendita, vel in ſolutum data fuerit res emphyteuticaria, quia in emphyteuſi nec prodeſt realis traditio, ſed ille præfertur, qui a directo domino inveſtitus eſt; etenim inveſtitura traditionem confirmat, ſine qua valere non poteſt (3).

(✠1) *L. Si quis argentum* 35. §. *ult. cod. de donat.* (8. 54.), *junct. L. Quod meo* 18. *ff. hoc. tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Deciſ.* 25. *junii* 1649. *refer. D. Beccaria in cauſſa PP. S. Victorii Vercellarum contra jugales de Careſana*, §. *Quæſitum itaque, in fin.*

(✠2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 64. *num.* 3, *Deciſ.* 3. *junii* 1647. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Chiardoræ contra Ferraris in princip.*

Digitized by Google

(3) *Theſaur. d. quæſt. 64. num. 3.* ✠. *Quod tamen non obſtat, quominus emtor agere poſſit ad actualem, & realem traditionem rei emtæ. Oſaſc. deciſ. 36.* ✠.

DEFINITIO XII.

Res obligata cum clauſula conſtituti non poteſt dari in ſolutum, ne creditori quidem anteriori.

Res obligata cum clauſula conſtituti in ſolutum dari non poteſt ne creditori quidem, qui hypothecæ anterioris jure gaudeat (✠1); juris enim regula, ex qua prior tempore potior jure eſt (2), obtinet tantum, cum inter priorem, & poſteriorem creditorem agitur hypothecaria actione; non vero, cum quæritur de poſſeſſione retinenda, vel recuperanda; in hoc caſu antiquus poſſeſſor præfertur alteri; quamquam hic hypothecæ jure in novo judicio poſſeſſionem rurſus ad ſe avocare poteſt, ſi debitor excuſſus ſolvendo non ſit (✠3).

(✠1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 3. quæſt. 60. num. 4, Oſaſc. deciſ. 133. per tot* ✠, *Deciſ. 17. ſeptembris 1655. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Ruffi contra fratres de Roſtagnis in princip.*

(2) *L. Si decreto 2, L. Si fundum 4. cod. qui pot. in pign* (8. 18.)

(✠3) *Oſaſc. d. deciſ. 133. num. 8, & 10., Deciſ. 31. maii 1649. refert D. Piſcina in cauſſa Gaydonis contra Mellanum in fin. princip.*

DEFINITIO XIII.

Res locata, pendente locationis tempore, alienari non poteſt in diſpendium conductoris, ſi locationi clauſula conſtituti adjecta fuerit.

Cum poſſeſſio per clauſulam conſtituti quæſita interverti non poſſit (1) ex facto alterius (Defin. præced.), ſponte ſequitur rem, alteri locatam cum clauſula conſtituti, durante tempore locationis, per hypothecam in alterum transferri non poſſe, neque in conſtitutarii diſpendium alienari (✠2).

(1) *L. Quod meo 18. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion* (41. 2.)

(✠2) *Deciſ. 17. junii 1734. refer. D. Grondana in cauſſa Graſſi contra Bruna, §. Quoad vero, Oſaſc. d. deciſ. 133. num. 7.*

DEFINITIO XIV.

An clauſula conſtituti tollat beneficium excuſſionis, quod plerumque competit tertiis poſſeſſoribus?

In ea quæſtione, utrum conſtitutum, ſeu conſtituti clauſula tollat beneficium excuſſionis, quod plerumque competit tertiis poſſeſſoribus bonorum debitoris, placuit tum Pedemontano, tum Sabaudo Senatui affirmantium ſententia (✠1); dummodo tamen non ſola hypothecaria actio inſtituatur, ſed imploretur beneficium (2) Juſtinianeæ ſanctionis (3): niſi forte venditor exceperit hypothecam, & poſſeſſionem rei a ſe venditæ; quippe quo caſu beneficium a Juſtiniano conceſſum neceſſarium non eſt; cum venditor potius dominus, quam creditor videatur (4); quia tum civilis, tum naturalis poſſeſſio transfertur per conſtitutum (Definit. præced.). Hæc quidem obtinet, ſtricto jure inſpecto, æquitas tamen aliud non raro ſuadere poteſt.

(✠1) *Theſaur. deciſ. 53. num. 1.* ✠, *& Deciſ. 215. num. 2, Fab. cod. de jur. dotium lib. 5. tit. 7. def. 25 num. 13. in corpore, Abeccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 110. num. 25.* ✠, *& obſervat. 183. num. 11, & obſervat. 184. num. 10, Deciſ. 22. martii 1730. refer. D. Cavalli in cauſſa de Arnaldis in fine, Deciſ. 25. junii 1678. refer. D. Gabuti*

Digitized by Google

in cauſſa Ferreriæ contra Hoſpitale ſanctæ Crucis, §. *Ideo definivit Senatus, in fin., Deciſ. 16. januar. 1647. ref. D. Barberis in cauſſa Ratæ contra fratres de Fantinettis*, §. *Nec viſum fuit*, *Deciſ. 30. jun. 1654. refer. D. Abecclesia in cauſſa Maurini contra Picherium*, *in princip.*, *Deciſ. 18. junii 1672. refer. D. Garretti in cauſſa Ferraris contra Marchiſium*, §. *Probata enim fuerunt*, *Deciſ. 27. februarii 1652. refer. D. Filippa in cauſſa Muſinati contra Gandulfum*, §. *Capitula vero*, *prope finem*, *Deciſ. 17. ſeptembris 1655. refer. D. Porta in cauſſa Audit. Baronii contra Adrianum per tot.*, *Deciſ. 5. martii 1752. refer. Guillier in cauſſa Paſſeroni & Caſtelli contra Boverium*, §. *Petitionem num. 1.*, *Deciſ. 12. januar. 1646. refer. D. Barberis in cauſſa communitat. Collegii contra Cont. ejuſdem loci*, *& præſid. Pelegrinum*, §. *Neque viſum fuit*. *Aliud quidem traditur in deciſ. 20. julii 1668. refer. D. Sandiliano in cauſſa fratr. de Negro contra Roſſam*, *ſed ex ſententia relatoris non ex Senatus placito*.

(2) *L. Ult. cod. hoc tit. de acquirend. poſſeſſione* (7. 32.)

(3) *Theſaur. deciſ. 53. num. 4*, *& 5.* ✠, *Fab. cod. de exceptionib. lib. 8. tit. 24. def. 13*, *& cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. lib. 7. tit. 7. def. 1.*, *Atque*, *cum hic de ſola poſſeſſione quæratur*, *non admittuntur exceptiones*, *quæ ad judicium petitorum ſpectant*, *ſecus ac in hypothecaria ſervetur*, *Fab. ibid. def. 11*, *nihil enim commune habet proprietas cum poſſeſſione*, *L. Naturaliter 12. §. 1. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſ.* (4. 2.); *contra pignus non niſi a rei domino conſtitui poteſt L. 1*, *& tot tit. cod. ſi alien. res pign. data ſit* (8. 16.)

(4) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. defin. 37.*

DEFINITIO XV.

Quid ſi creditor ſpecialem hypothecam habeat ſuper aliqua re, *& generalem ſuper omnibus bonis?*

Exceptionem habet hæc regula (Definit. præced.) in ea ſpecie, qua creditor ſpecialem hypothecam habeat ſuper aliqua re, & generalem ſuper omnibus bonis; creditor vi conſtituti non poteſt agere ad cetera bona, niſi prius expertus fuerit jure ſuo ad rem ſpecialiter obligatam (✠1). Ratio eſt, quia clauſula conſtituti acceſſoria eſt contractus: cujus ideo conditionem ſequi debet. Cum ergo creditor, qui hypothecam habet ſpecialem, & generalem, non prius hac uti poſſit, quam demonſtraverit ex ſpeciali conſequi non potuiſſe, quod ſibi debitum eſt (2), niſi adjecta ſit clauſula, qua ſpecialitas generalitati non deroget (3), quæ regula etiam ad dotem extenditur, utpotequæ ſingulari in hac re privilegio in jure donata non ſit, ſive hypotheca generalis præceſſerit, ſive ſubſequatur (✠4), conſequens omnino eſt, iiſdem regulis ſubjici conſtitutum: quin ulterius intereſt, quod mortui ſint conſtituens, & conſtitutarius, cum morte non finiatur conſtitutum (✠5).

(✠1) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 184. num. 11.* ✠, *Deciſ. 5. ſeptembris 1672. refer. D. Raymondi in cauſſa Cremaſchæ contra Brignonum*, §. *Nec obſtat.*, *Deciſ. 8. junii 1646. ref. D. Abecclesia in cauſſa Roſæ contra Cocalotum*, *& jugal. de Minis in fin.*

(2) *L. Quamvis 2. cod. de pignor.*, *& hypoth.* (8. 14.)

(3) *Oſaſc. deciſ. 159. in fine* ✠.

(✠4) *Abeccleſ. d. obſerv. 184. num. 12.* ✠, *D. Deciſ. in fin. ref. D. Abecclesia.*

(✠5) *Theſaur. deciſ. 105*, *dec. 10 februarii 1674 ref. D. Beraudo in cauſſa Grivi contra alios in fine.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVI.

Conſtituti vis tranſit in heredes tum conſtituentis, tum conſtitutarii.

Conſtituti vis, ſeu effectus ex communi ſententia tranſit in heredes tam active, quam paſſive, ut pragmatici loquuntur, videlicet in heredes tum conſtituentis, tum conſtitutarii (✠1), ita ut creditor obtineat in judicio poſſeſſorio, quamvis heres conſtituentis hereditatem adierit cum beneficio inventarii (✠2); atque potior eſt cauſſa conſtitutarii, quam heredis (3), & donatarii (4). Quia tamen heres ex nova Juſtiniani ſanctione (5) legitimus eſt contradictor, & præfertur in poſſeſſione adipiſcenda ceteris, poteſt adeptam poſſeſſionem retinere, & repellere conſtitutarium, cujus jura certa, & manifeſta non ſint, quemadmodum potuiſſet ipſe conſtituens (✠6); poſſidentis enim, maxime qui legitimo titulo munitus ſit, melior eſt conditio (7).

(✠1) *Theſaur. d. deciſ. 105. num. 6.* ✠, *Argum. L. Cum in plures 60. §. 1. ff. locati (19. 2.), Abecclef. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 184. num. 4.* ✠, *Deciſ. 23. februar. 1692. refer. D. Richelmi in cauſſa Comit. de Viancinis contra fratr. Comit. Cravetta, §. In capite vero, Deciſ. 5. ſeptembris 1672. refer. D. Raimondo in cauſſa Cremaſchæ contra Brignonum in fine princip., Deciſ. 23. junii 1673. ref. D. Beraudi in cauſſa Cagnæ contra Richerios per tot., Deciſ. 15. ſeptembris 1645. refer. D. Filippa in cauſſa Annæ Curta, & particular. Viveroni per tot.*

(2) *Fab. cod. de bon. auctoritat. judic. poſſidend. lib. 7. tit. 32. def. 11, Deciſ. 18. decembris 1647. refer. D. Abeccleſia in cauſ. utrinque Fontanella, §. In judicio aut in poſſeſſorio autem.*

(3) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. lib. 7. tit. 7. def. 38.*

(4) *Fab. cod. uti poſſid. lib. 8. tit. 4. def. 6.*

(5) *L. ult. in fin. cod. de edic. D. Adriani tollendo (6. 33.)*

(✠6) *Deciſ. 8. april. 1650. refer. D. Barberis in cauſſa Ferrerii contra Pellegrinum fer. in medio.*

(7) *L. Factum 155. §. ult. ff. de R. J.*

DEFINITIO XVII.

Ceſſionarius eodem jure utitur, ac conſtituens, ſi ceſſio ſpecialis facta ſit, & incontinenti.

Eadem ac conſtituentis eſt cauſſa ceſſionarii (✠1), dummodo ceſſio ſpecialis facta fuerit (2): eoque tempore, quo adhuc ipſe cedens in poſſeſſione erat: proinde incontinenti, non ex intervallo, poſtquam amiſſa eſt poſſeſſio (✠3); non enim prodeſſe poteſt juris ceſſio ab eo facta, qui jus nullum habet (4).

(✠1) *Theſaur. Deciſ. 215. num. 8.* ✠, *Fab. cod. hoc tit. de acquirend. vel amittend. poſſeſſion. lib. 7. tit. 7. def. 24., Abecclef. obſervat. forenſ. part. 1. d. obſervat. 184. num. 4.* ✠, *Deciſ. 22. novembris 1673. refer. D. Gabuti in cauſſa Commotti contra Leonem in princip., Deciſ. 10. februarii 1648. refer. D. Filippa in cauſſa Comit. Loſei contra PP. Societ. Jeſu Cherienſ. in princip.*

(2) *Fab. d. definit. 24.*

(✠3) *Deciſ. 10. januarii 1739. ref. D. Viani in cauſſa Comit. Peyre a Coſta contra fratres Malauſenos. §. Quoad manutentionem, Fab. cod. hoc tit. de aquir. poſſeſſ. lib. 7. tit. 7. defin. 25.*

(4) *L. Modeſtinus 76. ff. de ſolutionib. (46. 3.)*

Digitized by Google

DEFINITIO XVIII.

Conſtitutum non operatur, niſi adjectum ſit contractui licito, cujus conditiones ſequitur.

Conſtitutum vires non habet, niſi contractus, cui adjicitur, licitus ſit, fraudis, ſimulationis, alteriuſve ſimilis vitii expers; cum enim acceſſorius ſit contractus, ejuſdem leges ſequi debet (✠1). Atque hinc ulterius ſequitur, adverſus conſtitutum competere eaſdem exceptiones, quæ competunt adverſus contractum (2).

(✠1) *Deciſ.* 9. *junii* 1736. *refer. D. Provana in cauſſa Parella contra Scaliam*, §. *Hiſce præmiſſis*, *Deciſ.* 25. *maii* 1648. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Chiardorat contra Ferraris*, §. *Nec iis obſtat clauſula conſtituti*, *Deciſ.* 24. *ſeptembris* 1666. *Refer. D. Bellino in cauſſa S. Crucis contra Fontanam per tot.*, *Deciſ.* 8. *aprilis* 1650. *refer. D. Barberis in cauſſa Ferrerii contra Pellegrinum poſt med.*

(2) *Abecclef. obſervat. forenſ. part.* 1. *d. obſervat.* 184. *num.* 5. ✠.

DEFINITIO XIX.

Poſſeſſio non transfertur per conſtitutum, niſi conſtituens eo tempore poſſederit, vel niſi nominatim aliud actum demonſtretur.

Ad vim conſtituti neceſſe eſt, ut conſtituens poſſideat eo tempore, quo ſe alterius nomine poſſidere conſtituit (✠1), nemo in alium transferre poteſt, quod ipſe non habet (2): nec poſſeſſio ſuperveniens creditori prodeſt (3); poſſeſſio, utpote res facti, fictionem juris non recipit, nec in alium transferri poteſt, priuſquam ſit quæſita: niſi id nominatim actum fuerit, ut poſſeſſio tunc translata intelligatur in creditorem, cum debitor eam adeptus fuerit; prout contingit, quoties debitor non tantum præſentia, ſed futura quoque bona pignori ſubjicit, adjecta clauſula conſtituti (4).

(✠1) *L. Quod meo* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 14., *Deciſ.* 14. *maii* 1659. *refer. D. Sandiliano in cauſſa Giolitæ contra Minum in fin.*, *Deciſ.* 2. *ſeptembris* 1656. *refer. D. Demazzettis in cauſſa Raſinorum contra Comit. Brucum*, §. *In contrarium*, *Deciſ.* 15. *ſeptembris* 1645. *refer. D. Filippa in cauſſa Annæ de Curte contra particulares Viveroni per tot.*, *Deciſ.* 1. *decembris* 1678. *refer. D. Gabuti in cauſſa Garillæ contra Dubois*, §. *Et quamvis*.

(2) *L. Nemo* 54. *ff. de reg. jur.*

(3) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *d. def.* 14.

(4) *Fab. d. def.* 14.

DEFINITIO XX.

An procurator, judex, tutor, curator, vel prælatus eccleſiæ transferre poſſit poſſeſſionem per clauſulam conſtituti?

Cum poſſeſſio deſideretur in eo, qui per conſtituti clauſulam in alium transferre vult poſſeſſionem (Defin. præced.), conſequens eſt, neque procuratorem, niſi ſpeciale mandatum habeat, neque judicem per conſtituti clauſulam adjectam decreto transferre poſſeſſionem (✠1): atque eadem cauſſa eſt tutoris, & curatoris, ſi jus ſtrictum inſpiciamus: ex æquitate tamen receptum ait Faber, ut tutor pupilli nomine alteri poſſeſſionem tribuat, cum illud pupillo utile eſt (2). Sed prælato eccleſiæ idem jus concedi non debet, niſi capituli quoque conſenſus accedat, quia non prælatus, ſed eccleſia poſſidet (3).

(✠1) *L. Quod meo* 18. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *L. Communis ſervus* 42. §. 1. *ff. hoc tit.*, *Ab-*

Digitized by Google

eccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. *obſervat.* 184. *num.* 7., *Deciſ.* 7. *ſeptembris* 1656. *refer. D. Demazzettis in cauſſa Raſinorum contra comit. Bruccum per tot.*

(2) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend., vel amittend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 17.

(3) *Fab. d. def.* 17. *in fin.*

DEFINITIO XXI.

Poſſeſſio rei omnino incerta haberi non poteſt.

Conſtitutum non valet, niſi ſit de re certa; incertæ enim rei nulla poſſeſſio eſſe poteſt (✠1), ſicuti nec dominium (2): neceſſe tamen non eſt, ut res ex omni parte certa ſit; poteſt enim pars fundi pro indiviſo poſſideri (3): nec non pars incerta, quæ ſit ex re certa, veluti pars fundi legati, ex quo adhuc quarta falcidia deducenda ſit (4).

(✠1) *Incertam partem rei poſſidere nemo poteſt, veluti ſi hac mente ſit, ut quidquid Titius poſſidet, tu quoque velis poſſidere, L. poſſideri* 3, §. *Incertum* 2. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Deciſ.* 24. *novembris* 1645. *ref. D. Appiano in cauſſa Mare, Pomei, Guaſco, & aliorum*, §. *Neque obſtat clauſula conſtituti.*

(2) *V. Titul. praced. defin. XXXVII.*

(3) *L. Locus certus* 26. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.*

(4) *L. Quæ de tota* 76. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

DEFINITIO XXII.

Conſtitutum non valet, niſi conſtitutarius ſit præſens; vel, re integra, ratum habeat, quod geſtum fuit.

Non valet conſtitutum, niſi conſtitutarius ſit præſens, vel congruo tempore ratum habeat, quod geſtum fuit (✠1), ſicut enim conſtitutum ex parte conſtituentis locum tenet traditionis (2), ita ea parte conſtitutarii repræſentare debet rei apprehenſionem, quæ ſine præſentia, & conſenſu, vel ſaltem poſteriori ratihabitione fingi non poteſt. Si ergo conſtituens de poſſeſſione expellatur, antequam conſtitutarius rem ratam habuerit, conſtitutario non competit remedium recuperandæ poſſeſſionis (3).

(✠1) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 184. *num.* 13. ✠, *Deciſ.* 10. *januar.* 1734. *refer. D. Viani in cauſſa Comit. Peyre a Coſta contra fratr. Malauſenos in fine.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 744. *& ſeqq. pag.* 183.

(3) *Abeccleſ. d. obſervat.* 184. *num.* 13, *junge ſupra defin. XIX.*

DEFINITIO XXIII.

Conſtituti beneficium in ſpecie implorandum eſt, & probanda identitas bonorum.

Qui conſtituti beneficio uti vult, ſeu ex eo agere, in primis debet hoc remedium ſpecifice implorare (✠1); tum probare identitatem bonorum, maxime ſi actionem inſtituat adverſus tertium poſſeſſorem (✠2); hæc enim res facti eſt, quæ non præſumitur (3).

(✠1) *Theſaur. deciſ.* 53. *num.* 5. ✠, *Deciſ.* 21. *junii* 1663. *refer. D. Beraudi in cauſſa Avogadra Furnæ contra Allois*, §. *Animadvertunt. Domini.*

(✠2) *Deciſ.* 12. *januar.* 1645. *refer. D. Filippa in cauſſa Comitiſſa Oſaſcha, & Palierii ſere in princip.*

(3) *L. Quoties opera* 18. *ff. de probat.* (22. 3.)

Digitized by Google

DEFINITIO XXIV.

Conſtituti beneficium amittit , qui intra decennium rei poſſeſſionem adeptus non eſt , ſi alius interim eam invaſerit ; nec penes conſtituentem permanſerit.

Conſtituti beneficium amittit conſtitutarius, qui decennium, a die natæ actionis computandum , labi permiſerit , antequam corporalem rei poſſeſſionem apprehenderit (✠1) , quia per tanti temporis ſpatium præſumitur oblivio , ex qua amittitur poſſeſſio hæc, quæ ſolo animo retinetur : ſi modo alter rei poſſeſſionem invaſerit , nec poſſeſſio apud conſtituentem permanſerit (✠2) ; memoriæ infirmitas non adfert damnum poſſeſſionis , quam alius non invaſit , ut loquitur Papinianus (3) ; elapſo autem decennio conſtitutarius adhuc habet beneficium Juſtinianeæ conſtitutionis (4) , quod uſque ad triginta annos , ceterarum actionum exemplo (5) perdurat (✠6).

(✠1) *Deciſ.* 18. *aprilis* 1735. *refer. D. Demorra in cauſſa Alberiæ del Ponte Gili contra Mallettum, Vachieri , & alios*, §. *Hiſce tamen reſolutis.*

(✠2) *L. Si de eo* 40. §. 1. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.) , *Deciſ.* 12. *januar.* 1646. *refer. D. Barberis in cauſſa communitat. Collegii contra Comit. ejuſdem loci , & Præſidem Pellegrinum in fine.*

(3) *L. Peregre* 44. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.*

(4) *De quo in L. ult. cod. hoc tit.* (7. 32.)

(5) *L. Sicut in rem* 3. *cod. de præſcript. XXX vel XL annor.* (7. 39.)

(✠6) *Theſaur. deciſ.* 105. *num.* 8. ✠, *& Deciſ.* 215. *num.* 6. ✠, *& in addit. littera A , Abeceleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 184. *num.* 3. ✠, *Deciſ.* 3. *junii* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa Ferreriæ contra hoſpit. Sanctæ Crucis ,* §. *Ideo definivit ſenatus , Deciſ.* 12. *janu.* 1646. *refer. D. Barberis in cauſſa communit. Collegii contra Comit. ejuſdem loci, & Præſid. Pellegrinum in fin.*

DEFINITIO XXV.

Poſſeſſionem ex conſtituto quæſitam amittit , qui petit , ſe in poſſeſſionem mitti.

Acquiſita per conſtitutum poſſeſſio amittitur ab illo , qui, cum poſſeſſor ex conſtituti clauſula factus fuiſſet, petit ſe mitti in poſſeſſionem ; cum petere debuiſſet , ſe in poſſeſſione retineri (✠1); fatetur enim ſe in poſſeſſione non eſſe , qui in eam mitti poſtulat (2). Quod ſi conſtitutarius petierit , ſe in poſſeſſione retineri , judex autem pronunciaverit in poſſeſſionem mitti, ſententia , utpote non conformis libello , nulla eſt (3) , adeoque conſtitutario non obeſt , niſi forte paſſus ſit , non interpoſita appellatione , ut tranſiret in rem judicatam (4); res enim judicata pro veritate habetur (5).

(✠1) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend. vel amittend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 29 , *Deciſ.* 8. *aprilis* 1650. *refer. D. Barberis in cauſſa Ferrerii contra Pellegrinum in medio.*

(2) *L. Cum heredes* 23. §. 1. *ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

(3) *L. Ut fundus* 18. *ff. comm. divid.* (10. 3.) , *Fab. cod. hoc tit. de acquir. poſſeſſion. d. def.* 29.

(4) *Fab. cod. hoc tit. d. defin.* 29.

(5) *L. Res judicata* 207. *ff. de R. J.*

DEFINITIO XXVI.

Leges diuturno poſſeſſori admodum favent, tum quoad firmitatem contractus , tum quoad illius ſollemnitates.

Acquiſitæ legitimæ (✠1) poſſeſſionis plures ſunt effectus : atque in primis leges admodum favent diuturno poſſeſſori,

non tantum quoad firmitatem contractus, ſed etiam quoad ejus ſolemnitates (✠1): quod ſi adjunctam habeat bonam fidem, quæ ſemper in poſſeſſore præſumitur (3), per eam quoque, deficiente licet dominio, fructus omnes tum naturales, tum induſtriales, tum civiles acquiruntur (4).

(✠1) *Quæ enim legitime capta non eſt, nullos parit effectus Abecclef. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 191. num. 1., Nec etiam proſunt actus poſſeſſorii, qui facti ſint ex liberali cauſſa, vel jure familiaritatis contra eum, a quo ita quis poſſidet, proſunt tamen contra tertium non poſſidentem, vel novo jure venientem, L. ult. ff. hoc tit de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Deciſ.* 22. *april.* 1782. *refer. D. Torrini in cauſſa Bonfiliæ contra Moccam in princip.*

(✠2) *Temporis enim diuturnitas maxime ſi adjunctam habeat poſſeſſionem, omnia rite geſta demonſtrat, Deciſ.* 20. *martii* 1741. *refer. D. Celebrino in cauſſa Caſtaneæ Bigoni contra colleg. Societ. Jeſu Taurini, quæ confirmata fuit ſententia* 31. *maii* 1749. *refer. D. Boggio.*

(3) *Theſaur. quæſtion. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 48. *num.* 11.

(4) *V. Titul. præced. de acquirend. rer. domin. per acceſſion. defin. XIII.*

DEFINITIO XXVII.

Poſſidentis in pari cauſſa melior conditio eſt.

Poſſeſſoris etiam injuſti in pari cauſſa melior eſt conditio (1), ita ut onus probandi adverſario incumbat (✠2), quo in probatione ceſſante, dominium penes poſſeſſorem remanet (✠3); atque etiam manutentio conceditur illi, qui civilem retinuit poſſeſſionem, licet naturalem amiſerit (✠4).

(1) *L. ult. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 106. *num.* 3, *Oſaſc. deciſ.* 25. *num.* 4.

(2) *L. Is, qui deſtinavit* 24. *ff. de rei vindicat.* (6. 1.)

(✠3) *L. Poſſeſſiones* 2. *cod. de probat.* (4. 19.), *L.* 1. *§. Interdictum* 6. *ff. uti poſſidetis* (43. 17.)

(✠4) *Fab. cod. uti poſſidet. lib.* 8. *tit.* 4. *def.* 9., *civilis autem poſſeſſio a pragmaticis dicitur, quæ ſolo animo retinetur, quandiu naturalis non negligitur, Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1673. *refer. D. Raymondi in cauſſa Leriæ Matris contra filium per tot.*

DEFINITIO XXVIII.

Poſſeſſor regulariter non tenetur edere titulum ſuæ poſſeſſionis. Quid ſi utraque pars titulum habeat?

Poſſeſſor regulariter non tenetur edere titulum ſuæ poſſeſſionis (1), quamquam poſſeſſio titulo munita in concurſu poſſeſſionem præfertur: quod ſi neuter poſſeſſionum probet, præfertur ille, qui titulum habet ſaltem coloratum, ſicuti præfertur, qui melius probat ſuam poſſeſſionem, vel antiquiorem (✠2) in concurſu autem titulorum potior eſt cauſſa tituli antiquioris (3). Quod ſi de poſſeſſorio ſummariſſimo quæſtio ſit, vincit ille, qui tempore litis conteſtatæ poſſidet, quamvis alter probet antiquiorem ſuam poſſeſſionem etiam titulo munitam, niſi ſimul probetur continuata uſque ad tempus litis motæ; etenim quæſtio hæc pertinet ad merita poſſeſſorii plenarii (4).

(✠1) *L. Cogi poſſeſſorem* 11. *cod. de petit. hereditat.* (3. 3.), *Abecclef. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 158. *num.* 8.

(✠2) *Deciſ.* 23. *junii* 1644. *refer. D. Juliani in cauſſa Comit. S. Damiani contra Comit. Guarenæ per tot.*

(3) *Abecclef. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 287. *num.* 14. ✠.

(4) *Abecclefia obſervat. for. part.* 1. *obſervat* 197. *num. ult.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXIX.

Poſſeſſio ex actu æquivoco non præſumitur acquiſita.

Cum poſſeſſio non acquiratur ſine animo eandem acquirendi (1), ex actu æquivoco acquiſita non præſumitur (✠2); quippequi forte jure familiaritatis, vel precarii niti poteſt, quod naturalem tantum, non civilem poſſeſſionem præſtat (3).

(1) *L. Poſſideri 3. §. 1., L. Quemadmodum nulla 8. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

(✠2) *L. Male agitur 2. cod. de præſcript. XXX., vel XL. annor.* (7. 39), *Deciſ. 28. martii 1661. refer. D. Malleani in cauſſa Comit. Montatæ, & Reveliaſci contra Communitat. Inſulæ fere in princip.*

(3) *D. L. 3. §. Si rem 18., L. Clam poſſidere 6. §. 1. L. Si quis 10. §. 1. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſion., V. Juriſprud. Tom. III. §. 790., & ſeqq. pag. 193.*

DEFINITIO XXX.

Poſſeſſio ex titulo recipit interpretationem, & vim. Quid ſi de titulo vitioſo appareat?

Poſſeſſio ex tituli qualitate interpretationem recipit (✠1); atque refertur ad titulum, de quo apparet (✠2), & veroſimilior eſt: quare jure hereditario poſſidere præſumitur, qui bona hereditaria tenet, cum heres teſtamento inſtitutus eſt, vel ad legitimam hereditatem vocatur (3); niſi aliud demonſtretur (4). Si, ergo titulus poſſeſſionis ab actibus diſcrepet, neutrum ad poſſeſſionem prodeſt (✠5); atque, probato tituli vitio, nulla habetur ratio poſſeſſionis, quantumvis antiquiſſimæ (✠6).

(✠1) *Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. def. 3. num. 13., & ſeqq., Deciſ. 2. maii 1673. ref. D. Torrini in cauſ. Epiſcop. Auguſtenſ. contra communitat. Cognæ, §. unde quoties Deciſ. 27. jan. 1703. ref. D. Provana in cauſſa PP. ſociet. Jeſu C. PP. S. Dominici, §. Et ex ſupradictis.*

(✠2) *L. Quadam mulier 77. ff. de rei vindicat.* (6. 1.), *L. Merito 51. ff. pro ſocio* (17. 2.), *Fab. cod. de repud., vel abſtinend. heredit. lib. 6. tit. 12. def. 1., Deciſ. 23. januar. 1736. ref. D. Nomis inter Marchiones, & Comites fratr. Scarampi a Caliro, Marchion. a Sancto Georgio, & Comit. Cacheranum a Villafranca, §. Quarum inveſtitionum num. 7. in fine.*

(3) *Fab. d. defin. 1., Abeccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 155. num. 12.*

(4) *Fab. d. defin. 1. num. 4. in allegat.*

(✠5) *Deciſ. 27. februar. 1679. refer. D. Gabuti in cauſſa PP. ſociet. Jeſu Taurin. contra Comit. Maſſenam, §. Et ad ita ſentiendum.*

(✠6) *Deciſ. 7. auguſti 1658. refer. D. Demazzettis in cauſſa Monial. S. Margaritæ civit. Albæ C. Comit. Prandum in fine.*

DEFINITIO XXXI.

Poſſeſſio ab allegante probanda eſt: pro cauſſarum tamen diverſitate graviores, vel leviores requiruntur, aut ſufficiunt probationes.

Poſſeſſio, utpote res facti, generatim probanda eſt ab allegante (1): ſed pro diverſitate cauſſarum diverſæ requiruntur, & recipiuntur probationes. Cum de reintegratione agitur, poſſeſſio plene probanda eſt (✠1), quia alter a poſſeſſione, in qua conſtitutus eſt, & cujus melior eſt conditio (2), dejici debet. Quod ſi de manutentione in judicio ſummario quæſtio ſit, leviores probationes ſufficiunt (✠3); quippe poſſeſſor jus ſuum tantummodo tueri contendit, non alteri eripere: quare is, qui probavit ſe poſſediſſe paullo ante litem conteſtatam (4) adhuc poſſidere præſumitur (5) niſi adverſarius ſe medio tempore poſſediſſe

Digitized by Google

edoceat (6): atque e converſo, qui nunc poſſidet, olim quoque præſumitur poſſediſſe (✠7).

(✠1) *Argum. L. In eo 33. ff. de reg. jur. Deciſ. 23. ſeptembris 1733. reſ. D. Provana in cauſſa communitat. Pontis Sturiæ contra plures ejus oppidi conterraneos, §. Poſſeſſio licet, num. 7.*

(2) *L. Nemo prædo eſt 126. §. ult., L. In pari cauſſa 128. ff. de reg. jur.*

(✠3) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part. 1. obſervat. 197. num. ult., Deciſ. 19. junii 1673. reſ. D. Raſini in cauſſa Comit. Caſtrinovi contra particulares Solarum prop. fin.*

(4) *Oſaſc. deciſ. 40. num. penult., & ult.*

(5) *Abeccleſ. d. obſerv. 197. num. 10. ✠, Oſaſc. deciſ. 43. num. 2. ✠, & Deciſ. 99. num. 51., Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. deſ. 3. in princip., & deſ. 44.*

(6) *Abeccleſ. d. obſervat. 197. num. 11. ✠.*

(✠7) *Argum. L. Nemo ambigit 10. cod hoc tit. de acquirend. poſſeſſion. (7. 32.), Fab. d. deſ. 3. cod. de probat., Deciſ. Senat. Caſalenſ. 3. martii 1708. refer. D. Demagiſtris in cauſſa Comit. Curioni contra Com. Olivolæ in fine.*

DEFINITIO XXXII.

Poſſeſſio probatur ex rei dominio, confeſſione adverſæ partis, teſtibus, ſcripturis, miſſione in poſſeſſionem ex judicis decreto.

Poſſeſſio probatur ex rei dominio (✠1); cum plerumque proprietas poſſeſſioni cohæreat (2): tum ex confeſſione adverſæ partis, etiam inter alios factæ (✠3); fere enim ceteris probationibus præſtat, quæ ex adverſarii aſſeveratione deſumitur (4). Teſtibus, ſcripturis, maxime ſi inſtrumento adſit clauſula conſtituti (✠5) ex actu judiciali immiſſionis in poſſeſſionem (✠6).

(✠1) *Fab. cod. de probat. lib. 4. tit. 14. deſ. 3. num. 13., niſi ex adverſo probetur alius poſſeſſionis titulus, veluti jure pignoris, Fab. ibid. deſ. 40.; fortior enim eſt præſumptio, quæ ex titulo deſumitur, (definit. XXX.), D. Deciſ. (defin. præced.) reſer. D. Demagiſtris in fine.*

(2) *L. Per procuratorem 8. cod. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion. (7. 32.)*

(✠3) *Argum. L. Certum confeſſus 6. §. Sed etſi fundum 2. ff. de confeſſis (42. 2.), Deciſ. 4. decembris 1663. reſ. D. Delaude in cauſſa Cuſani contra Dioniſium, §. Quod autem, in fine, Deciſ. 15. martii 1656. reſer. D. Porta in cauſſa Peruſſolæ contra Solei, §. Senatus declaravit, & ſeqq.*

(4) *L. 1. ff. de confeſſis (42. 2.)*

(✠5) *D. Deciſ. reſer. D. Porta, & d. §. Teſtibus quidem, & ſcripturis poſſeſſio probatur, quemadmodum cetera, quæ in facto conſiſtunt: potiſſimum vero ex conſtituto, ex quo vera naturalis, & civilis poſſeſſio transfertur (defin. VII.); quamquam per teſtes plerumque probandam eſſe poſſeſſionem contendit Fab. in d. defin. 3. cod. de probat. lib. 4. tit. 14., nec inſtrumenta admitti, niſi favor antiquitatis, ex qua facile perierunt aliæ probationes, hanc unam admitti ſuadeat.*

(✠6) *Deciſ. 19. decembris 1682. reſer. D. Richelmi in cauſſa ſociet. B. M. V. Saviliani contra de Nazariis, §. Societatis item.*

DEFINITIO XXXIII.

Ex locatione probari poteſt poſſeſſio.

Probari quoque poteſt poſſeſſio ex locatione, & exactione mercedis; potiſſimum ſi plures locationes ſecutæ proponantur, & penſio locatori ſoluta fuerit (✠1): ex ſolo utique locationis inſtrumento nec dominium, nec poſſeſſio demonſtratur (2), probari tamen poteſt, ait Faber, ſpoliatio ex eo ſolo, quod quis alieni beneficii fructus locaverit

tamquam ſuos, vel tamquam ad ſe pertinentes (3), quia ſpoliatio eſt, quoties quis ingreditur poſſeſſionem rei, quæ ad alterum ſpectat (4).

(✠1) *Argum. L. Titia* 48. *ff. de ſolut.* (46. 3.), *Fab. cod. de probat. lib.* 4. *tit.* 14. *def.* 14., *Deciſ.* 12. *februar.* 1683. *refer. D. Rolandi in cauſſa Avondi contra Miroliam*, §. *De poſſeſſione vero, in fine*, *Deciſ.* 27. *februar.* 1679. *refer. D. Gabuti in cauſſa PP. ſociet. Jeſu Taurini C. Comit. Maſſenam*, §. *Ideo cenſuit.*

(2) *Cap. Inter dilectos* 6. *extra de fide inſtrum.* (2. 22.), *Fab. cod. de probat. lib.* 4. *tit.* 14. *def.* 14.

(3) *Fab. d. def.* 14.

(4) *Can. Redintegr.* 3. *cauſſa* 3. *quæſt.* 1.

DEFINITIO XXXIV.

Poſſeſſio potiſſimum probatur ex fructuum perceptione, quæ facta fuerit jure proprio, non creditoris, aut coloni.

Probatur poſſeſſio ex fructuum perceptione (✠1), atque hæc probandæ poſſeſſionis ratio ceteris præſtat (✠2), potiſſimum ſi interveniant actus culturæ, & recognitio colonorum: ſi tamen jure proprio, non creditoris, vel coloni percepti fuerint: fructuum autem perceptio per duos teſtes probari poteſt (3), niſi teſtes aliquo ſuſpicionis vitio laborent, puta ſubditi ſint, vel coloni (4). Quamquam in hac re verſatus prudens judicis arbitrium; neque enim coloni in omni caſu, & indiſtincte rejiciendum eſt teſtimonium; cum fructuum perceptio vix per alios probari aliquando poſſit.

(✠1) *L. Titia* 48. *ff. de ſolut.* (46. 3.), *Oſaſc. Deciſ.* 43. *num.* 3., *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1673. *refer. D. Raymondi in cauſſa Bardenghi, & Donaudi contra Croſettum in princip.*

(✠2) *Fab. d. def.* 14. *cod. de prob. lib.* 4. *tit.* 14, *Deciſ.* 20. *apr.* 1686. *ref. D. Torrini in cauſſa Bonfiliæ contra Moccam in princip. Deciſ.* 28. *maii* 1655. *refer. D. Beccaria in cauſſa Pellegrini contra Baralis*, §. *Nec facit, quod.*

(✠3) *L. Ubi numerus* 12. *ff. de teſtibus* (22. 5.), *L. Inter illam conditionem* 217. §. 1. *ff. verbor de ſignificat.*

(✠4) *L. Etiam* 3. *cod. eod. tit. de teſt.* (4. 20.),

DEFINITIO XXXV.

Poſſeſſio rerum incorporalium puta, jurium, ex præcedenti unica ſolutione probari poteſt.

Non rerum tantum corporalium, quæ ſenſibus ſubjiciuntur, ſed incorporalium quoque poſſeſſio indiciis, & argumentis probari poteſt (1), atque potiſſimum ex præcedentibus ſolutionibus (✠2); cum imme vulgo doceant pragmatici, unicam ſolutionem, quæ facta ſit ex cauſſa obligatoria, ut loquuntur, ſufficere ad probandam hujuſmodi poſſeſſionem (✠3), ſaltem ſi longiſſimo tempore non niſi unus caſus evenerit, quo actor jure ſuo uti potuerit (4); ſi enim aliquando jure ſuo uſus ſit, aliquando non uſus, cum utendi occaſionem non ignoraverit, unus aut alter actus prodeſſe ad poſſeſſionem nequit (5).

(1) *Abeccleſ. obſervat. forenſ. part.* 1. *obſervat.* 189. *num.* 13.

(✠2) *Deciſ.* 8. *martii* 1655. *refer. D. Filippa in cauſſa Nattæ contra communit. Inſulæ in princip.*, *Abeccleſ. d. obſervat.* 189. *num.* 13.

(✠3) *Abeccleſ. d. obſervat.* 189. *num.* 14, *D. Deciſ. refer. D. Filippa in princip.*

(4) *Fab. cod. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 3.

(5) *Fab. d. defin.* 3. *num.* 3. *in corpo.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXXVI.

Poſſeſſio ſemel acquiſita ſolo animo retineri poteſt, ſaltem intra decennium.

Quamquam poſſeſſio ſolo animo ſine corporis miniſterio acquiri non poteſt (1), acquiſita tamen ſolo animo retinetur (✠2); ſed vix ultra decennium prodeſt hæc civilis animo retenta poſſeſſio (3); eo quippe tranſacto ignorantia, aut oblivione excluditur (4).

(1) *L. Poſſideri 3. §. 1, & §. Neratius 3, L. Quemadmodum nulla 8. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 793. *& ſeqq. pag.* 194.

(✠2) *L. Licet poſſeſſio 4. cod. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (7. 32.), *L. Poſſideri 3. §. Saltus hybernos 11., L. Peregre profectus 44, L. 45, & 46. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſ., Deciſ.* 24. *januar.* 1731. *refer. D. Meynier in cauſſa communitat. Inſulæ contra Marchion. a Sancto Severino Comit. Reviliaſci, §. His incidenter, in fine.*

(3) *Fab. cod. uti poſſidetis lib. 8. tit. 4. def. 9., & eod. hoc tit. lib. 7. tit. 7. def. 4. n. 7. in corp., Abeecleſ. obſerv. 197. n. 8, veluti ſi communitas eos, qui collectas ſolvere tenentur, in libro deſcripſerit, quamvis eas non exegerit.*

(4) *L. Si id, quod 25. ff. hoc tit., de acquirend. poſſeſſion., Fab. d. definit. 9.*

DEFINITIO XXXVII.

De poſſeſſione retinenda agere tantum poteſt is, qui poſſidet: non tamen requiritur ullus titulus. Quid ſi duo de poſſeſſione contendant?

Nemo de retinenda poſſeſſione agere poteſt, niſi vere poſſideat ſaltem civiliter, ideſt animo: nec prodeſt poſſeſſio, quæ a jure familiaritatis, vel precario originem ducit, quicumque faveat actuum numerus, vel temporis lapſus (✠1). Non tamen ullus titulus verus, aut etiam coloratus deſideratur; de facto quippe hic agitur, non de jure, ſi proprie loquamur (✠2): proinde ſufficit probare poſſeſſionem tempore litis conteſtatæ, vel paullo ante (✠3): atque, ſi duo de poſſeſſione contendant, præferri debet ille, qui melius probat ſuam poſſeſſionem (✠4), niſi forte alter præter poſſeſſionem titulo munitus ſit (5).

(✠1) *L. Qui legatorum 2. §. 1. ff. pro herede* (41. 5.), *L. Poſſideri 3. §. Illud quoque 19. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.), *Deciſ.* 12. *januar.* 1680. *refer. D. Balegno in cauſſa Roſiæ contra Bertolium per tot, Deciſ.* 21. *junii* 1730. *refer. D. Guillier in cauſſa Mondini Arimundi, §. Nec audiendus.*

(✠2) *L. 1. §. Furioſus 3. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſion., Deciſ.* 25. *maii* 1680. *refer. D. Dentis in cauſſa Comit. Folitii contra communit., & particulares, §. Et primo.*

(✠3) *L. 1. princip. ff. uti poſſid.* (43. 17.), *Fab. cod. uti poſſidet. lib. 8. tit. 4. def. 5., Deciſ.* 13. *aprilis* 1676. *refer. D. Gabuti in cauſſa Com. Ceva contra univerſit. Montis Cherii, & Alexandriam in princip., Deciſ.* 17. *novembris* 1647. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Senat. Barberii contra communitat. Morettæ, §. Sed quia in hac controverſia, & ſeqq., Deciſ. IV idus ſeptembris* 1776. *refer. D. Trinchieri in cauſſa Mirapelli, & Verani, §. E contra vero, num* 15.

(✠4) *Deciſ.* 22. *april.* 1690. *refer. D. Balegno in cauſſa comm. Padoni, & Vici contra civit. Hiporediæ, §. Supradictis tamen non obſtantibus, Deciſ.* 4. *decembris* 1663. *refer. D. Delaude in cauſſa Cuſani contra Dioniſium in princip.*

(5) *V. Supra tit. VII. de acquir. rer. domin. definit. IX.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXXVIII.

Poſſeſſionis ſuæ cauſſam ſolo animo nemo ſibi mutare poteſt: utique ſi interveniat extrinſeca quædam cauſſa. An mulier bona pro dote obligata, viro defuncto, jure proprio poſſidere poſſit?

Solo quidem animo poſſeſſio retinetur (Defin. X.): ſed ſolo animo nemo ſibi mutare poteſt cauſſam ſuæ poſſeſſionis (1), nimirum dum quis corpore, & animo poſſeſſioni incumbit, ſtatuere ſecum nequit, ut alio titulo poſſideat (2): quare neque colonus, neque depoſitarius, neque commodatarius lucri faciendi cauſſa pro herede uſucapere poſſunt: ſed mutare quis ſibi poteſt poſſeſſionem ſuam, interveniente extrinſeca quadam cauſſa: poteſt enim quis dimittere priorem rei poſſeſſionem, eamque ex alio titulo incipere poſſidere (3): puta depoſitarius, vel commodatarius rem depoſitam, vel commodatam furti faciendi gratia contrectantes deſinunt poſſidere ex cauſſa depoſiti, vel commodati, & incipiunt poſſidere ex cauſſa furti (4): ſi pecunia depoſita tamquam mutua quis utatur, incipit ex cauſſa mutui poſſidere (5), ſi quis emerit fundum ab eo, quem ſciebar non eſſe dominum, & poſtea a domino emat, pro emtore deinde poſſidebit, cum prius pro poſſeſſore, ut loquuntur, poſſideret: vel pro herede ſi domino heres extiterit (6). Demum mulier, viro defuncto, bona pro dote obligata jure proprio poſſidere poteſt, etiam ex ſola clauſula conſtituti, quæ prius jure familiaritatis poſſidebat (✠7).

(1) *L. Poſſideri 3. §. Illud quoque 19. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſ.* (41. 2.)

(2) *L. 3. §. 19. ff. hoc tit. de acquirend. poſſeſſion.*

(3) *L. Qui bona fide 19. §. 1. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſion.*

(4) *L. Si rem mobilem 47. ff. hoc tit. de acquir. poſſeſſion.. Quod ibi traditur, dominum rei depoſitæ poſſeſſione privari, ſi depoſitarius eam non reddere conſtituat, ita intelligant communiter doctores, dummodo depoſitarius illam loco moverit, vel depoſuerit animo lucrandi.*

(5) *L. Certi condicio 9. §. ult. de reb. credit.* (12. 1.)

(6) *L. Non ſolum 33. §. 1. ff. de uſurpat., & uſucap.* (41. 3.)

(✠7) *Fab. cod. hoc tit. lib. 7. tit. 7. def. 30., Deciſ. 20. aprilis 1686. refer. D. Torrini in cauſſa Bonſiliæ contra Moccam fere in fine.*

DEFINITIO XXXIX.

Poſſeſſione privandus eſt, qui temere negat ſe poſſidere: ſed non amittitur poſſeſſio ex facto coloni, qui alium domini loco agnoſcat.

Qui per mendacium negat ſe poſſidere, poſſeſſione ſua privandus eſt in pœnam mendacii, eaque transferenda in actorem (✠1): ſed poſſeſſio reſtituitur purgato mendacio, & ſolutis expenſis, quemadmodum uſu fori receptum eſt, ut contumax audiatur, dummodo expenſas reficiat (✠2): non tamen poſſeſſio amittitur per factum coloni, qui per alium domini loco agnoſcat, maxime ſi primus poſſeſſor ſtatim ac novit poſſeſſionem ſibi interverti, diligentiam adhibeat, ut jus ſuum tueatur (✠3) iniquum merito viſum eſt alteri per alterum præjudicium inferri (4).

(✠1) *Deciſ. 10. ſeptembris 1683. refer. D. Rolandi in cauſſa Tronæ, & Faconi contra Tronam fere in princip.*

(✠2) *Abeccleſ. d. obſervat. 115. num. 15, & 16, V. Reg. conſtit. lib. 3. tit. 5. §. 6, D. Deciſ. refer. D. Rolando fer. in princip.*

(✠3) *L. ult. cod. hoc tit.* (7. 32.), *Deciſ. 20. aprilis 1686. refer. D. Torrini in cauſſa Bonſiliæ contra Moccam in princ.*

(4) *D. L. ult. cod. hoc tit. de acquir. poſſeſſion.*

TITULUS X.

De ſervitutibus, & modis, quibus conſtituuntur.

DEFINITIO I.

Servitus fundi pretium imminuit: & actio quanti minoris competit emtori ignoranti; niſi forte deinceps emat vicina prædia, quibus ſervitus debetur.

Cum per ſervitutes alteri debitas diminuatur jus dominii in fundo ſerviente, hujus pretium minuitur, ita ut tamquam optimus, maximuſque amplius vendi non poſſit (1): & actio quanti minoris emtori competat, cui fundus, tamquam liber venditus fuit (✠2): niſi forte emtor, qui prædium ſine ſervitutibus promiſſum emerat, vicina prædia, quibus ſervitus debita erat, deinceps compararet; cum enim in hac ſpecie damnum non ſentiat emtor, nullo jure peteret ejus refectionem (✠3).

(1) *L. Cum venderes 59. ff. de contrah. emt.* (18. 1.)

(✠2) *L. Si quis fundum 35. L. Quæro 39. ff. de act. emt.* (19. 1.), *Deciſ. 23. junii 1648. refer. D. Barberis in cauſſa Scotti contra Brocardum, & Biſtrottum in fine.*

(✠3) *Deciſ. 14. junii 1749. refer. D. Nomis in cauſſa Roberi contra fratres de Guidis, §. Quæ vero de ſervitutibus num. 13, & 14.*

DEFINITIO II.

Via publica intra prædia non præſumitur ignorata.

Via publica, quæ ſit intra prædia, plerumque ignorata non præſumitur (✠1); ſcientia enim præſumitur eorum, quæ publica ſunt, & vulgo omnibus nota, licet in facto conſiſtant (2).

(✠1) *D. Deciſ. 14. junii 1749. refer. D. Nomis in cauſſa Roberii contra fratr. de Guidis num. 15.*

(2) *L. Regula 9. §. Sed facti 2. ff. de jur., & facti ignorant.* (22. 6.)

DEFINITIO III.

Conſuetudo inter vicinos inducta, ut alter per alterius prædia tranſeat, ſervitus dici non poteſt.

Servitus appellari non poteſt conſuetudo, quæ apud vicinos invaluerit, ut alter per alterius prædia tranſeat (✠1); potius enim hæc promiſcua facultas dici debet (2), quæ, licet damnum aliquod afferre videatur, tamen habet compenſationem: adeoque unius jus non imminuit, ut alterius augeat, prout ſervitutis indoles expoſtulat (Defin. 1.)

(✠1) *D. Deciſ. refer. D. Nomis (def. præced.) num. 16, & 17.*

(2) *L. Ait prætor. 2. §. ult., & L. ſeqq. ff. de precario* (43. 26.)

DEFINITIO IV.

Contractus non reſcinditur, licet venditor ſervitutes a fundo debitas per dolum celaverit.

Venditor quidem tenetur de ſervitutibus a fundo debitis emtorem monere: ſi tamen, etiam per dolum, eas reticuerit, & celaverit, non ideo irrita eſt venditio, aut locus ſit ejus reſciſſioni (✠1); cum enim hæc rei ſubſtantiam non afficiant, tantum inducunt actionem æſtimatoriam, ſeu quanti minoris, qua emtor ex emto actione conſequatur, quanti ſua intereſt (2), ut ſuperius diximus (Defin. 1.)

(✠1) *Deciſ. 13. decembris 1750. refer. D. Caſſotti in cauſſa de Villanis contra*

Digitized by Google

de Panuelis, §. *Quarta demum*.

(2) *L. Si quis fundum* 35., *L. Quæro* 39. *ff. de actionib. emti* (19. 1.)

(4) *L. Si ſic conſtituta* 7. *ff. quemad. ſervit. amit.* (8. 6.), *L. ult. cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34.)

DEFINITIO V.

Servitus ordinariæ præſcriptionis tempore acquiritur, cum juſto titulo ab eo traditur, qui tamen ejus tradendæ capax non eſt; ſed, ſi ſervitus ſit diſcontinua, duplicatur temporis ſpatium.

Uſu longævo, ſeu præſcriptione acquiritur ſervitus, ſi juſto titulo, ſeu apto ad trasferendum dominium (1) ab eo tradatur, qui ejus tradendæ capax non eſt (2): atque in hoc caſu ſufficit, conſuetum præſcriptionis ordinariæ tempus, ſeu ſpatium decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes (✠3); ſi ſervitus continua ſit, ſeu quæ uſum continuum habeat, puta tigni immittendi, altius tollendi, vel non tollendi, luminum, ne luminibus officiatur, & ſimiles. Quod ſi de ſervitutibus diſcontinuis, ut ajunt, agatur, quales ſunt omnes fere ſervitutes ruſticæ, veluti itineris, actus, viæ, ex communi ſententia temporis ſpatium duplicari debet ita ut inter præſentes vicennio, inter abſentes vero non niſi præſcriptione quadraginta annorum acquiri poſſint (4).

(1) *L. Nullo* 24. *cod. de rei vindicat.* (3. 32.), *L. Nunquam* 31. *ff. de acquir. rer. dom.* (41. 1.), *L. Diutina* 4. *cod. de præſcript. long. tempor.* (7. 33.)

(2) *Princip. inſtit. de uſucap.* (2. 6.)

(✠3) *L. ult. cod. de præſcrip. longi temp.*, *Sentent. Senat.* 31. *martii* 1735. *refer. D. Bianchis in cauſſa Bocchiaſſæ viduæ Martino contra Curione*, *Deciſ.* 16. *decembris* 1728. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Marchion. Giſlerii, & Comit. de Bologninis contra communit. Lumelli, & collegium Braidenſe ſociet. Jeſu Mediolani*, § *Nec hujuſmodi juſ.*, *Deciſ.* 29. *aprilis* 1683. *refer. D. Torrini in cauſſa Equit. Corradi contra Aſfros*, §. *Quoad ſecundum de præſcriptione*.

DEFINITIO VI.

Præſcriptio tricennaria requiritur ad acquirendas ſine legitimo titulo ſervitutes continuas, immemorialis ad diſcontinuas.

Servitutem præſcriptione acquirit etiam is, qui eadem abſque legitimo titulo utitur per longum temporis ſpatium: nimirum ſi ſervitus continua ſit, triginta annorum ſpatio præſcribitur juxta generales juris regulas (1): tempus autem, quod hominum memoriam excedat, deſiderari paſſim docent pragmatici in diſcontinuis (✠2), quam tamen ſententiam inveteratum noſtrorum errorem appellat Faber (3) eo fundamento, quod ſervitutes omnes continuam cauſſam habeant (4), atque poſſeſſionem diſcontinuam (5), ſed nihil obſtat, quominus ſervitutem a poſſeſſione appellemus.

(1) *L. Sicut in rem* 3. *cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.) *junct. L. ult. cod. de præſcript. long. temp.* (7. 33.)

(✠2) *Theſaur. lib.* 2. *quæſt.* 27. *num.* 6, *Deciſ.* 27. *maii* 1665. *refer. D. Demazzetis in cauſſa Foſſati contra Cotella prope finem*, *Deciſ.* 23. *junii* 1642. *ref. D. Barberis in cauſſa de Bracciforiis contra de Battuellis*, §. *Neque obſtat*, *Deciſ.* 13. *maii* 1650. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Abbatis Scotti, contra Quadrum*, §. *Nec poterat*. *Deciſ.* 1. *martii* 1657. *refer. D. Caroccio in cauſſa PP. Lateranenſium contra Coardum*, §. *Verum cum de dominio*, *Deciſ.* 15. *decembris* 1543. *refer. D. Appiano in cauſſa D. Virlarum contra Garis in princip.*, *Deciſ.* 29. *aprilis* 1783. *ref. D. Torrini in cauſſa Equit. Corradi contra Aſros*, §. *Quoad ſecundum de præſcriptione*, *Deciſ.* 5. *februar.* 1661. *ref. D. Malleani in cauſſa Mercandini, & Baudini in fin.*

Digitized by Google

(3) *Fab. cod. hoc tit. de ſervitutibus lib. 3. tit. 24. definit. 3. num. 2.*

(4) *L. Foramen 28. ff. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2.)

(5) *L. Servitutes 14. ff. hoc tit. de ſervitutib.* (8. 1.)

DEFINITIO VII.

An ſcientia domini fundi ſervientis neceſſaria ſit, ut ſervitus præſcriptione acquiratur.

Præſcriptione XXX. annorum non acquiri ſervitutem, niſi ſciverit ille, contra quem præſcribitur, aliquibus olim placuit (✠1), motis auctoritate Antonini reſcribentis, ſervitutem aquæ ducendæ exemplo rerum immobilium tempore quæſitam eſſe illi, qui aquam per alterius poſſeſſionem eo ſciente duxit (2), ita tamen, ut ſcientia præſumta ſufficere poſſit, puta ſi agatur de ſervitute, quæ uſum fere continuum, & publicum habeat, qui ſub omnium ſenſibus facile cadat; qualis eſt ſervitus aquæductus (✠3), quæ enim palam fiunt, omnes ſcire præſumuntur. Sed negant alii exiſtimantes ſufficere ad ſervitutem præſcriptione acquirendam, quod nec vi, nec clam, nec precario ducta fuerit acqua: atque ita interpretantur Antonini reſponſum (4), ut ſcientiam domini eatenus tantum requirat, quatenus opus eſt, ne clam aqua ducta dicatur; clam vero facere non videtur ille, qui facit ignorante domino, dummodo celandi animum non habuerit (5), quo mala fides induceretur, præterquam quod vix fieri poteſt, ut dominus ignoret, vicinum per tantum tempus aquam duxiſſe. Quare concludunt domino ſciente duxiſſe videri (6), qui non animo celandi duxit (7). Fatentur tamen, conſultius acturum præſcribentem, ſi ad excludendam malam fidem præter uſum aliquid probet, veluti quod ſæpius a vicinis, vel aliis audiverit, talem ſervitutem fundo ſuo competere, quodque fuerit de hoc publica vox, vel fama (8). Sed novo regio jure diuturna hac præſcriptione ſervitus acquiri videtur, licet dominus fundi ſervientis ignoraverit (9).

(✠1) *Deciſ. 26. februar. 1663. refer. D. Viliono in cauſſa Raveriæ contra Gilium prop. fin., Deciſ. 12. januar. 1657. refer. D. Ciprandi in cauſſa communit. Caſtagnetti contra particulares Malliani in princip.*

(2) *L. Si aquam 2. cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34.)

(✠3) *Deciſ. 14. aprilis 1673. refer. D. Torrini in cauſſa Comitiſſa a Ponte contra Comit. Lucernæ, §. Non obſtat modo, & ſeqq.*

(4) *In d. L. Si aquam 2. cod. hoc tit. de ſervit.*

(5) *L. Aut ſi aliter 5. §. Sed & ſervius 3. ff. quod vi, aut clam* (43. 24.)

(6) *Ut deſiderare videtur Imperator in d. l. 2. cod. hoc tit.*

(7) *D. L. 5. §. 3. quod vi, aut clam.*

(8) *Perezius in cod. lib. 3. tit. 34. num. 27.*

(9) *V. Reg. conſtit. lib. 5. tit. 18. §. 1.*

DEFINITIO VIII.

Titulus neceſſarius non eſt ad ſervitutem præſcriptione longiſſimi temporis acquirendam.

Præſcriptione longiſſimi temporis, ſeu XXX. annorum acquiritur ſervitus, etiamſi nullus præſto ſit acquiſitionis titulus; titulum utique deſiderant leges in uſucapione, ſeu præſcriptione longi temporis decem, vel viginti annorum (1); non autem in præſcriptione longiſſimi temporis (2), in qua poſſeſſio longeva, præſertim ſi conſtet de juſto poſſeſſionis initio, vim habet tituli (✠3). Poſſeſſio autem, ſeu quaſi poſſeſſio, ut obiter dicamus aquæ ducendæ ab eo acquiritur, qui foſſam, vel rivum facit aquæ ducendæ cauſſa (✠4).

Digitized by Google

(1) *Princip. inſtit. de uſucap.* (2. 6.), *L. Diutina* 4 , *& L. ſeqq. cod. de præſcript. longi temporis* (7. 33.)

(2) *L. Sicut in rem* 3. *eod. de præſcript. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.)

(✠3) *Perezius in cod. hoc tit lib.* 3. *tit.* 34. *num.* 26 , *D. Deciſ.* 14. *aprilis* 1673. *refer. D. Torrini in cauſſa Comit. a Ponte contra Comit. a Lucerna*, §. *Etiam ſubducto* , *Reg. conſtit. d. lib.* 5. *tit.* 18. §. 1.

(✠4) *D. Decis. refer. D. Torrini* , §. *E contra vero.*

DEFINITIO IX.

Ad ſervitutem præſcriptione ſine titulo acquirendam requiritur uſus jure ſertutis ex una parte , & patientia ex altera.

Ad ſervitutem præſcriptione acquirendam tria deſiderantut 1. Uſus ejus , qui ſervitutem ſibi adſerere vult per plures actus . 2. Patientia ejus , qui ſervituti obnoxius contenditur. 3. Uſus jure ſervitutis (✠1). Uſus quidem , ſeu quaſi poſſeſſio , ſine qua nulla currit præſcriptio (2). Patientia , quæ vices traditionis ſuſtineat (✠3). Demum uſus jure ſervitutis; alioquin non ſervitus , ſed aliud poſſeſſum erit , adeoque ſervitus præſcripta dici non poterit (✠4).

(✠1) *Princip. inſtit. de uſucap.* (2. 6.), *L. Sine poſſeſſione* 25. *ff. eod. tit.*, (41. 3.), *Argum. L. Non ſolum* 33. §. *Qui pignore* 4. *ff. eod. tit.* , §. *Poſſidere* 5. *inſtit. de interdictis* (4.15.), *D. Deciſ.* 23. *junii* 1642. *refer. D. Barberis in cauſſa de Braccifortis contra de Battuellis* , §. *Neque obſtat.*

(2) *D. L.* 25. *ff. de uſucap.*

(✠3) *D. L. ult. ff. hoc tit.* , *L. ſi ego* 11. §. 1. *ff. de public. in rem act.* (6. 2.), *Deciſ.* 28. *ſeptembris* 1654. *refer. D. Filippa in cauſſa Grignolæ , & Roveri* , §. 4. *Fuit dictum* , *D. Deciſ.* 24. *april.* 1685. *refer. D. Torrini in cauſſa Corradi contra Affros* , *& d.* §. *Etiam ſubducto* (*defin. præced.*)

(✠4) *L. ult. ff. quemadmodum ſervit. amittant.* (8. 6.) , *V. Deciſ.* 20. *martii* 1776. *refer. D. Avogadro in cauſſa Rolandi , & Torre contra Advocat. Donaudi, & Marchion. a S. Martiano* , §. *Itaque quum Rolandus n.* 33. *Dec.* 3. *apr.* 1777. *refer. D. Carron in cauſſa Comit. Sanctus Berna contra Meinardi* , §. *Jam vero* , *poſt.* 39.

DEFINITIO X.

Sola prohibitio utendi ſervitute non excludit patientiam domini fundi ſervientis: ſed neceſſaria eſt contradictio judicialis, aut factis, non ſolis verbis teſtata.

Patientiam non excludit ſola prohibitio utendi ſervitute , ſi alter non deſtiterit , & contradicens non amplius ſe oppoſuerit (✠1). Quare neceſſe eſt , ſi Fabro credimus , ut interveniat contradictio judicialis , aut quæ factis , non verbis teſtata ſit (2) : alioquin præbet ea res potius materiam inchoandæ præſcriptionis ; utpotequia ab eo tempore non poteſt alter videri clam , aut precario ſervitute uſus , cum domino ſciente , & invito uſus ſit ; neque etiam vi (3) ; quia donec legitima auctoritate prohibitus non ſit , jure ſuo id facere , & perperam prohiberi aſſerere poteſt; maxime quia dumtaxat tuetur , & continuat poſſeſſionem ſuam.

(✠1) *Deciſ.* 14. *aprilis* 1673. *refer. D. Torrini in cauſſa Comitiſſæ a Ponte contra Comit. a Lucerna* , §. *Rurſus non obſtat.* , *Argum. L. ult. ff. de itinere , actuque privato* (43. 19.) , *Fab. cod. hoc tit. lib.* 3. *tit.* 24. *def.* 10.

(2) *Fab. cod. hoc tit. def.* 1.

(3) *Fab. ibid. num.* 2 *in corp.*

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Quid ſi de ſola poſſeſſione ſervitutis quæratur?

Conditiones, quas ſuperius explicavimus (Defin. IX.), neceſſariæ quidem ſunt, ut jus ſervitutis acquiratur: ſed ſi de ſola ſervitutis poſſeſſione retinenda quis contendat, ſufficit edocere ſe per annum, & diem iviſſe, vel ſaltem per triginta dies continuos, jure proprio, non jure familiaritatis, vel amicitiæ (1), nec vi, nec clam, & quidem jure ſervitutis (✠2): atque conſilium hoc per teſtes probandum eſt, non ſolo jurejurando (✠3) niſi ſemiplena probatio præceſſerit (4).

(1) *L. Qui jure* 41. *ff. de acquir. poſſeſſ.* (41. 2.), *L.* 1. §. 1. *ff. de itin., actuque privato* (43. 19.)

(✠2) *L. ult. ff. quemadmod. ſervit. amittant.* (8. 6.), *L. ult. ff. de itin. actuque privato, Deciſ.* 26. *februar.* 1663. *refer. D. Viliono in cauſſa Raveriæ contra Gilium*, §. *Sat enim non eſt, Deciſ.* 5. *decembris* 1770. *refer. D. Carrone in cauſſa Bongioanni contra Comit. Lovera*, §. *Cum vero per atteſtationes, in fine deciſion.*

(✠3) *Capola de ſervit. ruſt. præd. cap.* 1. *num.* 24., *D. Deciſ. refer. D. Viliono*, §. *Neque propterea: quamquam recipitur jusjurandum, cum non agitur de damno alterius, ſed de proprio vitando, L. Theſaurus* 15. *ff. ad exhibend.* (10. 4), *L. Cum plures* 15. *ff. de reb. auct. judic. poſſidend.* (42. 6.), *Auth. Atqui ſemel, poſt L.* 19. *cod. de probat.* (4. 19.)

(4) *Suppletorium jusjurandum ex vulgari pragmaticorum ſententia non defertur, niſi ei, qui jam ſemiplene probavit, ut colligunt ex L. In bonæ fidei* 3. *cod. de reb. credit.* (4. 1.)

DEFINITIO XII.

Præſcriptio in facultativis non currit: niſi unus prohibuerit, & alter a cœpto opere invitus deſtiterit.

Nullo temporis ſpatio ſervitus conſtituitur ex eo, quod vicinus jure ſuo non utatur: puta vicinus, licet domum ſuam altius non extulerit, naturalem facultatem altius tollendi non idcirco amittit, quamvis altius tollendo ædificium vicino noceret; quæ enim a naturali libertate dimanant, nulli ſubjacent præſcriptioni, ſeu ut loquuntur pragmatici in facultativis non currit præſcriptio (1), niſi vicino opus ex naturali libertate facienti alter obſtiterit, & ille a cœpto opere deſierit per temporis ſpatium, quo præſcriptio inducitur; in hac ſpecie contra libertatem præſcriberetur (✠2), quia, præter non uſum unius, factum alterius interceſſit, qui libertatem ſuam vindicat; ſed, ſi altero flagitante deſiiſſet, ſibi non noceret; nec enim prodeſt ad uſucapiendum ex alterius liberalitate obtenta poſſeſſio (3): præſcriptio autem a die prohibitionis currere incipit (4).

(1) *L. Altius* 8, *& ſeqq. cod. hoc tit. de ſervit.* (3. 34.)

(✠2) *Argum. L. Hæc autem* 6. *ff. de ſervit. præd. urban.* (8. 2.), *Fab. cod. hoc. tit. lib.* 3. *tit.* 24. *def.* 10. *num.* 3. *in allegat.*, *Deciſ.* 10. *aprilis* 1689. *ref. D. Abeccleſia in cauſſa communit. Braydarum, & paucæ Paleæ contra Comit. Potentiæ verſic. Sed quando adhuc.*

(3) *L. Si quis diuturno* 10. *ff. ſi ſervit. vindicet.* (8. 5.)

(4) *Fab. d. def.* 10. *num.* 3. *in allegat.*

DEFINITIO XIII.

Servitute uti non licet in utilitatem alterius prædii, pro quo conſtituta non fuit.

Cum ſervitus in prædii dominantis

utilitatem conſtituatur (1), facultas autem, qua alterius jus deminuitur, ultra ſuos limites extendi non debeat, conſequens eſt, non licere ſervitute uti ad commodum alterius fundi, aut partis ejuſdem prædii, pro qua non fuit ab initio ſervitus conſtituta (✠2); non enim ex fundi amplitudine, ſed ex modo, quo ab initio conſtituta fuit, ſervitus æſtimanda eſt (3).

(1) *L. Cum eſſent* 33. §. 1. *ff. de ſervit. præd. ruſtic.* (8. 3.)

(✠2) *L. Ex meo* 24. *ff. eod. tit.*, *Deciſ.* 16. *martii* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa Alberti contra Senator. Ghiliotum*, §. 2. *Quia ſervitus, qua traditur, eum, qui tenetur recipere aquam fundi ſuperioris, non teneri, ſi alia aqua miſceatur.*

(3) *Non modus prædiorum, ſed ſervitus aquæ ducendæ terminum facit*, *L. Non modus* 12. *cod. hoc tit. de ſervitutibus* (3. 34.)

DEFINITIO XIV.

Socius ſine conſenſu ſocii ſervitutem fundo communi imponere nequit.

Cum ſocius rem communem invito ſocio deteriorem facere non poſſit, ita ut in pari cauſſa potior ſit conditio prohibentis (1), licere non debet uni ſocio abſque ſocii conſenſu, ſervitutem imponere fundo communi nondum diviſo (✠2). Quid autem juris ſit, ſi omnes fundi domini ſervitutem alteri concedant diverſis temporibus, alibi expendimus (3).

(1) *L. Sabinus* 28. *ff. commun. dividund.* (10. 3.)

(✠2) *L. Unus ex dominis* 2. *ff. hoc tit.* (8. 1.), *Deciſ.* 9. *novembr.* 1656. *reſ. D. Abecclefia in cauſſa de Ceveris contra Peronum, & Rolandenum in fine.*

(3) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 935., *& ſeqq. pag.* 229.

DEFINITIO XV.

Modus præſcribi poteſt, quo quis ſervitute utatur.

Quamquam, rigore juris inſpecto, viſum eſt Romanis prudentibus, ſervitutes nec in diem, nec ſub conditione conſtitui poſſe; quia ſervitutes ſint qualitates fundo inhærentes (1), ſuadente tamen æquitate, reſpondetur, viribus ſubſiſtere hujuſcemodi conventiones, ita ut doli, ac pacti conventi exceptio competat adverſus eos, qui præſtitam fidem adimplere recuſant (2). Hinc nemo dubitat, quin modus præſcribi poſſit, quo ſervitute utatur ille, cujus favore conſtituitur: puta definire vehiculi genus, quod ducere liceat, onus, quod parieti imponere, tempus, quo ſervitute frui poſſit (✠3); etenim modus ſervitutis ſubſtantiam non immutat, ſed ad ejus exercitium unice pertinet.

(1) *L. Quid aliud* 86. *ff. de V. S.*

(2) *L. Servitutes* 4. *ff. hoc. tit. de ſervitutibus* (8. 1.)

(✠3) *Deciſ.* 24. *januar.* 1650. *refer. D. Gerardi in cauſſa Batuelli contra Bracciforti*, §. *Declaramus, & ſeqq. qua traditur, conveniri poſſe, ut iter uni tantum domui inſerviat, vel uſui, non ceteris.*

TITULUS XI.

De ſervitutibus prædiorum urbanorum.

DEFINITIO I.

Ædificia pro arbitrio extollere licet, quamvis vicino noceatur, dummodo non fiat ad æmulationem.

Facultas altius tollendi ædificia a na-

tura ipſa conceſſa eſt (1); quamvis vicino noceatur (✠2) qui enim jure ſuo utitur, nemini injuriam facit; exceptionem habet hæc regula, cum vicinus altius tollendo ædificium alteri nocet, quin ſibi proſit; quæ enim æmulationis cauſſa fiunt, publice intereſt irrita eſſe (✠3). Verum, cum æmulatio dolum ſapiat, qui nunquam præſumitur, idcirco a prudentis judicis arbitrio pendet definire, inſpectis omnibus perſonarum, loci, & ſimilibus adjunctis, utrum æmulatio interveniat, nec ne (✠4).

(1) *L. Altius* 8. *cod. hoc tit.* (3. 34.), *L. Proculus ait* 26. *ff. de damn. infect.* (39. 2.)

(✠2) *D. L.* 8, *& L. ſeqq. cod. hoc tit. de ſervitutib.*, *L. Cum eo* 9. *ff. hoc tit. de ſervitut. præd. urban.* (8. 2.), *Deciſ.* 25. *januar.* 1751. *reſer. D. Boggio in cauſſa Rocca contra Bertoleri*, §. *Ad primum*, *Deciſ.* 9. *aprilis* 1753. *reſer. D. Boggio in cauſſa Minaudi contra Baſtiam num.* 4, *Deciſ.* 8. *junii* 1650. *reſer. D. Barberis in cauſſa Javeni Uſelli contra Chiardò in princip.*, *Deciſ.* 23. *junii* 1775. *reſer. D. Pocchettini a Serravalle in cauſſa Salvi contra Scarabelli*, §. *Equidem ipſum*, *& ſeqq.*

(✠3) *L. Opus novum* 3. *ff. de operib. public.* (50. 10.), *L.* 1. §. *Denique* 12. *ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend.* (39. 3.), *D. Deciſ. reſer. D. Barberis*, *V. Deciſ.* 18. *decembris* 1726. *reſer. D. Falcombello in cauſſa Beccaria contra Baruccum.*

(✠4) *L. Dolum* 6. *cod. de dolo malo* (2. 21.), *Deciſ.* 9. *martii* 1720. *reſer. D. Beraudi in cauſſa de Mombello contra Pavaroli*, *d. deciſ. reſ. D. Pochettini* §. *Porro ad æmulationem*, *& ſeqq.*

DEFINITIO II.

Qui partem domus vendidit cum omnibus juribus eidem annexis, retentam partem pro arbitrio in diſpendium emtoris tollere non poteſt. Quid de emtore?

Si quis domum vendiderit cum juribus omnibus eidem inhærentibus, ſeu annexis, tacite conveniſſe videtur, ne in parte ſibi retenta altius ædificare poſſit in damnum emptoris, ita ut aliquando prohibeatur venditor, ne luminibus emptoris officiat (✠1), aliquando ſola ſervitus luminum tacite inducta cenſeatur (✠2), prout judici videbitur, ſingulis rerum, & perſonarum adjunctis penſatis: atque idem ex identitate rationis dicendum eſt de emtore, videlicet neque partem emptam altius tollere poſſe, aut in ea aliud opus facere, quo luminibus alterius partis detrimentum inferatur (3), quod extendit ſenatus ex æquitate etiam ad eum caſum, quo domus libera, & omnis ſervitutis expers vendita fuerit; vel diviſionis, aut alio quocumque contractu domus pars ad alium pervenit (4).

(✠1) *Argum. l. Gaurus* 10 *ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8. 2) *Deciſ.* 9 *aprilis* 1753 *reſer. D. Boggio in cauſſa Minaudi contra Baſtiam num.* 15, 17, *&* 19.

(✠2) *Argum. D. L.* 10 *ff. hoc tit*, *Deciſ.* 30 *maji* 1676. *Reſer. D. Balegno in cauſſa March. a S. Giorgio contra ſorores Ghiliotas per tot.*

(3) *D. L. Gaurus* 10 *ff. hoc tit. de ſervit. prædior. urban.*

(4) *Theſ. dec.* 216 *num.* 1 ✠

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Heres teſtatoris, qui binas ædes habebat, & unam legavit, poteſt alteram altius tollere, licet officiat luminibus legatarii, dummodo lumen relinquat in uſus hodierni moderationem.

Diverſum jus ſervatur in legato; atque heredem teſtatoris, qui cum binas ædes haberet, alteram legavit, poſſe altius tollere alterum ædificium ſuum, etiamſi legatarii lumina obſcuriora fiant, dummodo relinquatur tantum luminis, quantum ſufficit ad uſus diurni moderationem, reſpondit Marcellus (1): ideo autem heredi hæc conceduntur, non autem emptori, vel venditori partis domus, quod heredis cauſſa, quando cum legatario concurrit, favorabilior eſt, utpote qui magis dilectus præſumitur, quam legatarius (2). Proinde hic tantum petere poteſt lumen in uſus diurni moderatione, ſine quo inutile propemodum fieret legatum (3). Contra emptor videtur fundum emere in eo ſtatu, qui contractus tempore ſe ſe oculis exhibet, atque emptionem perficere, inſpecta forma, & conditionibus, ſub quibus a venditore tenetur, adeoque lucis, ſalubrioris aeris, ſolis, & cœli commoda, quæ nominatim excepta non ſunt, ſibi quoque una cum emptore comparare (✠4), cum hæc veluti fundi qualitates conſiderentur (5), quæ idcirco in emptorem transferri debent (6), niſi nominatim fuerint excepta (7). Atque eadem æquitatis ratio plerumque favet venditori, qui partem domus vendendo non præſumitur ita ſibi nocere velle, ut longe deterior fiat partis retentæ conditio.

(1) *D. L. Gaurus* 10 *ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8. 2).

(2) *L. cum ſervus* 39 §. *Scio ex facto* 6 *ff. de legat.* 1 (30, 1), *L. Nummis* 75 *ff. de legat.* 3 (32 1), *L. Cum tempus* 17 *ff. de reg. jur.*

(3) *D. L.* 10 *in fine ff. hoc tit.*

(✠4) *Argum. L. fundi* 17 §. *Labeo* 7 *ff. de act. empt.* (19 1), *D. deciſ.* (*defin. præced.*) *Refer. D. Boggio in cauſſa Minaudi num.* 15, 17, & 19. *Hinc cenſuit ſenatus* 23 *junii* 1730. *Refer. D. Bianchis in cauſſa Falcombelli contra Coranum, protectum partis domus retentæ non potuiſſe reſtringi a venditore in damnum emptoris.*

(5) *L. Quid ſunt aliud* 86 *ff. de verb. ſignif.*

(6) *D. L.* 17 §. 7 *de act. empt.*

(7) *L. Alienatio* 67 *ff. de contrah. empt.* (18 1).

DEFINITIO IV.

Luminum ſervitute quid contineatur, & quam requirat ædificiorum diſtantiam?

A ſervitute altius non tollendi parum diſtat altera, ne luminibus officiatur, cum utraque fere tendat ad eundem finem (✠1): poſtremæ autem proxime accedit ſervitus luminum; qua continetur, ne vicinus ædificia ſua altius tollat, aut quid aliud faciat, quo lumen penitus auferatur, aut nimium obſcuretur; ſed ita ſe gerat, ut vicino tantum luminis ſuperſit, quantum indiget in uſus diurni moderatione (2). Quæ autem ædificiorum diſtantia deſideretur, non una certa regula definiri poteſt, cum id pendeat ab ædificiorum forma, & ſitu. Quare peritorum judicium in primis requirendum eſt: quod ſi diſſentiant, judex mediam quandam viam eligere poteſt, ſicut in hiſce caſibus fieri ſolet (✠3), ita ut utrique parti conſulatur.

(✠1) *L. Luminum* 4, *L., Hæc autem* 6 *verſic. Veluti ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8 2), *Deciſ.* 3 *ianuar.* 1730. *Refer. D. Demorra in cauſſa Carlevaris contra Nuvoli* §. *Secundum non minoris.*

(2) *V. L. Gaurus* 10 *ff. hoc tit.*, & *juriſprud. tom. III* § 979, & *ſeqq. pag.* 239.

Digitized by Google

(✠3) *Abecceleſ. obſerv.* 142 *num.* 18., *Vide Deciſ.* 30 *maji* 1676 *Refer. D. Balegno in cauſſa Marchion. a Sancto Georgio contra ſorores Ghiliotas , & ſent. reviſ. in eadem cauſſa* 9 *junii ejuſdem anni Ref. D. Raſino , in quarum prima ſervitutem luminum ex æquitate conſtitutam in uſus diurni moderatione conſiſtere pronunciatum fuit , ſpatio ædificii commiſſo peritorum judicio : cum autem diſſentirent periti , & unus putaret ſpatium* 36 *unciarum relinqui debere intermedium , alter* 72 , *tertius* 42 , *Senatus in reviſione* 9 *junii , attentis peculiaribus circumſtantiis, cenſuit , relinquendas eſſe pro parte domus ſolo proxima uncias* 40 , *pro reliqua uncias* 60 , *licet tantum conſtitutam cenſuerit ſervitutem hominum , non ne luminibus officiatur.*

DEFINITIO V.

Servitus luminum , vel ne luminibus officiatur , ita conſtitui poteſt , ut vicinus altius debeat tollere ædificia ſua . An pactum hoc emtorem liget ?

Qui ſervitutem debet , ne *luminibus officiatur* , regulariter altius tollere nequit ædes ſuas (1) ; ſed fieri poteſt , ut ex conventione teneatur ſuum ædificium elevare , ut vicino dominanti fundo utilitatem afferat (2) : puta ſi per refractionem , vel repercuſſionem lumen in ædes devolvatur (3) . Quod ſi tantum promiſſa fuerit hujuſmodi ſervitus altius tollendi , ut vicini lumina clariora ſint, nondum autem conſtituta , & vendatur fundus , cui imponenda eſt , emtor hoc pacto , utpote perſonali , non adſtringitur (✠4) ; atque ſolus venditor actione ex emto damnum reficere debet , quod alter ſenſit .

(1) *L. Luminum* 4. *ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8. 2.)

(2) *L. Qui luminibus* 11. §. 1. *ff. hoc tit.*

(3) *L. Si arborem* 17. §. *Interdum* 2. *ff. hoc tit.*

(✠4) *Argum. L. ult.* §. 1. *ff. de contrah. empt.* (18. 1.), *Deciſ.* 8. *junii* 1646. *ref. D. Barberis in cauſſa Mongrandi C. Peram ,* §. *Major difficultas .*

DEFINITIO VI.

Servitus luminis non aperiendi , non præſumitur conſtituta , quamvis per tempus immemoriale nullæ feneſtræ apertæ fuerint in pariete.

Servitus luminis non aperiendi , qua prohibetur vicinus , ne feneſtras in pariete ſuo aperiat , a quibus ipſi pateat proſpectus in aream , vel ædificium vicini (1) , nunquam conſtituta præſumitur , niſi probetur , etiamſi gravis moleſtia inde vicino inferatur , & per longum tempus , etiam cujus memoria non extet , nullæ fuerint in eodem pariete feneſtræ (✠2) ; nemini facit injuriam, qui jure ſuo utitur (3) ; nulla autem nocet præſcriptio in illis , quæ ab alterius arbitrio pendent , niſi ex una parte prohibitio , ex altera prohibitionis patientia intervenerit (4).

(1) *L. penult. ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8. 2.)

(✠2) *Deciſ.* 10. *martii* 1744. *refer. D. Honorati in cauſſa Monial. SS. Annunciat. civit. Cunei contra Francum : Francus domum altius extulerat , & in ſuperiore parte feneſtras aperuerat , in Monialium dormitorium reſpicientes ; Moniales , licet intermedia via eſſet , feneſtras obſtruendas petebant , vel ſaltem aptandas crates , ille regerebat , Moniales poſſe parietem ſuum altius elevare , vel crates dormitorii feneſtris aptare , pro Franco judicavit Senatus.*

(3) *L. Altius* 8. *cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34.)

(4) *V. Titul. praeced. X. de ſervitutib. definit. XII.*

Digitized by Google

DEFINITIO VII.

An parietem ſuis impenſis reficere teneatur, qui ſervitutem debet oneris ferendi?

Elegans, & ardua quæſtio eſt, diverſis ſententiis inter juris doctores agitata, utrum ille, qui debet ſervitutem oneris ferendi, ſeu qui columnam, parietem, vel domum vicini ferre debet, ſuis impenſis reficere teneatur proprium parietem, qui onus fert. Quamquam vero juri Romano magis conſentanea videri poteſt ſententia negantium, onus hoc ſervientis prædii domino incumbere (1); quia nulla lex eſt, quæ ſingulare hoc jus ſtatuat contra ſervitutum naturam, quæ in non faciendo conſiſtunt (2): niſi ita ſpeciatim convenerit, prout conveniri poteſt (3): in foro tamen paſſim recepta eſt prior opinio (✠4), quæ ea ratione defendi poteſt, quod ſuperiori tantum per conſequentiam lucrum quæritur ex refectione hujuſce parietis, directe vero, & principaliter inferiori: ex quo æquius videtur, ut impenſas ipſe ferat. Plane conveniunt omnes, inferioris parietis domino non incumbere onus fulciendi ſuperiorem, dum ipſe inferiorem reficit; ſed ſuperiori, niſi malit interim ædificium deponere, deinde reſtituere (5). Immo licet ſervientis prædii domino, parietem derelinquere, & ita ſe hujuſmodi onere liberare (6).

(1) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 989. *pag.* 240.

(2) *L. Quoties* 15. §. 1. *ff. de ſervitutib.* (8. 1.)

(3) *L. Etſi forte* 6. §. *Etiam* 2. *ff. Si ſervit. vindicet.* (8. 5.)

(✠4) *Deciſ.* 5. *maii* 1659. *refer. D. Bellino in cauſſa Fuſelli contra Galliati per tot.*, *Sentent. Senat.* 8. *martii* 1731. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Maroretti contra Lupis*, *Voet. in pandect. hoc tit. num.* 1.

(5) *L. Sicut autem* 8. *ff. Si ſervit. vindicet.*

(6) *D. L.* 6. §. 2. *in fin. ff. eod. tit.*

DEFINITIO VIII.

Sterquilinium in loco communi habere non licet: utique fimum reponere contra parietem communem ad modicum tempus.

Quamquam in loco communi ſterquilinium habere non licet ob fœtorem, qui inde facile oritur (✠1), poteſt tamen vicinus contra parietem communem lætamen, ſeu fimum reponere, potiſſimum ſi ad modicum tempus ibi ſit; quia nec parieti nocere poteſt, nec grave incommodum vicino parere (✠2). Socio igitur hujuſmodi facultas denegari non debet, niſi expreſſe, vel tacite ita convenerit (3), vel peculiaria rerum adjuncta aliud ſuadeant: puta ſi prope parietem eccleſiæ forte reponeretur, ex qua ob fœtorem longe abeſſe decet (✠4).

(✠1) *Argum. l. ult.* § 3 *ff. quod vi, aut clam* (43 24), *Deciſ.* 6 *febr.* 1677. *refer. D. Rolando in cauſſa Fioria, & Levini per tot.*

(✠2) *L. Fiſtulam* 9 *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2), *Deciſ.* 15 *januar.* 1760. *Refer. D. Calza in cauſſa Com. Salutii contra March. Fontanam* §. *Hiſce tamen*, *& ſeqq.*

(3) *L. Hoc quod* 25. §. 1. *hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.*, (8. 2.) *L. Si heres* 12. *ff. comm. divid.* (10. 3.)

(✠4) *Deciſ.* 10. *auguſti* 1669. *refer. D. Sandiliano in cauſſa Joannini contra confraternit. S. Mauritii in princip.*

TITULUS XII.

APPENDIX

De pariete communi.

DEFINITIO I.

Paries poſitus in confinio duorum prædiorum præſumitur communis.

Paries, in duorum prædiorum confinio poſitus, communis præſumitur (✠1), non ſecus ac arbor in confinio nata (2), cum ædificia ejus ſint, cujus eſt ſolum (3). Quod autem de pariete dicimus, idem ex rationis identitate judicium ferendum eſſ de ſepe, clauſtro, & ſimilibus.

(✠1) *Deciſ. 10. ſeptembris 1726. ref. D. Guillier in cauſſa Mombelli contra Panicera, §. Primo, ex quo cum ageretur.*

(2) *L. penult. ff. pro ſocio* (17. 2), *L. Arbor 19 ff. comm. divid.* (10. 3).

(3) *Ex diverſo 30 inſtit. de rerum diviſ.* (2 1).

DEFINITIO II.

Proprius unius vicini paries judicatur, ſi illius impenſis extructus fuerit; ex tectis in aream inclinatis, tubis, latrinis inferioribus, & camino ultra medium parietem.

Sed fallit ſuperior regula (defin. præced.), atque paries intermedius vicini unius proprius judicatur, ſi proprietatis indicia adſint, puta fuerit ædificatus, & extructus impenſis unius (✠1): ſi tecta habeat in aream alterius inclinata, feneſtras præſertim, quæ apertæ fuerint tempore conſtructionis; tubi, latrinæ interiores, vel camini ſint ultra medium parietem (✠2), cum hæc in pariete communi non permittantur.

(✠1) *Argum. §. Cum in ſuo 29, & ſeqq. inſtit. de rer. diviſ. 2. 1), Deciſ. 17 februar. 1653. Refer. D. Patarino in cauſſa Demagiſtris contra Benedictum in princ.*

(✠2) *Deciſ. 1. decembris 1642. Refer. D. Nomis in cauſſa Comit. Fauſoni, & Provanæ §. Cum ex adverſo, Deciſ. 3. febr. 1761. ref. D. Frichignono in cauſ. PP. S. Auguſtini Cariniani, Ambroſii Manfredi, & de Andreis §. Tecta in aream inclinata, poſt num. 16, Deciſ. 15 ſeptemb. 1669 Refer. D. Dalmazzono in cauſſa Gambaranæ contra Ponte §. Denique.*

DEFINITIO III.

Quid ſi dentes lateritii relicti fuerint in altero pariete. vel ſtillicidium impoſitum ſuper parietem, quod protendatur in aream vicini?

Proprius quoque, non communis, judicatur paries intermedius, ſi dentes lateritii relicti fuerint in pariete altiori domus, qui colligatus ſit, & uniformis cum pariete, de quo contenditur; ex quo eruitur deſtinatio parietis ad majorem elevationem, adeoque ejuſdem dominium; ſtillicidium impoſitum ſuper eundem parietem, qui ſuper eo quieſcat, & protendatur pro parte in aream vicini (✠1).

(✠1) *D. deciſ. refer. D. Dalmazzono, § Adducebatur præterea, ſocius enim in re communi nihil poteſt imponere invito altero Theſ. deciſ. 45 num. 15, & ſeqq.*

DEFINITIO IV.

Quæ veroſimiliora ſint communionis intermedii parietis ſigna?

Quemadmodum paries intermedius, atque unum ab altero ædificio dividens aliquando proprius præſumitur ex indiciis (defin. II, & III), ita conjecturæ quædam ſunt, & ſigna comunionis, veluti ſi tigna in eo immiſſa ſint

hinc inde ultra dimidiam partem muri (1): potiſſimum ſi interdum nova tigna ſupperaddita fuerint (2) quod jure ſervitutis non ſemper licet (3); ſi adſint feneſtræ, camini intra medium parietem, oſtium, cellæ vinariæ ſubtus eum ad utrumque dominum pertinentes; ædificium cum eodem pariete connexum, tectum alterius ſuper eodem inclinatum, & his ſimilia (✠4); hæc enim non permittuntur in re omnino aliena, & potius ad jus communionis referuntur, quam ſervitutis. Atque ex his patet, triplicis generis ſigna eſſe, videlicet proprietatis, communionis, & ſervitutis. Quod ſi hinc adſint ſigna communionis, vel ſervitutis, inde vero proprietatis, illius potior erit cauſſa, qui plura pro ſe ſigna habet (5).

(1) *Theſaur. deciſ.* 219 *n.* 1 *quod ſi infra medium parietem ſint tigna, jus potius ſervitutis, quam communionis inductum judicatur.*

(2) *Theſaur. ibid. n.* 2.

(3) *V. juriſprud. tom. III* §. 999, & *ſeqq. pag.* 242.

(✠4) *Deciſ.* 8 *martii* 1770. *refer. D. Bruno in cauſſa Donaudi contra comit. Gallitianum, & Bertolerum* §. *Ad alteram quæſtionem n.* 14.

(5) *L. Cum de indebito* 25 *ff. de probat.* (22 3), *junct. l. Cujus per errorem* 53 *ff. de Reg. jur.*

DEFINITIO V.

Socius in re communi nihil facere poteſt invito ſocio; parietem tamen reficere poteſt, ſi refectio neceſſaria ſit, retenta priſtina forma. Quid de impenſis refectionis?

Generalis eſt regula, in re communi neutrum ex dominis opus facere poſſe, altero invito; ita ut, quia par eſt utriuſque jus, potior ſit prohibentis conditio (1); quæ tamen regula ſuas habet exceptiones. Ex quo ſequitur, non poſſe ab uno, altero invito, parietem deſtrui, & reædificari (2), niſi refectio neceſſaria appareat, puta ſi paries deſtinatus ſit ad onera ædificiorum ferenda, nec ea amplius ferre poſſit (3). Quo tamen caſu alter tamquam bonus pater familias ſe gerere debet (4); nec poteſt ejuſdem formam immutare (✠5), aut aliud quid facere, quo alteri noceatur (6); & viciſſim ſocius partem expenſarum ferre debet, cum neceſſaria eſt refectio, alioquin partem ſuam amittit (7), niſi forte ſocius non rem communem gerens, ſed ſibi peculiariter acquiſiturus ædificaverit (8).

(1) *L. Sabinus* 28 *ff. comm. divid.* (10. 3).

(2) *L. Parietem* 8 *ff. hoc tit. de ſervit. prædior. urban* (8. 2).

(3) *L. In parietis* 35 *cum duab. ſeqq. ff. de damno infecto* (39. 2).

(4) *L. Nam ſi non fuit* 37 *ff. eod. tit.*

(✠5) *Theſaur. dec.* 41 *n.* 9, *Deciſ.* 9 *ſeptembris* 1750 *Refer. D. Boggio in cauſ. Viſconti contra Coppa in princ., Deciſ.* 18 *aug.* 1654. *Refer. D. Dalmazzono in cauſſa Deſteſanis contra Columbam Negronam in princip.*

(6) *L. Fiſtulam* 19 *ff. hoc tit. de ſervit. præd. urban.*

(7) *L. Cum duobus* 52 §. *Idem reſpondit* 10 *ff. pro ſocio* (17. 2), *L. ſicut proponis* 4 *cod. de ædific. privat.* (8. 10), *Theſaur. d. deciſ.* 61 *n.* 7✠.

(8) *L. Si is contra quem* 5 *cod. eod. tit. de ædific. privat, Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 3.

DEFINITIO VI.

Socius poteſt parietem communem ex ſui parte dilatare; forma tamen non immutata.

Non prohibetur alter ex dominis parietis communis illum ex ſui parte dilatare, dummodo formam non immutet; cum hinc utilitas alteri ſocio præſtetur,

ſocius tamen impoſterum ad refectionem ultra ſtatum præſentem non tenetur (✠1); non enim poteſt alter ex alterius voluntate prægravari (2).

(✠1) *Deciſ.* 13 *januar.* 1730 *Refer. D. Demorra in cauſſa Carlevaris contra Nuvoli in fin.*

(2) *L. Non debet* 74 *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO VII.

Socius in pariete communi, vel ſecus illum ea omnia facere poteſt, quæ parietem deteriorem non efficiunt. An liceat puteum ædificare?

Superior regula, qua diximus, ſocium in re communi nihil facere poſſe, invito ſocio (definit. V.), plures habet exceptiones, ſive generalem unam, ex qua certæ fluunt, videlicet ſocio in pariete communi, vel ſecus illum permittuntur ea omnia, quæ deteriorem non efficiunt parietem (✠1), non autem cetera, quæ ita debiliorem reddunt, ut ruinæ periculum immineat (2). Hinc licet ædificare puteum prope parietem communem, interjecto tamen aliquo ſpatio, ſi alioquin grave damnum vicino immineat (✠3).

(✠1) *L. Quidam Hiberus* 13, *l. Fiſtulam* 19 *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8, 2), *L. Si ſervus* 27 §. *Si furnum* 10 *ff. ad leg. aquil.* (9. 2), *Theſ. d. deciſ.* 41 *num.* 18, *Deciſ.* 7 *junii* 1656. *Refer. D. Bellino in cauſſa Putei, & Sancti Georgii prope finem.*

(2) *Theſaur. Deciſ.* 115 *num* 4 ✠. *V. de his juriſprud. tom. III* § 1034, & *ſeqq. pag.* 249.

(✠3) *Deciſ.* 10 *auguſti* 1669. *Refer. D. Sandiliano in cauſſa Joannini contra confratr. Sancti Mauritii in princip.*

DEFINITIO VIII.

Furnus juxta parietem communem extrui poteſt; niſi grave vicino damnum immineat.

Quamquam furni extructio juxta parietem communem Romano jure generatim permitti videtur, dummodo damni infecti caveatur, ſi damnum revera timeatur, prout datum reſtaurari debet (1): attamen, ſi paries communis ſit, vel alia ſint locorum, aut ædium contiguarum adjuncta, ex quibus grave alteri damnum immineat, denegandam eſſe hujuſmodi facultatem placuit (✠1).

(1) *L. Si ſervus* 27 §. *Si furnum* 10 *ff. ad l. aquil.* (9. 2).

(✠1) *L. Quidam Hiberus* 13, *l. Fiſtulam* 19 *ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8 2), *Deciſ.* 13 *ſeptembris* 1700 *Refer. D. Commotto in cauſſa fratrum de Otto contra Planterium* §. *His tamen non moventibus.*

DEFINITIO IX.

Feneſtras in muro communi plerumque non licet aperire.

Feneſtras in muro communi aperiri non poſſe, unanimis eſt omnium ſententia (✠1): niſi forte nec rerum ſtatus mutetur, nec vicino ullatenus noceatur (2).

(✠1) *Deciſ.* 11 *januar.* 1649 *Refer. D. Abecelefia in cauſſa Conſtantini cont. Joanninum* §. *Verum in hac civitate.*

(2) *L. Quidam Hiberus* 13 *ff. hoc tit de ſervitut prædior. urbanor.* (8 2).

DEFINITIO X.

Penus ſubterranea fieri non poteſt ſub muro communi, niſi inde nullum immineat damnum.

Penum ſubterraneam ſub muro communi regulariter facere non licet (✠1), quia inde paries debilior fieri ſolet, atque non tantum ſuperficies, ſed & ſolum inferius commune eſt, adeoque locum habet regula (2); ſi tamen nihil nociturum ſit hoc opus, vel ſi parietem fulciat, inferiore extructo, is, qui penum ſubterraneam facit, permitti debet (✠3) æquitate ſuadente (4).

(✠1) *Deciſ.* 11 *decembris* 1658 *Refer. D. Vercelli in cauſſa Bertoldi contra Taſcheri per tot.*

(2) *De qua in l. Sabinus* 28 *ff. commun. dividund.* (10 3).

(✠3) *Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 19 ✠, *Deciſ.* 20 *decembris* 1673. *Refer. D. Raſini in cauſſa de Torrinis contra Pellegrinum in princip.*

(4) *L. In ſumma* 2 §. *Item Varus* 5 *ff. de aqua, & aqu. plur. arc.* (39. 3).

DEFINITIO XI.

Socius poteſt ædificare ſuper parietem communem pro diviſo, vel ſecus illum, recta linea pro medietate illius, vel etiam pro indiviſo, ſi talis conſuetudo vigeat.

Vulgo placet, ſocium poſſe ædificare ſuper muro communi, vel ſecus murum communem pro diviſo, ideſt recta linea ſuper medietate illius (✠1): quin interſit, utrum ad ædificandum deſtinatus ſit, nec ne, quia ſocius in re propria ædificat; dummodo tamen paries ita latus ſit, ut ſuper ſua parte poſſit ædificare, quin tangat partem ſocii. Communem autem pro diviſo in dubio præſumendum eſſe, ſentit poſt alios Theſaurus (2). Idem dicendum, ſeu ſuper muro communi etiam pro indiviſo ædificari poſſe, cum hæc viget in loco conſuendo, qualis viget in hac civitate, ita ut murus elevatus fiat proprius ædificantis, donec ſolvatur pars expenſarum a ſocio (✠3); conſuetudinis eadem vis eſt, ac legis, dummodo honeſta ſit, & ratione nitatur; conſuetudo autem hæc nullam iniquitatis ſpeciem habet, imo ad publicam utilitatem tendit.

(✠1) *Theſaur. d. dec.* 41 *num.* 21, *Deciſ.* 3 *decembr.* 1770. *Refer. D. Ficcono a valle in cauſſa Bonifacii contra Provaſſum in princip.*

(2) *D. deciſ.* 41 *num.* 21.

(✠3) *Deciſ.* 11 *janu.* 1649. *Refer. D. Abecceleſia in cauſſa Conſtantini contra Joanninum* §. *Verum in hac civitate, Deciſ.* 22 *maji* 1652. *Refer. D. Pattarini in cauſſa comitum de Rotariis per tot.*

DEFINITIO XII.

Ædificare licet uni ſocio, invito altero, ſuper pariete ad id deſtinato: ita tamen ut cautelæ adhibeantur, ſi grave damnum alteri immineat.

Certum quoque apud omnes eſt, ſocium, etiam altero invito, poſſe ædificare ſuper pariete communi ad id deſtinato (✠1), quemadmodum generatim licet in quacumque alia re in communi ea facere, ad quæ deſtinata eſt, ſive expreſſa de hac re conventio facta fuerit, ſive deſtinatio tacite ex indiciis, & argumentis eruatur, ſive conſuetudine ita obtineat (✠2); ſocius enim alterum prohibere non poteſt, ne jure ſuo utatur, onus autem hoc etiam in ſingularem rei ſucceſſionem tranſit, utpote rei ipſi inhærens (3).

(✠1) *Theſaur. deciſ.* 23 *num.* 1 ✠, *Deciſ.* 28 *ſeptembris* 1651. *Refer. D. Filippa in cauſſa Guerilli contra fratr. de Porris* §. 2. *Quod paries.*

(✠2) *L. Cum duobus* 52 §. *Item Mella*

Digitized by Google

13 ff. pro ſocio (17. 2), l. Hoc quod 25 §. 1 ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor. (8. 2). *Theſaur. deciſ. 41 num.* 1 ✠, *Deciſ. 7 junii 1656 Refer. D. Bellino in cauſſa Putei, & Sancti Georgii in princip.*

(3) *Theſ. d. deciſ. 41 n. 4.*

DEFINITIO XIII.

Quid ſi damnum hinc ſocio immineat? Ædificium parieti ad id deſtinato impoſitum commune ſit; atque ſcalæ etiam concedi debent.

Nec intereſt, quod damnum parieti inferatur: qui enim jure ſuo utitur, nemini facit injuriam: ſi tamen grave damnum vicino immineat, quod per alterum impediri poſſit, puta ſi ex elevatione fiat, ut aliter cadant ſtillicidia, cogi poteſt ædificans ad canales conſtruendos ſuis ſumptibus, ut eadem ſemper ſit caſſitatio ſtillicidii, & ita utriuſque bono conſulatur (✠1). Plane non licet ædificare æmulationis cauſſa (2), atque ædificium parieti ſuperimpoſitum commune fit, ſoluta ab altero ſocio expenſarum parte, prout ſervatur, cum quis jure ſuo ædificat; alioquin ædificium, quod ſolo cedit (3), proprium ſit alterius ſocii, quin ullæ reſtituendæ ſint impenſæ (✠4). Cum autem, re conceſſa, ea quoque permiſſa exiſtimentur, ſine quibus ea uti non liceret (5), ſcalæ quoque communio danda eſt, ſi alioquin nequeat haberi acceſſus ad hujuſmodi ædificium (✠6).

(✠1) *Deciſ. 23 junii 1730. Refer. D. Bianchis in cauſſa Falcombelli contra Coranum, §. Et licet aliquid negotii.*

(2) *Theſaur. deciſ. 23 num. 5, Fab. cod. de ſervit. lib. 3 tit. 24 def. 5, l. Opus novum 3 ff. de oper. public.* (50. 10.)

(3) *§. Ex diverſo 30 inſtitut. de rer. diviſion.* (2. 1).

(✠4) *Deciſ. 11 januar. 1649 Refer. D. Ab Eccleſia in cauſſa Conſtantini contra Joanninum in princip.*

(5) *Argum. l. Cui iuriſdictio 2 ff. de juriſdict.* (2. 1).

(✠6) *Deciſ. 12 junii 1668. Refer. D. Garretti in cauſſa de Paſteriis contra Caliſſanum, §. Pronunciavit tamen ſenatus.*

DEFINITIO XIV.

Socius re communi uti non poteſt ad uſum, ad quem non fuit deſtinata, niſi alter conſentiat.

Socius, altero invito, non poteſt uti re communi ad uſum, ad quem non fuit deſtinata (✠1). Hinc in area communi alteri ex ſociis ædificare non licet, atque ædificans jure prohibetur (2); res enim communis, pro qua parte communis eſt, propria eſt utriuſque (3); adeoque, quod in ea fit, partim in alieno fieri videtur.

(✠1) *Deciſ. 20. februar. 1645. refer. D. Filippa in cauſſa Prandi contra de S. Cruce, §. Quibus non obſtantibus.*

(2) *L. Sed ſi inter 27. §. ult. ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. urbanor.* (8. 2.)

(3) *L. Pupillus 239. §. ult. ff. de verb. ſignif., Theſaur. deciſ. 41. num. 13.*

DEFINITIO XV.

Quid ſi faciens velit opus fieri commune, vel nihil noceatur ſocio?

Neque licet uni ſocio, invito altero, opus facere in re communi ad id non deſtinata, quamvis velit opus faciendum eſſe commune, & facientis multum interſit (1); quia eadem ſemper viget ratio; nimirum in re communi, utpotequæ pro parte alterius eſt, invito domino, nihil fieri poſſe contra domini deſtinationem (Defin. præced.): niſi forte nullum alteri damnum inferatur, quo caſu temere conſenſum ſuum denegat

Digitized by Google

(✠2), & per quandam æmulationem jure improbatam (Defin. XIII).

(1) *Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 18 ✠.

(✠2) *L. Quidem Hiberus* 13 *ff. hoc tit. de ſervit. prædior. urbanor.* (8. 2) *Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 18, *Deciſ.* 7 *junii* 1656 *Refer. D. Bellino in cauſſa Putei*, *& S. Georgii prope finem.*

DEFINITIO XVI.

Quibus indiciis paries præſumatur deſtinatus, ut altius tollatur, vel aliud ædificium ferat?

Paries in dubio non præſumitur deſtinatus, ut attollatur, vel ut aliud ædificium ferat (1); quia in dubio antiqua cujuſque rei forma ſervari debet (2). Ex tignis hinc inde in eo pariete poſitis neceſſario non inferri ad hanc deſtinationem, putant aliqui, cum plerumque magis noceat ædificii elevatio, quæ lumina obſcuriora facit, quam tigni immiſſio. Aliud tamen placuiſſe Senatui refert Theſaurus (3). Ex fundamentis etiam, quæ craſſa, & profunda ſint, huiuſmodi deſtinatio erui poteſt, tum ex dentibus lateritiis in vicino pariete relictis (✠4).

(1) *Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 24.

(2) *L. An in totum* 3 *cod. de ædific. privat.* (8. 10).

(3) *Theſaur. d. deciſ.* 41 *num.* 24 ✠.

(✠2) *Deciſ.* 8 *martii* 1770. *Refer. D. Bruno in cauſſa Donaudi contra comit. Galitianum*, *& Bertolerum*, §. *Fundamentorum parietis num.* 9, *&* §. *Tandem num.* 11.

DEFINITIO XVII.

Quæ diſtantia relinqui debeat inter unum, & alium parietem, vel inter duo ædificia?

Quoties uni ſocio licet, invito altero ædificare ſecus communem parietem, ſpatium intermedium, quod leges præſcribunt (1), relinquere non tenetur (2); licet enim communis paries pro parte alienus ſit, pro parte tamen etiam proprius eſt ejus, qui ædificat, adeoque iiſdem legibus ſubjici non debet, quibus adſtringitur, qui ſecus alienam domum ædem conſtruit. Atque ſententiam hanc ſatis aperte firmat Paulus aſſerens prope communem parietem cameram ex figlino opere fieri poſſe, dummodo per ſe ſubſiſtat, nec ejus refectionem impediat: atque ad eundem murum ſcalas haberi poſſe (3). Diſtantia ergo pedis legalis a loco, ubi cadit ſtillicidium ſufficit, ſi tantummodo parietem quis velit ædificare, duorum vero pedum, ſi aliud ædificium extruendum ſit (✠4). Dixi a loco, ubi cadit ſtillicidium, quod quidem tunc obtinet, cum ſolum, ſub quo cadit ſtillicidium proprium eſt vicini, ſecus cujus domum alter vult ædificare; ſi enim ſtillicidium caſſitet jure ſervitutis, tunc diſtantiam legalem dimetimur a muro ipſo (✠5); pes autem legalis ſex unciis, & decem punctis, quorum duodecim unciam efficiunt, conſtare definitum eſt (✠6).

(1) *L. ult. ff. finitum regundor.* (10 1)

(2) *Theſaur. deciſ.* 115 *num.* 3 ✠.

(3) *L. Fiſtulam* 19 §. 1, *&* 2 *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2)

(✠4) *Deciſ.* 8 *februar.* 1664. *Refer. D. Malleani in cauſſa Pontii*, *& Paſtoris*, *Deciſ.* 28 *novembr.* 1729 *Refer. D. Sclarandi in cauſſa Gallinæ contra Allaſiam.*

(✠5) *Deciſ.* 15 *ſeptembr.* 1660 *Refer. D. Dalmazzono in cauſſa Gambaranæ contra Ponte in fin.*

(✠6) *Deciſ.* 23 *junii* 1665 *refer. D. Balegno in cauſſa Pontii*, *& Paſtoris.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVIII.

Ædificare licet ſupra viam vicinalem, ſi nullum, vel leve damnum inferatur vicinis ea via utentibus.

Supra viam vicinalem ædificare poteſt is, cujus ex utraque parte parietes proprii ſunt, ſi nullum damnum vicinis ea via utentibus inferatur, niſi quod aer ſuperior intercludatur (✠1); etenim vicinis tantum debetur tranſitus per eandem viam, adeoque queri nequeunt, quod lumina obſcurentur (2); nec prohibere poſſunt, quod alteri prodeſt, ipſis vero parum, aut nihil nocet (3). Sed ſi damnum in tranſitu vicinis inferatur, vel aliud grave incommodum, deneganda eſt hujuſmodi facultas (4); tum quia ſervitutis conditio deterior reddi non poteſt (5), tum quia in re communi potior eſt prohibentis conditio (6), tum denique quia vicinalis via aliquatenus utitur jure viarum publicarum (7), ſuper quas nec pontem, nec aliud quidquam fieri poteſt, ne ab eo quidem, qui ex utraque parte ædes poſſidet (8).

(✠1) *Theſ. quæſt. forenſ. lib.* 2 *quæſt.* 89 *in fine, Deciſ.* 24 *maji* 1673 *ref. D. Sandiliano in cauſ. Chiapacii contra Cuſſam per tot.: cujus ædificium jure ſuperius eſt, ait Paulus in l.* 24 *ff. hoc tit. de ſervit. prædior. urbanor.* (8. 2), *ejus eſt in infinito ſupra ſuum ædificium imponere, dum inferiora ædificia non graviore ſervitute oneret, quam pati debent.*

(2) *L. Cum eo* 9 *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.*

(3) *L. In ſumma* 2, §. *Item Varus* 5 *ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend.* (39. 3).

(4) *Theſ. lib.* 2 *quæſt. d. num. ult.*

(5) *D. l. cujus ædificium* 24 *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.*

(6) *L. Sabinus* 28 *ff. comm. divid.* (10. 89 3).

(7) *L. Prætor. ait* 2 § *Viarum* 22 *ne quid in loco publ.* (43. 8).

(8) *D. L.* 2, *Scio tractatum* 33.

DEFINITIO XIX.

Solum an publicum, an privatum ſit, ex indiciis æſtimatur. Quæ ſint hæc indicia?

Privatum, non publicum præſumitur ſolum, in quo ſunt gradus, & ſterquilinia, cum hæc in loco publico haberi nequeant (✠1): atque ſolum regulariter ad eum pertinet, cujus eſt ſtillicidium, quod ſupra ſolum cadit: quouſque ſe extendit rigor ſtillicidii (✠2); quia nemo, niſi jure communionis, aut ſervitutis, ſtillicidia ſua in alienum locum immittere poteſt (3). Quod ſi ſoli extrema ad aliquem pertinere conſtet, medium ejuſdem dominii eſſe exiſtimatur (✠4), ex vulgata juris regula, quod media probatis extremis ſint præſumenda; quippe quia extremis media declarantur (5). Communio igitur ſoli non præſumitur, ſed probanda eſt, puta ex ſtillicidii caſſitatione, tignorum immiſſione, aliiſque conjecturis, quas ſupra expoſuimus (6). Proinde non præſumitur ſolum commune illius, qui nec ſtillicidium habet in eo caſſitans, nec tigna ulla immiſſa (✠7).

(✠1) *L. Prætor. ait* 2. §. *Proinde* 27. §. *Idem ait* 29., & §. *Deteriorem* 32. *ff. ne quid in loco public.* (43. 8.), *V. Concluſ. D. Advoc. general.* 19 *aprilis* 1755. *in cauſſa Comit. Benzii Valfrè contra commun. Braidæ.*

(✠2) *L. ult.* §. 1. *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2.), *Deciſ.* 5. *decembris* 1652. *refer. D. Blancardi in cauſſa Juliani contra Zanettum*, §. *Attamen alio non facto, Deciſ.* 12. *ſeptembris* 1710. *refer. D. Braida in cauſſa Perrachini contra Toraſſam fere in princ.*

(3) §. 1 *Inſtit. hoc tit. de ſervitutib.*

Digitized by Google

prædior. (1. 3), *l. Urbanorum.* 2 *ff. hoc tit. de ſervit. prædior. urban.*

(✠4) *Deciſ.* 12 *ſeptembris* 1747 *Refer. D. Honorati in cauſſa comit. Capra ab Axano contra comit. Malabailam a Canale*, §. *Quo igitur ad hanc ſoli partem.*

(5) *L. Arbor.* 19 *ff. comm. divid.* (10 3)

(6) *V. Juriſprud. tom. III.* §. 1027, & *ſupra hoc tit. definit. IV.*

(✠7) *Deciſ.* 19 *junii* 1676. *Refer. D. Raymondi in cauſſa Beccariæ contra confraternit. ſuffragii civit. Montis Regalis in fin.*

TITULUS XIII.

De ſervitutibus prædiorum ruſticorum.

DEFINITIO I.

Dominus fundi dominantis ſemel electum itineris locum mutare non poteſt, utique vero dominus fundi ſervientis, ſi alteri non noceatur.

Quamquam, ſemel electo a domino prædii, cui iter debetur, itineris loco, variandi facultas denegatur; quia, electione peracta, ceteræ fundi partes liberæ fiunt: adeoque niſi ſervientis fundi dominus conſentiat, ſervituti iterum ſubjici non poſſunt, niſi forte hujus nihil interſit (1); Attamen in hoc melior eſt conditio illius, qui ſervitutem debet, ipſi enim leges, æquitate ſuggerente, permiſerunt, ut alium itineri, vel viæ locum conſtituat, ſi per eum æque commode iri poſſit, quamvis forte conveneri, ne poſſet immutari; ex hac enim conventione tantum prohibita intelligitur immutatio, qua iter deterius fiat, non autem melius, vel ejuſdem conditionis (✠2).

(1) *Argum. L. In ſumma* 2. §. *Item Varus* 5. *ff. de aqua, & aqu. pluv. arc.* (39. 3.)

(✠2) *L. Locum* 2. §. *Locum* 8. *ff. de relig. & ſumt. fun.* (11. 7.), *Deciſ.* 12. *novembris* 1683. *ref. D. Torrini in cauſſa Mozetti, & Ratier per tot, Fab. cod. hoc tit. de ſervitutib. lib.* 3. *tit.* 24. *def.* 4, *quod & ad eum caſum extendit, quo dominus fundi dominantis per longum tempus probetur ſolitus ire, agere per alterius fundum.*

DEFINITIO II.

Via publica, per quam iter fiebat ad prædia, in privatos uſus, auctoritate Principis translata, adhuc iter per eam patet illis, qui prius ea utebantur; maxime ſi alius deſit aditus.

Si via publica, per quam prius iter patebat ad prædia, Principis auctoritate interveniente, privati juris fiat, licere debet illis, qui prius hac via utebantur, maxime ſi aliam præſto non habeant, adhuc eadem uti (✠1): res utique publici juris ex Principis licentia, quæ tamen perraro, & difficile conceditur, nec niſi ex magna cauſſa, in privatos transferri poteſt (2); verum, cum ſemper ea ſit Principis voluntas, ne alteri damnum inferatur (3), vel commodum amittat, quod prius ex publico percipiebat (4), per hanc novam loci deſtinationem itineris, aut viæ jus non præſumitur ademtum illis potiſſimum, quibus alius non ſuppetit locus, per quem ad ſuos agros perveniant (5).

(✠1) *Deciſ.* 21. *februar.* 1764. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Baronis Pontis a Villaregia contra Nobilem puellam Rotariam*, §. *Hinc deficiente, prope fin. deciſ.*

(2) *L. Diligenter* 9. *cod. de aqua ducta* (10. 42.)

(3) *L. Prætor. ait* 2. §. *Merito* 10. *ff. Ne quid in loco public.* (43. 8.)

(4) *Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit, quod ex publico con-*

Digitized by Google

ſequebatur, *qualequale ſit*, *d. l.* 2. §. *Damnum* 11.

(5) *D. L.* 2. §. *Proinde* 12.

DEFINITIO III.

Servitute conceſſa, *fundi ſervientis dominus tollere debet omnia impedimenta*, *quibus incommodus fiat illius uſus.*

Fundi ſervientis dominus non tantum viam, prout convenit, præſtare tenetur, ſed etiam tollere debet omnia impedimenta, quibus minus commodum, vel anguſtius iter fiat (✠1); etenim tacite inter ſe contrahentes pepigiſſe exiſtimantur, ut ea omnia, ſervitute conceſſa, præſtentur, ſine quibus inutile fieret ſervitutis jus, vel nimis incommodus ejus uſus (2).

(✠1) *L. Prætor ait* 2, §. *Proinde* 12 *ff. Ne quid in loco publ.* (43. 8), *Deciſ.* 5 *februarii* 1661 *Refer. D. Malleani. in cauſſa Mercandini*, *& Baudini in princ.*

(2) *Argum. l. ſervitus* 20, §. 1 *ff. de ſervit. præd. urban.* (8. 2).

DEFINITIO IV.

Januam claudere poteſt nocturno tempore ille, *qui ſervitutem tranſitus debet*. *Qua hora?*

Poteſt tamen is, qui ſervitutem tranſitus debet, januam nocturno tempore claudere, prout facere ſolet quiſque diligens paterfamilias (✠1); conditio hæc utpote honeſta, atque ex æquitate deſcendens tacite ſubintelligitur (2). Qua autem hora liceat claudere januam, ex regionis conſuetudine, aliiſque adiunctis definiet prudens judex: puta mediam noctem in locis amplioribus, vel ad id fere tempus, quo receptui ſignum dari ſolet; in oppidis vero, aliiſque inferioribus locis ratione habita temporis, qua probi omnes ſe ſe in domos ſuas recipere conſueſcunt.

(✠1) *L. Iter* 14 *ff. de ſervitutib. præd. urban.* (8. 2), *Deciſ.* 24 *janu.* 1650. *Refer. D. Gerardi in cauſſa Battuelli contra Braciforti*, §. *Sententia ergo*, *ubi ad mediam noctem reſtricta eſt hora januas claudendi in hac civitate*, *attenta conſuetudine*, *& negotiatione*.

(1) *L. ſi cui ſimplicius* 9 *ff. de ſervit.* (8. 1).

DEFINITIO V.

Servitutes ſtrictam habent interpretationem. Iter in dubio potius, *quam via*, *vel actus conceſſum intelligitur.*

Servitutes odioſæ reputantur, adeoque ſtrictam recipiunt interpretationem, cum alterius jus in proprio fundo imminuatur (1); et unaquæque res libera præſumatur (2). Si ergo alicui tranſitus conceſſus fuerit, quin expreſſum ſit, an via, vel actus, an iter traderetur, iter tantummodo conceſſum intelligitur; potiſſimum ſi aliqua verba adjecta ſint, quæ iter potius demonſtrent, quam actum, vel viam; veluti ſi dictum fuerit, tranſitum ita concedi per agrum, ut, quanto minus fieri poteſt, ſervienti fundo noceatur, quod maxime obtinere debet, ſi ex peritorum judicio conſtet, ſine graviſſimo ſervientis fundi damno viam, vel actum haberi non poſſe (✠3).

(1) *L. Quidquid adſtringendæ* 99 *ff. de verbor. obligat.* (45. 1).

(2) *L. ſi in ædibus* 9 *cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34).

(✠3) *Deciſ.* 25 *januar.* 1730 *refer. D. Guillier in cauſſa de Gioliis contra Jugales de Panealus per tot.*

DEFINITIO VI.

Servitutis potius, *quam communionis jus in dubio inductum præſumitur.*

Ex ſuperiori regula (definit. præced.) fluit, verbis, *dimittere*, *permittere* tran-

ſitum, ſervitutem ſignificari, non communionem (✠1); communio enim ſecum trahit partis proprietatem, & dominium (2), quod hac loquendi formula neutiquam continetur. Neque communionis jus tributum dicemus, quamvis expreſſum ſit, oſtium, puta, vel aream communia fieri tranſitus cauſſa (✠3): verba enim, non prout exterius ſonant, ſed, perpenſa contrahentium mente, intelligi debent, nec ad ea extendi, de quibus contrahentes veroſimiliter non cogitarunt (4); atque priora verba, quæ communionem ſignificare videntur, ex poſterioribus interpretationem accipiunt, ut ad ſervitutis jus coerceantur: niſi communionis inducendæ alia ſuppetant argumenta.

(✠1) *L. Unus 34 ff. hoc tit. de ſervit. prædior. ruſticor.* (8. 3), *Deciſ.* 18 *febru.* 1650 *refer. D. Nomis in cauſſa comitum Alladii*, §. *Et putarunt domini.*

(2) *L. Pupillus* 239, §. *ult. ff. de verb. ſignific.*, *l. Illud dubitationis* 46 *ff. de ritu nuptiar.* (23. 3).

(✠3) *Deciſ.* 24 *janu.* 1650 *refer. D. Gerardi in cauſſa Battuelli contra Braciforti*, §. *Fuit ſecundo dubitatum.*

(4) *L. Obligatione generali* 6. *de pignorib.* (20 1).

DEFINITIO VII.

In poſſeſſione tranſitus retinetur, qui probat, nec vi, nec clam, nec precario ſe poſſidere.

Graves utique probationes deſiderantur ab eo, qui jus ſervitutis, viæ, vel itineris in alieno fundo ſibi vindicat, cum unaquæque res libera præſumatur (definit. V): ſed, ſi de mera ſervitutis poſſeſſione quæſtio ſit, in ea ſervatur, qui probat, nec vi, nec clam, nec precario ab altero poſſidere (1); prout ſuperius generatim animadvertimus (2).

(1) *L. 1 ff. uti poſſidetis* (43 17), *Deciſ.* 3 *febru.* 1730 *refer. D. Marelli in cauſſa Carilioli contra Boverium per tot.*

(2) *Supra tit. X. de ſervitutib. def. XI.*

DEFINITIO VIII.

Deſtruere non tenetur opus propria auctoritate factum ad ducendam aquam per alienum fundum is, qui jure opus fecit.

Illi, quibus jus competit hauriendæ, ſeu derivandæ aquæ e flumine, fonte, vel rivo, ut eam ad prædia ſua ducant, per aliorum agros ducere non poſſunt, niſi agrorum domini ſponte facultatem hanc concedant (1): ſed jure, quo utimur, publica ſuadente utilitate, cautum, ut vicinus judicis, qui ſingula perpenderit, & præcipue an neceſſitas urgeat, auctoritate, cogi poſſit ad aquæ tranſitum præſtandum, juſto utique ſoluto pretio (2). Si tamen conſtet, opus ad aquam ducendam jure factum fuiſſe, quamvis propria auctoritate, in priſtinum reſtitui non debet (✠3), tum quia inanes circuitus vitandi ſunt (4), tum quia proprie non dicitur attentaſſe, qui jure ſuo uſus eſt (5).

(1) *L. Quemadmodum* 29. §. 1. *ff. ad leg. aquil.* (9. 2.)

(2) *V. Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 19. §. 6., & *ſeqq.*, *Theſaur. deciſ.* 175, *num.* 7., & *ſupra lib.* 11. *tit.* 1. *definit. XVI.*

(✠3) *Deciſ.* 16. *martii* 1768. *refer. D. Fauſono in cauſſa fratr. De Cavallis contra viduam Obertam per tot.*

(4) *L. Dominus teſtamento* 53. *ff. de condiction. indebit.* (12. 6.)

(5) *L. Nullus* 55. *ff. de reg. jur.*

Digitized by Google

DEFINITIO IX.

Aquam per alienum prædium, invito hujus domino, ducere non conceditur, niſi urgeat neceſſitas, & grave damnum prædii domino non inferatur.

Cum ex naturali, & civili jure rei ſuæ quiſque ſit moderator, & arbiter (1), nec unus gravari debeat, ut alter emolumentum habeat, ſcite cautum, ne vicinus cogatur ad aquæ ductum per ſua prædia præſtandum, niſi aqua vere indigeat, qui legis municipalis beneficium implorat (✠2). Nec huic beneficio locus ſit, cum grave damnum imminet poſſeſſoribus bonorum, per quæ aquæ ductus petitur (3): quare ſi per aream, vel hortum vicini tranſitus poſtuletur, quia ex renovationibus, & purgationibus aquæ ductus graves inferrentur moleſtiæ, immo & grave damnum imminere poteſt, placuit denegandam eſſe facultatem hanc (✠4); utpote contra Principis mentem, qui non præſumitur, ita alicujus utilitati proſpicere, ut alter in gravis jacturæ diſcrimen adducatur (5).

(1) *L. In re mandata 21. cod. mandati* (4. 35.)

(✠2) *V. Reg. conſtit. lib. 5. tit. 19. §. 7., & ſeqq., Deciſ. 23. martii 1676. refer. D. Balegno in cauſſa Comit. Avogadri contra Comit. Cuſanum per tot., V. defin. præced.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 19. §. 6.*

(✠4) *Deciſ. 13. junii 1731. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Ambroſii contra Parrocum loci Villaris Baſtiarum, §. Propoſita cauſſa, & ſeqq.*

(5) *L. Nec avus 4. cod. de emancipat. liber.* (8. 49.), *L. Prætor ait 2. §. Si quis a Principe 16. ff. Ne quid in loco publico* (43. 8.)

DEFINITIO X.

Aquæ ductus locum plerumque immutare non poteſt is, cui ſervitus debetur: atque ita conſtitui debet, ut quanto minus ſervienti fundo noceatur.

Servitute aquæ ductus conſtituta, vel conventione, vel judicis decreto (defin. præced.), & loco definito, per quem aqua tranſeat, vicinus, qui aqua utitur, non poteſt pro arbitrio locum aquæ ductus immutare (✠1): niſi forte fundi ſervientis nihil interſit, nec aliquod opus in fundo fieri debeat, quod alteri noceat (2). Quod ſi locus nec a contrahentibus, nec a judice definitus fuerit, in arbitrio quidem ejus, cui vicini, fundus ſervit, eſt locus aquæ ducendæ, eo tamen uti debet, ut quam minus fieri poteſt, vicino ſervientis fundi domino noceatur (✠3). Atque ita propriæ utilitati conſulere, ne tamen duriorem, quam par eſt, conditionem efficiat debitoris, cujus cauſſa præcipuo favore digna eſt (4).

(✠1) *Argum. L. Servitutes 4. ff. de ſervitutib.* (8. 1.), *L. Non modus 12. cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34.), *Deciſ. 29. auguſt. 1731. refer. D. Grondana in cauſſa Comit. Sartiranæ contra Gambaranam, §. Hæc cum ita eſſent, & ſeqq.*

(2) *Argum. L. In ſumma 2. §. Item Varus 5. ff. de aqua, & aquæ pluv. arc.* (39. 3.)

(✠3) *L. Si cui ſimplicius 9. ff. de ſervitut.* (8. 1.), *Reg. conſtitut. d. lib. 5. tit. 19. §. 7., Deciſ. 26. februarii 1731. refer. D. Guillier in cauſſa Comit. Biliæ Mediol. contra colleg. ſoc. Jeſu, §. Præ oculis & ſeqq.*

(4) *L. Arrianus ait 47. ff. de obligat., & actionib.* (44. 7.), *V. ſupra def. 1.*

Digitized by Google

DEFINITIO XI.

Aquam in ſuo ſcaturientem, vel quæ per prædium ſuum tranſit, fundi dominus retinere poteſt, eaque pro arbitrio uti.

Cum aqua in meum fundum ingreſſa mea fiat, ita ut pro arbitrio ea uti poſſim (1), vicinus inferioris prædii dominus nullo jure cogere poteſt dominum fundi ſuperioris, ut aquam in ſuo ſcaturientem, vel quæ per fundum ſuum tranſit, in prædium inferius labi ſinat, etiamſi per mille annos ita naturali curſu fluxerit (✠2); tum quia juxta vulgatum axioma nulla currit præſcriptio in illis, quæ meæ facultatis ſunt (3), tum quia naturalis iſte aquæ decurſus potius firmat naturalem ſervitutem, qua agri inferiores pati debent, ut aquas e ſuperioribus labentes recipiant (✠4): proinde nullum ſervitutis jus domino inferioris prædii quæſitum dici poteſt. Quo fundamento tradit Ulpianus, licere domino fundi ſuperioris, opus tollere, quo ſublato aqua naturaliter ad inferiorem fundum perveniat, eique noceat, niſi opere ſublato fiat vehementior aqua, vel magno impetu erumpat, quo graviſſimum immineat inferiori agro diſpendium (5), quod non ſinit æquitas. Qua autem ratione Ulpianus cum Pomponio, Scævola, & Paulo conciliari poſſit, alibi demonſtravimus (6).

(1) *L.* 1. §. *Labeo* 16. *ff. de aqua quotidian. & æſtiv.* (43. 20.), *Theſaur. deciſ.* 243. *num.* 2.

(✠2) *Theſaur. deciſ.* 245. *num.* 1. ✠, *Deciſ.* 21. *junii* 1683. *refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Berzetti contra communit. Vercellarum*, §. *Primo igitur*, *Deciſ.* 21. *junii* 1683. *refer. D. Gabuti in cauſſa Comit. Serravallis contra Comit. Carcſanam in fine*, *Deciſ.* 30. *auguſt.* 1690. *refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Torrelli contra. Ferrerios*. *Primo igitur*.

(3) *V. Supra tit. X. de ſervitutib. defin. XII.*

(✠4) *L.* 1. §. *penult. ff. de aqua, & aqu. pluv. arc.* (39. 3.), *Deciſ.* 1. *april.* 1689. *refer. D. Abecclesia in cauſſa communitat. Braida, & Pauca Paleæ contra Comit., & particulares Potentiæ*, §. *His tamen non obſtantibus*.

(5) *D. L.* 1. §. *penult. de aqu.*

(6) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 1115. *pag.* 267.

DEFINITIO XII.

Præſcriptione acquiritur ſervitus aquæ ductus, ſi opus ad hoc manufactum fuerit, atque vicinus illud ſubſiſtere paſſus ſit.

Hæc tamen regula ſuas habet exceptiones, atque in primis ſervitus aquæ ductus conſtituta reputatur, cum opere manufacto in fundo ſuperiori ab eo, qui inferioris dominus eſt, aqua in inferiorem delabitur, ſi ſuperior paſſus ſit opus per tantum temporis ſpatium, quo præſcriptio inducitur (✠1), prout ſupra generaliter diximus (2). Longiſſimi temporis, ſeu XXX. annorum præſcriptio ſufficit, ſi continuo aqua ducatur, immemorialis autem requiritur, cum diſcontinua ſervitus aquæ ductus eſt (3). Quia autem hujuſmodi ſervitus vix uſum perpetuum habet, ſed neceſſario requirit factum hominis aquam divertentis, & ducentis certis diebus, & horis, propterea inter diſcontinuas recenſeri ſolet, quæ non niſi immemoriali præſcriptione acquiritur, ſi nullus adſit titulus (✠4), quemadmodum ſupra adſtruimus (5); poſſeſſio autem hæc continuata eſſe debet, & uniformis per totum tempus a lege definitum, neque in judicio, neque extra judicium contradictione interrupta. Præterea probandum eſt, jure ſervitutis aquam ductam fuiſſe; in dubio enim precarii, vel familiarita-

tis jure fieri præſumitur, quod quis in re aliena facit. Si autem teſtibus præſcriptio hujuſmodi probetur, deponere debent de conſuetudine utendi aqua certis diebus, & horis (✠6).

(✠1) *L. Hoc jure 3, §. Ductus aquæ 4 ff. de aqua quot., & æſtiv.* (43. 20), *L. In ſumma 3, d. l. ult. ff. de aqua, & aqu. plur. arc.* (39. 3), *deciſ. 21 junii 1683 refer D. Torrini in cauſſa comit. Berzetti contra civit. Vercellarum §. Secundo fallit num. 8. V. & Dec. 30 maji 1686 refer. D. Torrini in cauſſa Marchioniſſa Blaſati ſeu S. Januarii contra particulares Lamporii, in qua repetantur omnia, quæ, dicta ſunt in hac deciſ. 21 jun. 1683 ref. D. Torrini in cauſ. comit. Berzetti.*

(2) *Supra tit. X de ſervitut. defin. XII.*

(3) *Supra d. tit. X definit. VI.*

(✠4) *Deciſ. 15 decembr. 1643 refer. D. Appiano in cauſſa D. Virlarum contra Garis. §. Primo., quia aliqui, & ſeqq.*

(5) *V. ſupra tit. X de ſervitut. d. defin. VI.*

(✠6) *Hæc enim omnia in quacumque præſcriptione, proportione habita, deſiderantur d. deciſ. refer. D. Appiano.*

DEFINITIO XIII.

Qui prædium aqua indigens, & irrigari ſolitum emit ab eo, qui aquæ dominium habet, venditorem prohibere poteſt, ne aquam divertat.

Emptor, qui prædium, quod aqua indiget, & a venditore irrigari ſolebat, emit cum juribus eidem annexis ab eo, qui aquæ dominium habet, tacite conveniſſe videtur, ut ipſe fundum habeat in eodem ſtatu, quo a venditore tenebatur (1), ut ſuperius diximus (2), adeoque cum jure aquæ ducendæ, ita ut prohibeatur venditor, ne aquam divertat, vel totam pro ſuis agris retineat, ſed ejus partem emptori præſtet (✠3). Atque idem viceverſa pro venditore judicium ferri debet (4).

(1) *L. Si partem 19. §. 1. ff. quemadmodum ſervit. amittant.* (8. 6.), *L. Quod ad ſervitutes 75. ff. de evictionib.* (21. 2.)

(2) *V. Tit. XI. de ſervitutib. prædior. urbanor. defin. II.*

(✠3) *D. Deciſ. (defin. praeced.) refer. D. Appiano in fine, Deciſ. 29. auguſt. 1763. refer. D. Sclarandi in cauſſa Sertamoglia contra Sandiliano, §. Verum ad tollendum, poſt num. 7.*

(4) *D. Defin. II. de ſervitut. præd. urbanor.*

DEFINITIO XIV.

Quid ſi aqua ſuperioris fundi dominus abundet, inferior autem ea indigeat?

Altera quoque exceptio ſuperiori regulæ (defin. XI) paſſim probatur in eo caſu, quo aqua ſuperabundat, ita ut ſuperior ea non indigeat, inferiori autem profutura ſit: æquitas (1), quæ potiſſimum inſpicitur in hoc argumento, quod ad publicam utilitatem maxime confert, ſuadet, ut etiam citra ſervitutem ſuperior aquam, quæ in ſuo fundo naſcitur, vel per eum tranſit, in diſpendium inferioris non diſperdat, vel alio divertat (✠2).

(1) *L. 1. §. Item ajunt 11., L. In ſumma 2. §. Idem Varus 5. ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend.* (39. 3.)

(✠2) *Deciſ. 21. junii 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Berzetti contra civit. Vercellarum, §. Fallit generalis iſta traditio, Deciſ. 13. junii 1699. refer. D. Braida in cauſſa Maſſenæ, & Columbi contra Comit. Loſam in fine.*

Digitized by Google

DEFINITIO XV.

Si plures aqua indigeant, præfertur ille, cujus gravior eſt neceſſitas, & cujus magis intereſt.

Si plura ſint inferiora prædia, quæ aqua indigeant, & plures poſtulent, ut per alterius fundum aquæ ductus concedatur, potior eſt illius cauſſa, cujus gravior eſt neceſſitas, & cujus magis intereſt (✠1): neceſſitas autem, & utilitas deſumitur ex prædiorum qualitate, & quantitate; ex uſu, cui inſervire debet aqua, & ſimilibus, quæ prudens judex attente perpendere debet (2).

(✠1) *Deciſ. 9. junii 1770. refer. D. Damilano in cauſſa Magnani contra Marchion. Crivelli, & communit. Andurni, §. Senatus prælationi, argum. L. 1. §. Sunt, qui putent 6, & §. ſeq. ff. ne quid in flum. publ.* (43. 13.)

(2) *D. L. 1. §. 6. in fin.*

DEFINITIO XVI.

Quid ſi dubitetur de quantitate aquæ ducendæ? In dubio præfertur is, in cujus fundo aqua naſcitur.

Si de ſervitute aquæ e fundo alieno derivandæ conſtet, atque dubitetur de quantitate aquæ, quam ſuperior pro ſe retinere poſſit, altera dominanti fundo reſervata, ex ſitientium agrorum neceſſitate res dijudicari debet, vel ex aquæ deſtinatione (✠1). Quod ſi aqua communis ſit pro diviſo, ut quandoque in ſervitutibus contingit, unuſquiſque ex ſociis poteſt ea uti ad limites neceſſitatis (✠2). Sane, ſi de prælatione contendatur, præſumtio eſt ejus favore, in cujus fundo naſcitur aqua (✠3).

(✠1) *Argum. d. L. 1. §. 6, & 7. ff. ne quid in flum. public., L. Ergo 5. §. ult. ff. hoc tit.* (8. 3.), *Deciſ. 29. auguſti 1763. refer. D. Sclarandi in cauſſa Serramoglia contra Comit. Sandilianum in fine.*

(✠2) *Deciſ. 24. martii 1708. refer. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Roddi contra Comit. Polentii, & S. Victo in Romagnanum, §. Nam circa difficultatem, fere in fine deciſ., V. tit., ſeu appendic. præced. defin. XI.*

(✠3) *L. Præſes provinciæ 6. cod. hoc tit. de ſervitut.* (3. 34.), *Deciſ. 29. novembris 1730. refer. D. Laurenti in cauſſa Vaſſalli Falleti contra Comit. de Borgarellis, & alios per tot., V. Reg. conſtit. lib. 6. tit. 7. §. 5.*

DEFINITIO XVII.

Quid ſi de ſola poſſeſſione utendi aqua contendatur?

Cum de poſſeſſione utendi aqua controverſia eſt, ſecundum generales juris regulas præfertur, qui melius probat ſuam poſſeſſionem (1): niſi alter titulo munitus ſit, maxime ſi hic antiquiorem ſuam poſſeſſionem demonſtret (✠2); origo enim jurium præ ceteris inſpici debet (3). Utroque vero titulum proferente, vincit, qui duplicem habet, vel antiquiorem (✠4).

(1) *V. ſupra de acquirend. poſſeſſion. tit. IX. defin. XXXVII.*

(✠2) *Cap. Licet cauſſam 9. extra de probationib.* (2. 19.), *Deciſ. 17. maii 1652. refer. D. Beccaria in cauſſa Equit. Torquati Morettæ contra univerſit. Cardetti per tot.*

(3) *L. 1. in fine cod. de impon. lucrativ. deſcript.* (10. 35.), *L. Qui poſſeſſionem 17. ff. de vi, & vi armata* (43. 16.), *Deciſ. 5. ſeptembris 1774. refer. D. Lombardi in cauſſa Porta contra Cicognam Moſſoni, per tot.*

(✠4) *Deciſ. 14. aprilis 1673. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. a Ponte contra Comit. a Lucerna, §. Concurrit præterea.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVIII.

Si neuter poſſeſſionem probet, vel utriuſque pares ſint probationes, atque ſcandala timeantur, Senatus per œconomum aquam diſtribuit.

Quod ſi neuter poſſeſſionem probet, vel æqualis ponderis argumenta ab utraque parte allegentur, poteſt Senatus, maxime ſi ſcandala, & diſſidia timeantur, reducere ad ſuas manus, ut ajunt, aquam controverſam, atque œconomum deſignare, qui eam utrique parti diſtribuat arbitrio boni viri (✠1), vel per partes, vel per tempora, prout convenientius videbitur (2).

(✠1) *Theſaur. deciſ.* 206. *num.* 6., *Deciſ.* 17. *decembris* 1646. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Senator. Barberis contra Comit. Moréttæ, in fine:*

(2) *L. Communi dividundo* 7. §. *Cum de uſufructu* 10. *ff. commun. dividund.* (10. 3.)

DEFINITIO XXIX.

Modus utendi aqua ſervari debet: nec novus, licet forte magis conveniens, fieri poteſt, niſi omnes conſentiant.

Quoties de poſſeſſione, ejuſque modo conſtat, antiqua conſuetudo retinenda eſt, nec fieri debet nova aquarum diviſio, quamvis forte congruentior fieri poſſet: niſi conſentiant omnes, de quorum re agitur (✠1); etenim ſervitutis modus contrahentium placito definitus ſervandus eſt (2).

(✠1) *Deciſ.* 28. *auguſti* 1684. *refer. D. Rolando in cauſſa Comit. Pergami contra communitat. Publiciarum in fine.*

(2) *L. Servitutes* 4. §. 1. *ff. de ſervitutib.* (8. 1.)

DEFINITIO XX.

Aquæ ductus ſervitus tranſit in ſucceſſorem ſingularem. Quid ſi aqua amiſſa ſit, ſuperſint tamen fiſtulæ, & canales?

Servitus aquæ ductus, non ſecus ac itineris, vel viæ (1), tranſit in ſingularem fundi ſucceſſorem, quamvis de aquis ſpecialis mentio facta non fuerit, ſi modo aqua illa ad fundi venditi irrigationem deſtinata erat (✠2). Immo, etiamſi aqua forte amiſſa ſit, fiſtulæ tamen, & canales fundum ſequuntur (3); emtor velle præſumitur cum re vendita ea omnia comparare, quæ ad ipſam quoquomodo pertinent, vel accedunt (4).

(1) *L. Cum fundo* 36. *ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

(✠2) *L. Si aquæ ductus* 47. *ff. de contrahend. emt.* (18. 1.), *Deciſ.* 28. *auguſti* 1684. *refer. D. Rolando in cauſſa Comit. Pergami contra communit. Publiciarum, in princip.*

(3) *L. Et quamquam* 49. *ff. eod. tit. de contrahend. emtion.*

(4) *L. Si venditor* 38. *ff. de actionib. emti* (19. 1.)

DEFINITIO XXI.

Servitus aquæ ductus non extinguitur, licet aqua rivi ad tempus deficiat: niſi nova aqua inducatur, vel flumen alveum mutaverit.

Si rivi, ex quo ducitur, aqua deficiat, non ideo ſervitus aquæ ductus perpetuo extinguitur; ſed interim ſuſpenditur ejus uſus; atque, renaſcente aqua, reviviſcit, quamvis nonniſi poſt longiſſimum temporis ſpatium, quo compleri ſolet, præſcriptio, aqua renaſcatur (1); non enim jure ſuo privari debet ille, cui nulla imputari poteſt culpa, & negligentia (2). Aliud dicendum eſt, ſi in canalem, vel alveum, ex quo aqua

Digitized by Google

trahebatur, non vetus, ſed nova inducatur aqua (✠3): vel ſi flumen, ex quo aqua ducitur, impetu receſſerit, & alveum mutaverit: ille, cui debetur ſervitus, uti non poteſt alveo derelicto, quo aquam ducat; quamvis proprius fiat ejus, qui ſervitutem aquæductus præſtat; quia, cum locus hic prius a flumine occupatus, poſtea derelictus, ſervitutem ab initio non deberet, ex alvei repentina mutatione novum jus dominanti prædio non accreſcit (4). Secus futurum, ſi flumen paullatim, & per alluvionem deſeruerit alveum, vel ejus partem (5); incrementum enim prædii, quod per alluvionem contingit, ejuſdem conditionis reputatur: atque iiſdem legibus regitur, quibus ipſum prædium (6).

(1) *L. Et Atilicinus 35. ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

(2) *D. L. 35. ff. hoc tit.*

(✠3) *Deciſ. 7. maii 1742. refer. D. Demorra in cauſſa civitat. Montis Regalis contra Vaſſal. Vitalem, §. Hæc itaque, cum diſcutienda, argum. L. Si uſumfructum 36. ff. de uſufructu* (7. 1.)

(4) *L. Hoc jure 3. §. Si aquam 2. ff. de aqua quotid., & æſtiv.* (43. 20.)

(5) *D. L. 3. §. 2. in fin.*

(6) *L. Si ergo 11. §. Quod tamen 7. ff. de publician. in rem action.* (6. 2.), *V. ſupra tit. VII. de acquir. rer. domin. defin. IV.*

DEFINITIO XXII.

Quid ſi flumen ita alveum mutet, ut fluere deſinat prope prædium ſerviens?

Sane ſi flumen ita alveum mutaverit, ut prope fundum ſervientem amplius non fluat, atque prædium aliud intermedium ſit, extinguitur ſervitus, ſed interim ſuſpenditur, donec flumen ad priorem alveum forte revertatur, niſi medius quoque locus ſerviat (✠1); ſervitutes enim ruſticæ conſiſtere nequeunt, niſi contiguum ſit utrumque prædium (2), ſecus ac contingit in urbanis (3).

(✠1) *D. L. Hoc jure 3. §. 2. in fine ff. de aqua quotid., & æſtiv.* (43. 20.), *Deciſ. 12. ſeptembris 1736. refer. D. Laurenti in cauſſa Marchioniſſæ Ferreriæ contra Comit. de Belletruus, §. Illud ſpeciatim.*

(2) *L. Qui ſella 7. §. 1. ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

(3) *L. Si ædes 38., & L. ſeqq. ff. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2.), *L. Et ideo 5. ff. ſi ſervit. vindicet.* (8. 5.)

DEFINITIO XXIII.

Hauſtum aquæ habenti competit quoque iter ad hauriendam aquam, & viceverſa.

Cum, ſervitute conceſſa, ea quoque ttibuta exiſtimentur, ſine quibus ſervitute uti non liceret (1), ei, qui habet hauſtum aquæ, iter quoque competere debet ad hauriendam aquam, quamvis de itinere nulla facta fuerit mentio: & viceverſa facultatem adeundi ad fontem privatum ſecum trahit jus aquæ hauriendæ (✠2); prima enim ſine itinere inutilis fieret, iter vero ad fontem nihil prodeſſet, niſi & aquam educere liceret. Sed hoc civiliter, ut ajunt, intelligi debet (3), ad aquam hauriendam, non vero ad alterum uſum (✠4); cum enim limitata ſit cauſſa, limitatum quoque, ut fert vulgatum axioma, parere debet effectum (5).

(1) *L. Quintus Mucius 15. ff. hoc tit. de ſervitutib. prædior. ruſticor.* (8. 3.), *argum. L. ult. ff. de juriſdiction.* (2. 1.)

(✠2) *L. Item ſic poſſunt 3. §. ult. ff. hoc tit., Deciſ. 18. februarii 1650. refer. D. Nomis in cauſſa Comitum Alladii, §. Et putarunt domini, prope finem.*

(5) *L. Obligatione generali 6, & ſeqq. ff. de pignorib.* (20. 1.)

Digitized by Google

(✠4) *Argum. L. Si cui ſimplicius 9. ff. de ſervitutib.* (8. 1.), *Deciſ. 23. junii 1673. refer. D. Raymundo in cauſſa Foſſæ contra Bardum, per tot.*

(5) *L. In agris 16. ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1.)

DEFINITIO XXIV.

Rivi purgatio, & refectio eorum oneri eſt, qui aqua utuntur.

Purgatio, & refectio rivi ad eos pertinet, qui aquæ beneficio fruuntur, quemadmodum in ceteris ſervitutibus obſervatur (1), niſi aliter conventum ſit: incommoda ferre debet, qui habet rei commoda (2). Reficiendi ergo onus ſubeunt, ſed nec impediri poſſunt, quominus rivum purgent, & reficiant, dum ne quid immutent, quod alteri noceat (✠3); ne alioquin aquæ uſus deterior fiat (4). Quod autem de rivis obtinet, fontes, puteos, & cetera hujuſmodi ex rationis identitate complectitur (5).

(1) *L. Etſi forte 6. §. Etiam de ſervitute 2. ff. ſi ſervit. vindic.* (8. 5.)

(2) *L. Secundum naturam 10. ff. de reg. jur.*

(✠3) *L. 1. princip., & §§. ſeqq. ff. de rivis* (43. 21.), *in qua ſingillatim enumerantur, quæ permitti poſſint, vel prohiberi refectionis nomine. Deciſ. 21. aprilis 1732. refer. D. Nomis in cauſſa Marchion. Ardizzoni contra Raynam per totum.*

(4) *D. L. 1. §. 1. ff. de rivis.*

(5) *D. L. 1. princ., & §§. ſeqq.*

DEFINITIO XXV.

Aquæ hauſtum concedere nemo tenetur, niſi ex gravi neceſſitate. Poſſeſſio aquæ hauriendæ titulo familiaritatis nullum jus tribuit.

Vicinus non cogitur, alteri aquæ hauſtum e proprio puteo vendere, niſi huic omnino neceſſarius ſit, nec poſſit aliunde aquam ad uſum neceſſarium habere, maxime ſi ſervitus hæc gravis admodum futura ſit domino fundi, a quo petitus (✠1), prout de ſevitute itineris, aut viæ tradunt interpretes, quæ neceſſaria ſit (2). Plane poſſeſſio hauriendæ aquæ e puteo, vel fonte vicini, titulo familiaritatis, vel precario ad manutentionem non prodeſt, etiamſi de tempore immemoriali hujus poſſeſſionis conſtaret (✠3), prout de ſervitutibus generatim ſuperius diximus (4).

(✠1) *Deciſ. 29. aprilis 1683. refer. D. Torrini in cauſſa Corradi contra Afros, in fine.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. III. §. 1082, & ſeqq. pag. 261.*

(✠3) *L. ult. ff. quemadmod. ſervit. amittant.* (8. 6.), *Deciſ. 12. junii 1680. refer. D. Balegno in cauſſa Roſiæ contra Bertolium, per tot.*

(4) *V. ſupra tit. X. de ſervitutib. defin. XI, & ſeqq.*

DEFINITIO XXVI.

Præſcriptione, & conſuetudine acquiri poteſt jus pecoris paſcendi in alienis agris, ſed pleniores in hac maximi momenti re probationes deſiderantur.

Servitus pecoris paſcendi, ſeu jus ducendi pecoris in prata, nemora, vel agros alterius, ut ibi paſcantur, non tantum utriuſque voluntate, ideſt contractu inter vivos, vel ultima voluntate conſtitui, ſed etiam præſcriptione acquiri poteſt (✠1): præſcriptione, inquam, quadragenaria, vel tricennaria, ſi adſit titulus; immemoriali autem, cum titulus præſto non eſt (✠2), quia ſervitus hæc diſcontinua eſt (3). Atque eadem eſt vis conſuetudinis, quæ in quibuſdam locis viget, ut cuique liceat in alienis prædiis, ad quemcumque pertineant, ſive ad privatos, ſive ad communitatem, ſive etiam ad vaſſallum,

Digitized by Google

vel eccleſiam, & cujuſcumque conditionis ſint bona, ſive allodialia, ſive feudalia, propria animalia ducere, ut ibi depaſcantur (✠4). Atque ita quædam communio, ſeu promiſcua, & reciproca ſervitus inducitur. Verum, cum hic agatur de re maximi momenti, ex qua grave damnum, & periculum imminet dominis prædiorum, plenior exigi debet poſſeſſionis probatio (✠5). Quare non recipiuntur teſtes de auditu, vel deponant de tempore remoto, vel de eo, quod obiter, & in tranſitu viderint (✠6): & generatim teſtibus deponentibus pro ſervitute præferuntur, qui deponunt pro libertate; utpotequia his favet juris præſumtio (✠7).

(✠1) *Deciſ. 9. ſeptembris 1767. refer. D. Beltrami in cauſſa Marchionis Moſſi, & aliorum litis conſortium contra Comit. Surdum, §. Indubia num. 18., & in allegat. num. 19., Deciſ. 19. junii 1680. refer. D. Dentis in cauſſa Comit. loci Volveriæ contra communit., §. Quoad vero ſecundum motivum.*

(✠2) *Deciſ. 2. januarii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Noni de Ploſaſchis contra communitat. Noni, in princip.*

(3) *V. ſupra de ſervitutib. tit. X. definit. VI.*

(✠4) *Deciſ. 19. junii 1742. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Noni contra communitat., §. Nimirum Senatus communitatis capitula admiſit, quibus hæc probaret.*

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Beltramo, §. Sed cum difficilis num. 19, 20, & 21., Deciſ. 8. junii 1676. refer. D. Raſini in cauſſa communitat. Furni Lemiæ contra communit. Uſſellii, in princip., argum. L. Ad probationem 22. cod. de probationib.* (4. 14.)

(✠6) *Deciſ. 29. martii 1749. refer. D. Honorati inter eos de Nigris ab albergato Vico Cilii in Valliſſetis contra eos de Sella Fraſca, & Orlongo, §. Atque inprimis num. 26, & ſeqq., ubi agebatur de poſſeſſione paſcendi, lignendi, & ſtramandi, Argum. cap. Licet ex quadam 47. extra de teſtibus* (2. 20.), *§. Retinenda 4. in fin. inſtit. de interdict.* (4. 15.), *Novel. 90. cap. Et licet 2.*

(✠7) *Deciſ. 16. junii 1699. refer. D. Provana in cauſſa Comit. Avogadri loci Quinti contra Abbat. Brevillam, §. Ulterius reſponſum fuit, & ſeqq., L. Altius 9., & L. ſeq. cod. hoc tit. de ſervitut.* (3. 34.)

DEFINITIO XXVII.

Servitus pecoris paſcendi jure communionis interdum competit in paſcuis publicis. An forenſibus proſit hæc communio?

Jure quoque communionis interdum competere poteſt ſervitus pecoris paſcendi, non eo, quod privatorum voluntate inductum ſit (1); ſed quid ſine ulla conventione obtinet in paſcuis publicis, ſeu communibus; univerſitates enim res quaſdam communes habent, quarum proprietas ad ipſam univerſitatem ſpectat, uſus vero omnibus, qui de eadem univerſitate ſunt (2), inter quas paſcua quoque computantur. Inter eos autem de univerſitate forenſes, ſeu illi, qui bona poſſident in loco, quamvis alibi domicilium habeant, recenſentur, ut ſupra oſtendimus (3); conveniens enim eſt, ut forenſes æque gaudeant juribus realibus loci, in quo bona habent, quemadmodum oneribus realibus ſubjiciuntur, niſi aliter forte ſuadeat legitima aliqua cauſſa (✠4): dummodo prius probent, ſe bona in loco poſſidere, cum hæc conditio fundamentum ſit juris paſcendi (✠5).

(1) *De quo agitur in L. Teſtatrix 20. §. 1. ff. de ſervit. vindic.* (8. 6.)

(2) *L. 1. §. 1. ff. quod cujuſque univerſitat.* (4. 4.)

(3) *V. lib. I. tit. I. de legib. definit. XXI., & tit. II. de ſtatut. defin. XIII.*

Digitized by Google

(✠4) *L. Secundum naturam* 10. *ff. de reg. jur.*, *Deciſ.* 25. *junii* 1675. *refer. D. Balegno in cauſſa Rubei contra communit. Cereſolarum per tot.*, *Sent. Senat. menſe februarii* 1738. *refer. D. Laurenti in cauſſa communit. Buſſolini contra communit. Mathiæ*.

(✠5) *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1676. *refer. D. Torrini in cauſſa communit. Graverianum contra Comit. Alemanni per tot.*

DEFINITIO XXVIII.

Quem animalium numerum in paſcua publica ducere liceat.

Quis autem animalium numerus in paſcua publica duci poſſit, res eſt definienda judicio peritorum, qui diligenter perpendere debent pascuorum quantitatem, & qualitatem, tum etiam quantitatem bonorum, quæ a municipibus, vel forenſibus in loco poſſidentur (✠1), ut ita uniuſcujuſque utilitati convenienter proſpiciantur (2).

(✠1) *Deciſ.* 16. *ſeptembris* 1669. *refer. D. de Mazzettis in cauſſa Communitat. Verolenghi contra particulares Rondissoni*, *per tot.*, *d. Sentent. Senat. refer. D. Laurenti* (*defin. præced.*), *Dec.* 7. *junii* 1659. *refer. D. Dalmazzono in cauſſa Comit. Malabaila contra Communitat. Antignani*, *in qua etiam traditur*, *in nemoribus communibus quemque poſſe deſumere ligna pro ſuo uſu*: *maxime ſi jus hoc ex contractu repetat*, *non tamen vendi poſſe in alterius præjudicium*, *licet a contractu quaſitum ſit*.

(2) *Menoc. de arbitrar. quæſt. lib.* 2. *caſ.* 245., *Brunneman. in cod. de paſc. public.* 11. *tit.* 60. *lit.* 2. *num.* 8.

DEFINITIO XXIX.

Univerſitas poteſt ex cauſſa interdicere paſcua publica, *vel prohibere*, *ne quædam animalia in ea ducantur*.

Poteſt tamen communitas, ſi ita ſuadeat publicum bonum, paſcua interdicere, vel quibuſdam anni temporibus, vel in perpetuum, atque ea ad culturam reducere (✠1): potiori ratione ad tempus locare (✠2), vel prohibere, ne quædam animalium ſpecies, puta oves, in paſcua publica ducantur paſcendi cauſſa, vel etiam in territorio retineantur (3).

(✠1) *L. penult. ff. de durat. ab ordin. faciend.* (50. 9.), *d. Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1676. *refer. D. Torrini in cauſſa Communit. Gravariarum contra Comit. Alemandi*, *in princip.*, *Deciſ.* 23. *junii* 1675 *refer. D. Balegni in cauſſa Rubei contra Communit. Cereſolarum*, *in princip.*, *Deciſ.* 19. *junii* 1680. *refer. D. Dentis in cauſſa Comit. loci Volveriæ contra Communit.*, *in fin.*, *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1742. *refer. D. Enrici in cauſſa univerſit. Lombardorii contra particular. per tot.*

(✠2) *L. Lucius Titius* 21. §. *ult. ff ad municipal.* (50. 1.), *Deciſ.* 20. *decembris* 1684. *refer. D. Manaſſerio in cauſſa communit. Viuci contra particul. d. loci in fine*.

(3) *V. lib. I. tit. II. de ſtatut. definit. I.*

DEFINITIO XXX.

Paſcuorum jus vaſſallis conceſſum non prodeſt, *niſi quatenus Princeps tempore inveſtituræ eo fruebatur*.

Paſcendi jus ex Principis quidem conceſſione haberi poteſt; qui aliquando il-

lud in vaſſallos transfert, ſed in generali, & indefinita paſcuorum per inveſtituras feudi conceſſione jus hoc non continetur, niſi quatenus Princeps tempore conceſſionis eo fruebatur (✠1); Principis enim beneficia ita ſemper interpretanda ſunt, ne alteri noceant (2).

(✠1) *Deciſ. 5. octobris 1736. ref. D. Brucco in cauſſa Comit. Capris a Leſſulo contra Communit. ejuſdem loci, §. His tamen non obſtantibus.*

(2) *L. Prætor ait 2. §. Merito 10., & §. Si quis a principe 16. ff. ne quid in loco publ.* (43. 8.)

DEFINITIO XXXI.

Vaſſalli animalia ſua immittere poſſunt, moderate tamen, tametſi de paſcuis ampliſſime, & ad libitum ſint inveſtiti.

Quod modo diximus (defin. præced.), ita accipiendum eſt, ne paſcua publica ad vaſſallum ita pertinere videantur, ut ea pro arbitrio prohibere, vel locare poſſit; nemini enim dubium eſt, quominus vaſſallis liceat pro rata parte ſuæ juriſdictionis, proportione quoque habita bonorum, quæ in territorio, poſſident; ſua animalia in publica paſcua mittere; moderate tamen; hoc enim jure gaudent non ſolum tamquam vaſſalli, adeoque veluti in populum, & territorium juriſdictionem exercentes, ſed & tamquam alii de populo, & concives (✠1); quamvis in loco non habitent, & bonorum exiguam quantitatem poſſideant ex communiori ſententia, ſaltem ſi de paſcuis fuerint inveſtiti (✠2). Moderate diximus; non enim iis permittendum eſt, ut ad libitum animalia immittant in paſcua publica (✠3); quamvis proponerentur de paſcuis ampliſſime, & ad libitum inveſtiti; nam & naturalis ratio, & jus ſocietatis, quod inter compaſcentes tacite inducitur, prohibent, ne quis re communi ita utatur, ut alii eodem frui impediantur; ampliſſima autem, & generalia inveſtituræ verba intelligi debent, ne jus alteri quæſitum tollant (✠4).

(✠1) *Deciſ. 19. junii 1680. ref. D. Dentis in cauſſa Comit. loci Volveriæ contra communit. in princip., Deciſ. 31 januarii 1730. refer. D. Guiller in cauſſa Vaſſalli Ramelli contra communit. Cellarum per tot., Perez. in cod. lib. II. tit. 60. num. 7.*

(✠2) *Canc. variar. reſolut. part. 3. cap. 4. num. 63., d. Deciſ. refer. D. Dentis, §. Et primo tamquam vaſſalli, argum. L. Imperatores 17. ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

(✠3) *D. Deciſ. ref. D. Dentis, §. Et primo tamquam vaſſalli, argum. L. Imperatores 17. ff. hoc tit. de ſervit. prædior. ruſticor.* (8. 3.)

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Dentis, & d. §., d. L. 17. ff. hoc tit. de ſervitut. prædior. ruſticor., d. L. 2. §. 10., & 16. ff. ne quid in loco public.* (43. 9.)

DEFINITIO XXXII.

An paſcua exteris concedere poſſint vaſſalli, qui de illis legitime inveſtiti fuerint.

An vaſſalli de paſcuis legitime inveſtiti poſſint paſcua exteris concedere (✠1), ardua quæſtio eſt, in qua tamen placet ſententia affirmantium, jus fidandi paſcua exteris vaſſallo loci unice competere ad excluſionem alterius (✠2); quia jus quoddam regale eſt ad minora tamen regalia pertinens, quæ vaſſallis concedi ſolent (✠3). Cum tamen jus hoc graviſſimi momenti ſit, & maxime oneroſum civibus, admitti non debet, niſi apertis probationibus a Principe conceſſum, vel longa præſcriptione acquiſitum demonſtretur (✠4). Quamvis autem vaſſalli conceſſionem, vel præſcriptionem legitime inductum probent, ſi tamen paſcua omnia ſint neceſſaria pro animalibus concivium, quorum numerus auctus ſit, vel ob paſcua

Digitized by Google

imminuta, exteris paſcua permittere nequeunt (✠5), ita enim velle Princeps præſumitur (6): atque intra hos limites coercendam eſſe præſcriptionem ſuadet ipſa naturalis æquitas, & ordinata caritas.

(✠1) *Quod ſidandi, & ſidarum jus vocant pragmatici, Deciſ. 2. januarii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Noni contra Communitat., §. Prædicta vero.*

(✠2) *Deciſ. 16. junii 1699. refer. D. Provana in cauſſa Comit. Avogadri loci Quinti contra Abbatem Brevillam, §. Primo quia etiam dominus, Deluca de regalibus diſc. 94. num. 2., & diſc. 95. num. 3.*

(✠3) *D. Deciſ. 2. januarii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Noni contra communit. ejuſdem loci, §. Prædicta vero.*

(✠4) *D. deciſ. 2. januarii 1730. refer. D. Demorra, in princip., d. Deciſ. refer. Guilleu in cauſſa Vaſſalli Ramelli contra communit. Cellarum.*

(✠5) *L. Venditor 13. §. 1. ff. commun. præd. (8. 4.), Deciſ. 17. aprilis 1676. refer. D. Raſini in cauſſa Comit. Villænovæ Salutiarum contra communitat. in fin.*

(6) *L. Prætor ait 2. §. Merito 10, & §. Si quis ex Principe 16. ff. ne quid in loco publ. (43. 8.)*

DEFINITIO XXXIII.

Vaſſallis non licet propria, vel aliena animalia paſcere in agris privatorum, licet de paſcuis inveſtiti ſint, niſi præſcriptione, vel conſuetudine hoc jus acquiſierint.

Potiori ratione prohibentur vaſſalli, ne propria, vel aliena animalia paſcant in agris privatorum, etiamſi paſcuorum jus inveſtitura contineatur (✠1), niſi jus hoc legitima præſcriptione acquiſierint, vel conſuetudine inductum ſit, prout obtinet quibuſdam in locis, ut poſt recollectos fructus cuivis liceat in alienos agros propria animalia ducere paſcendi cauſſa, quod nec impediri poſſe aliqui ſentiunt (2); ea moti æquitatis ratione, quæ vult, ut alter in alterius prædio ea facere poſſit, quæ ſibi proſunt, alteri vero non nocent (3).

(✠1) *Hæc enim clauſula ex veroſimiliori Principis concedentis mente, qui jus alterius lædere velle non præſumitur, d. L. Prætor ait 2. §. 10, & 16. ff. ne quid in loco publ., referri debet ad propria feudi paſcua, vel ad communia, Deciſ. 9. idus ſeptembris 1767. refer. D. Beltramo in cauſſa Marchion. Moſſi, & alios litis conſortes contra communitat. Surdum, §. Licet enim num. 10, & 11, ubi dicitur ita deciſum in cauſſa feudi Leſſuli refer. D. Brueco, & Deciſ. 19. junii 1680. refer. D. Dentis in cauſſa Comit. Volveriæ contra communit., Deciſ. 2. januarii 1730. refer. D. Demorra in cauſſa Comit. Noni contra communitat., §. Super hac, & ſeqq. in princip., Deciſ. 2. ſeptembris 1774. refer. D. Plazaert in cauſſa univerſitat. Gallianici contra Principem Maſſerani, §. Quo circa conveniunt, poſt num. 7.*

(2) *Perez. in cod. de paſc. publ. lib. 11. tit. 60. num. 8., Coanerius pratic. quæſt. lib. 7. num. 1, 2, & 5.*

(3) *L. In ſumma 2. §. Item Varus 5. ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend. (39. 3.)*

DEFINITIO XXXIV.

Vaſſallus, quamvis ſit in poſſeſſione immittendi alienas pecudes in paſcua privatorum, ſi hæc ad culturam, ipſo conſentiente, redacta fuerint, non amplius poteſt eas in agros immittere.

Hinc, quamvis proponeretur vaſſallus in poſſeſſione alienas pecudes in paſcua privatorum immittendi, ſi hæc ad culturam redacta fuerint, ſciente, & conſentiente vaſſallo, eo jure frui am-

plius non poteſt (✠1); tum quia publice intereſt, ne privatorum fundi deſerviant tamquam paſcua publica ad paſcenda animalia exterorum (2); tum quia vaſſalli paſcuorum culturæ conſentientes juri ſuo tacite renunciaſſe videntur.

(✠1) *D. Deciſ. 17. aprilis 1676. refer. D. Raſini in cauſſa Comit. Villanovæ Solariorum contra communitat., in princip.*

(2) *Argum. L. Inſignis 2. cod. de paſcuis public.* (11. 60.)

DEFINITIO XXXV.

Verba contrahentium, quibus inducta ſit, communio paſcuorum, ita interpretanda ſunt, ut proſpectum ſit utriuſque utilitati.

Si paſcuorum uſus communis ex pacto ſit, ſeu vigeat paſcuorum communio, atque dubitetur, quæ ſit pro ſingulis ſociis utendi modus, regula generalis eſt, modum conventione præſcriptum ſervandum eſſe, niſi forte aliud ſuadeat æquitas, vel nova, quæ emerſerint adjuncta; quæ enim de novo emergunt ex trito axiomate novo indigent auxilio (1). Quod ſi contrahentium mens non omnino manifeſta ſit, ita explicari debent obſcura, vel ambigua conventionis verba, ut utriuſque utilitati, & indemnitati proſpectum ſit (2). Si ergo fingamus, inter confines univerſitates conveniſſe, ut viciſſim liceat alteri in alterius paſcua pecudes ducere paſcendi cauſſa, ita interpretanda non eſt conventio, ut alter tunc tantum paſcere permittatur, cum paſcendi jus, herba conſumta, ſupervacaneum futurum eſt (✠3).

(1) *L. De ætate 11. §. Ex cauſſa 8. ff. de interrogat. in jur. fac.* (11. 1.)

(2) *L. Cum emtor 5., L. Si id, quod pure 7. §. 1. ff. de reſcindend. vendition.* (18. 5.)

(✠3) *Deciſ. 4. aprilis 1772. refer. D. Paoletto in cauſſa communit. Montis Criſtiſii contra communit. Toceni, §. Quanam hoc poſito num. 18.*

DEFINITIO XXXVI.

Quid ſi convenerit, ne fiat paſcuorum communium diviſio, niſi ex conſenſu ſociorum?

Rata conventio eſt, ne paſcuorum tum proprietate, tum uſu communium diviſio fiat, neque ab ea recedi temere poteſt; ea enim conventione non perpetua ſocietas, quæ facilius ſolvitur, nec jure firmatur (1), contracta eſt, ſed reciproca ſervitus, quæ per ſe tamdiu durat, quamdiu ſubſiſtit prædium (✠2), cui inhæret (3). Si tamen tanta paſcuorum communium quantitas eſſet, ut paſcendi uſus neceſſitatem excederet, publicæ utilitatis cauſſa permittenda eſſet diviſio hæc, ut pars excedens ad culturam reducatur (✠4). Quid vero dicendum ſi paſcuorum diviſio prohibita non fuerit, alibi expendimus (5).

(1) *L. Si convenerit 14., L. Nulla 70. ff. pro ſocio* (17. 2.)

(✠2) *Deciſ. 5. decembris 1731. refer. D. Nomis inter Vaſſallos, & communit. Govoni, per tot.*

(3) *L. Quid ſunt aliud 86. ff. de verb. ſignificat.*

(✠4) *D. Deciſ. ref. D. Nomis.*

(5) *V. Juriſpr. Tom. III. §. 1178, & ſeqq. pag. 281.*

DEFINITIO XXXVII.

Qua ratione fieri debeat paſcuorum communium diviſio quoad uſum inter ſocios.

Cum paſcuorum communium diviſio quoad uſum inter ſocios facienda eſt; quæque fieri poteſt, vel per regiones

Digitized by Google

agrorum, ſi agri diviſionem hanc recipiant; vel per tempora, aut numerum pecoris, quod ad paſcua ducitur (1). Dubitari poteſt, utrum diviſio hæc in partes æquales fieri debeat, an proportione habita quantitatis bonorum, pecoris, vel etiam peſonarum, ſi paſcua communia ſint duarum univerſitatum: ſed genaralis regula eſt, diviſionem in partes æquales fieri debere, potiſſimum, ſi proprietas quoque communis ſit (✠2); quia communio, niſi aliud demonſtretur, in dubio præſumitur utrinque æqualis (3).

(1) *L. Communi dividundo 7. §. Cum de uſufructu* 10. *ff. comm. divid.* (10. 3.), *Theſ. deciſ.* 71. *num.* 2.

(✠2) *Theſaur. d. deciſ.* 72. *num.* 3. ✠, *Deciſ.* 24. *novembris* 1734. *refer. D. Guiller in cauſſa communit. Civiaſchi, Moriundi, & Rochæ, in qua Senatus pronunciavit paſcuorum, & bonorum communium diviſionem æqualiter faciendam eſſe inter communitates Rochæ, Civiaſchi, & Moriondi, non pro modo perſonarum, aut poſſeſſionum; ita tamen, ut bona cuique communitati aſſignentur, quæ magis vicina, & magis commoda ſunt; quia, licet tunc unaquæque ſeparatum corpus conſtitueret, prius tamen unum corpus conſtituebant: poſt diviſionem autem paſcua adhuc communia relicta fuerant. Inſuper cenſuit, aſſociationes forenſium, ut & alias ſimiles conceſſiones a communitate Rochæ (quæ ſe matricem contendebat) factas, inconſultis civitatibus Civiaſchi, & Moriondi, non ſuſtineri, niſi quoad bona, quæ in tali diviſione ad communitatem perveniſſent. Quoad contractus emphyteuticas, cenſuit, canones deberi communitati, ad quam bona hæc per diviſionem pervenirent; neque enim communitas matrix poteſt bona, vel loca ſua in extraneos transferre, L. unic cod. non licere habitat. metricom.* (11. 55.)

(3) *L. Nomen* 164. §. 1. *ff. de verb. ſignificat., L. Etiam partis* 43. *ff. de uſufructu* (7. 1.)

DEFINITIO XXXVIII.

Paſcuorum communium diviſio etiam fieri poteſt pro rata perſonarum, poſſeſſionum, & pecorum. Quid ſi paſcua ſint communia inter vaſſallos?

Paſcuorum communium diviſio fieri poteſt, & debet pro rata neceſſitatis, ſeu perſonarum, poſſeſſionum, & pecoris, non tantum cum communio hæc jure ſervitutis innititur, atque proprietas unius eſt (1); ſed etiam, quoties communio præſumi debet inducta non ſimpliciter, ſed proportione habita neceſſitatis, & utilitatis. Hinc cenſuit ſenatus, diviſionem paſcui communis a Principe univerſitati conceſſi, ad ratum regiſtri, & capitum domorum faciendam eſſe (2); rerum enim communium univerſitatis omnes quidem partem habent, non tamen eandem, ſed habita proportione; ſicut nec omnes eandem onerum partem ferunt. Hinc etiam paſcua inter plures ejuſdem loci vaſſallos communia non in partes æquales dividenda ſunt, ſed proportione habita juriſdictionis, quam ſinguli habent; quemadmodum ſolet obſervari in facultate judicis nominandi, quæ pluribus vaſſallis competat (✠3); cum enim a juriſdictione in vim feudi conceſſa paſcuorum jure fruantur, æquum eſt, ut ab ea paſcuorum diviſionem dimetiamur, ne effectus latius pateat, quam cauſſa (4).

(1) *Theſaur. d. deciſ.* 72. *num.* 2., & 3.

(2) *Theſaur. d. deciſ.* 72. *in adcit. in fine* ✠

(✠3) *Deciſ.* 17. *junii* 1647. *refer. D. Barberis in cauſſa Comit. Ponte contra Comit. Solarium, in fin.*

(4) *L. Reſcriptum* 6. *ff. de his, quæ ut indign.* (34. 9.)

Digitized by Google

DEFINITIO XXXIX.

Animalia paſcendi cauſſa duci nequeunt in novelletum, nec ubi adſunt vites, ſegetes, & arbores fructiferæ, quibus noceatur.

Cum unuſquiſque jure ſuo ita uti debeat, ne grave alteri damnum pariat, dum ſibi aliquod emolumentum quærit, quocumque titulo paſcendi facultas alteri competat, jure noſtro vetitum eſt, ne animalia potiſſimum capræ, & oves, pabuli cauſſa ducantur in ſylvas, donec arbores ita creverint, ut damno afſici nequeant (1): vel in plantarum ſeminaria (2). Neque etiam publica utilitas patitur, ut pecora depaſcantur in agris, ubi adſunt vites, ſegetes, & arbores fructiferæ, quibus noceatur (✠3).

(1) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 9. §. 15.*

(2) *Reg. conſtit. ibid. §. 16, & 17.*

(✠3) *L. Inſignis 2. cod. de paſcuis publicis* (11. 60.), *Deciſ.* 10. *februarii* 1676. *refer. D. Viliono in cauſſa Comit. Trojani Rotarii contra particular Guarenæ per tot.*

DEFINITIO XL.

Jus pecoris paſcendi in paſcuis communibus non amittitur, licet univerſitas paſcua diſtrahat. An emtori competat actio quanti minoris?

Jus paſcendi pecoris in paſcuis communibus univerſitatis non amittitur, quamvis univerſitas paſcua alienet, & in alium transferat (✠1); etenim jus hoc prædiis ipſis inhæret, adeoque in ſucceſſores tranſit (2). Neque hujuſce uſus communis ratione ulla præſtanda eſt emtori evictio, nec competit actio quanti minoris; quia uſus hic, ſive jus nihil commune habet cum dominio ad percipiendos fructus prædiorum, neque conſiderari poteſt veluti ſervitus, qua pretium fundi imminuatur (✠3).

(✠1) *Deciſ. 27. januarii 1703. refer. D. Provana in cauſſa PP. Societ. Jeſu collegii veteris Taurini contra PP. s. Dominici, Præſidem Ferrerii, & litis conſortes, §. Ducimur enim, prope fin. deciſ.*

(2) *L. Teſtatrix* 20. §. 1. *ff. de ſervit. vindicet.* (8. 5.)

(✠3) *Deluca de feud. diſcurſ. 65. num. 8, & 9, Deciſ. refer. D. Provana, §. Uſus paſcendi, fere in fine deciſ.*

TITULUS XIV.

Communia prædiorum tam urbanorum, quam ruſticorum.

DEFINITIO I.

Servitutes non præſumuntur, ſed probari debent ab allegante.

Servitutes, utpote naturali, ita dicam, prædiorum libertati contrariæ, odioſæ ſunt, & ſtrictam recipiunt interpretationem (1), regulariter non præſumuntur, ſed probari debent (✠2): atque ſufficit, ut ille, qui liberum ab omni ſervitute prædium ſuum contendit, ejus dominium probet; quo præſtito, onus ſervitutem probandi teſtamento, pactionibus, vel præſcriptione quæſitam incumbit aſſerenti, qui ſervitutem vindicat (✠3).

(1) *V. ſupra tit. X. de ſervitutib. prædior. ruſticor. defin. I.*

(✠2) *L. Cum eo 9. ff. de ſervitutib. prædior. urbanor.* (8. 2.), *L. Si in ædibus 9. cod. hoc tit. de ſervitutib.* (3. 34.), *Deciſ. 13. martii 1662. refer. D. Bellini in cauſſa Buronti, & Berzetti, in med., Deciſ. 20. junii 1672. refer.*

Digitized by Google

D. Manaſſerio in cauſſa Panealbi, & Berlendæ contra Capellinum, per tot., Deciſ. 22. ſeptembris 1726. ref. D. Guiller in cauſſa Mombelli contra Paniceram, §. Nec obſtant, Deciſ. 27. januarii 1673. refer. D. Rolando in cauſſa utrinq. Dao, in princip.

(✠3) *L. De ſervitutibus 2. ff. ſi ſervit. vindic.* (8. 5.), *L. Sive poſſideatis 16. cod. de probationib.* (4. 19.), *Deciſ. 26. februarii 1663. refer. D. Viliono in cauſſa Raverium contra Gilium, in fine princip.*

DEFINITIO II.

Servitute conceſſa, id tantum intelligitur datum, quod expreſſum verbis eſt; niſi ſervitus alioquin inutilis futura ſit.

Ex ſuperiore regula (defin. præced.) fluit, non amplius, conceſſa ſervitute, tributum intelligi, quam quod verbis expreſſum eſt, ita ut pro omiſſo habeatur id, de quo ſpecialis mentio facta non eſt (✠1): niſi forte alterum ab altero ſeparari nequeat, puta iter ad aquam e rivo, vel puteo hauriendam ei, qui jus habet hauriendæ aquæ (2).

(✠1) *L. 1. §. Julianus 5. ff. de itin., actuque privat.* (43. 19.), *Deciſ. 9. ſeptembris 1656. refer. D. Abeccleſia in cauſſa de Ceveris contra Peronam, & Rolandonum, §. Verum in hac ſpecie, in qua agebatur de pacto inito inter emtorem, & venditorem, ne heredes venditoris poſſent auferre claritatem, & lumen feneſtris domus venditæ, nec in ejus viridario opus aliquod facere, quod vel hominibus, vel parieti, vel domui venditæ officeret: atque Senatus pronunciavit, licere venditori, ſeu cauſſam habenti ab eo altius murum elevare in quadam viridarii parte, ad quam contrahentes non videbantur expreſſim reſpexiſſe.*

(2) *V. tit. præced. XIII. defin. XXIII.*

DEFINITIO III.

Servitutes conjecturis etiam aliquando probari poſſunt.

Quamquam ſervitutes, utpote contra naturalem prædii libertatem non præſumuntur, ſed ab allegante probandæ ſunt (defin. I.), probandæ, inquam, conſuetis modis, nimirum teſtibus, inſtrumentis, judicum pronunciationibus: conjecturæ tamen, præſertim in antiquis, aliquando admittuntur (✠1); leviores enim probationes recipiuntur in illis, quorum probatio difficilis eſt (2). Conjecturæ autem deſumuntur ex prædii conditione, ſitu, figura; puta ſi de ſervitute aquæductus, vel aquæ hauſtus quæſtio ſit, ex ſitientis agri omnimoda neceſſitate; ſi alius non pateat aditus ad prædium, cum itineris, actus, vel viæ ſervitus debita contenditur: graviſſimum damnum vicini luminibus fiat, ſi alia domus magis attollatur, & ſimilibus.

(✠1) *Deciſ. 9. aprilis 1753. refer. D. Boggio in cauſſa Minaudi, & Baſtiæ num. 19., ubi de via neceſſaria ad capſinam, Deciſ. 17. junii 1768. refer. D. Mazzè inter fratres Marcellinos, & Chiabert, §. Etſi enim tuta ſunt juris loca, ubi de non altius tollendo cum graviſſimo luminum vicini diſpendio.*

(2) *L. Non omnes 5. §. A Barbaris 6. ff. de re militari* (49. 16.)

DEFINITIO IV.

Cum de poſſeſſione ſervitutis contenditur, non tenetur probare illam legitime conſtitutam fuiſſe is, quem adverſarius in poſſeſſione ſervitutis eſſe fatetur.

Immo neque ſervitutis conſtitutæ probatio neceſſaria eſt, cum de poſſeſſione diſputatur, ſi negatoria agens fateatur alterum eſſe in poſſeſſione ſervitutis (✠1),

Digitized by Google

vel ſaltem ea feciſſe, quæ in vim ſervitutis plerumque fieri ſolent, puta jumentum, aut vehiculum duxiſſe, quamvis hæc non ſervitutis, ſed familiaritatis, vel precarii jure, vel clam facta fuiſſe contendat (2); precarii enim, & familiaritatis jus ad donationem accedit, quæ non præſumitur (3), delictum vero ſapit, quod clam fit, adeoque præſumi non debet (4). Quare præſumtio fortior infirmiorem tollit, ut in alterum contrariæ probationis onus transferatur (5).

(✠1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 3. tit. 24. defin. 8., Deciſ. 24. aprilis 1744. refer. D. Demorra in cauſſa Nigri contra fratr. de Triulſis, per tot.*

(2) *Fab. d. defin. 8. num. 5, & ſeqq. in corp.*

(3) *L. Cum de indebito 25. in med. ff. de probationib.* (22. 3.), *junct. L. Filiusfamilias 7. ff. de donationib.* (39. 5.)

(4) *L. Merito 51. ff. pro ſocio* (17. 2.)

(5) *L. Si chirographum 24. ff. de probationib., L. Neſennius 34. ff. de negot. geſt.* (3. 5.), *L. Alimenta 11. cod. eod. tit.* (2. 19.)

TITULUS XV.

Quemadmodum ſervitutes amittantur.

DEFINITIO I.

Servitutes extinguuntur confuſione, ſeu conſolidatione.

Extinguitur ſervitus confuſione, ſeu conſolidatione, cum utriuſque prædii dominantis, & ſervientis idem dominus fit (✠1): ex trito axiomate res ſua nemini ſervit (2). Quare ſi duo pro indiviſo domini ejuſdem communis fundi alium communiter acquirant, qui ſervitutem debeat, extinguitur ſervitus; cum par utriuſque in emto fundo ſit jus (3). Sed ſi duo communiter emant fundum, qui ſervitutem prius debebat alteri fundo, qui proprius unius ſit, adhuc conſiſtit ſervitus; cum fundus communis proprio alterius fundo ſervire poſſit (4): neque videtur res propria domino ſervire; quia res communis pro parte aliena eſt (5).

(✠1) *L. 1. ff. hoc tit. quemadmod. ſervit. amitt.* (8. 6.), *Deciſ. 17. martii 1745. refer. D. Honorati in cauſſa Marchion. Perachini a Ciliano contra fratr. de Orta, & alios, §. In civilem, Deciſ. 19. kal. julii 1768. refer. D. Bruno in cauſſa Collegiatæ Carmanoliæ contra Caſtellaſſo, §. Ejuſdem furfuris.*

(2) *L. Uti frui 5. ff. ſi uſusfruct. petatur* (7. 6.)

(3) *L. Si communi 27. ff. de ſervit. præd. ruſtic.* (8. 3.)

(4) *D. L. 27. ff. de ſervit. prædior. ruſticor.*

(5) *L. Illud dubitationis 46. ff. de rit. nuptiar.* (23. 2.), *L. Pupillus 239. ff. de verb. ſignificat.*

TITULUS XVI.

De uſufructu: quibus modis conſtituatur, & acquiratur.

DEFINITIO I.

Quid ſi teſtator heredem in uſufructu omnium bonorum inſtituerit Titium, Sempronium vero in proprietate, ſed nonniſi poſt mortem Titii.

Si teſtator, herede inſtituto Titio in uſufructu omnium bonorum, proprietatis heredem ſcripſerit Sempronium, ſed nonniſi poſt Titii mortem, rigore quidem juris inſpecto, vim non habet hu-

juſmodi diſpoſitio; etenim uſufructuarius etiam omnium bonorum, legatario comparatur, utpotecui res hereditaria relicta eſt, non hereditatis portio (1), legatum vero ab herede præſtari debet (2), nec poteſt præſtari, niſi adita hereditate, quam heres proprietatis in hac ſpecie adire non poteſt, niſi poſt uſufructuarii mortem. Quia tamen poſtrema morientium elogia, æque ac contractus, quantum fieri poteſt, ſuſtineri debent (3): immo benignior fit teſtamentorum interpretatio (4), & potius verba explicantur ratione habita voluntatis, quam ſonus (5): idcirco ejuſmodi inſtitutio, ſeu legatum uſusfructus omnium bonorum ita interpretari receptum eſt, ut Sempronius pure heres ſit totius proprietatis, ſed Titio uſumfructum cedat: neque alio conſilio Sempronii inſtitutionem poſt Titii mortem diſtuliſſe cenſetur teſtator, quam ut ſignificaret, nonniſi defuncto Titio emolumentum hereditatis ad Sempronium perventurum eſſe (✠6), quemadmodum in aliis caſibus jureconſultis placuit, ex probabili teſtatoris mente puram æſtimare diſpoſitionem, quæ ex obvio verborum ſenſu conditionalis videretur: ita ut actio quidem ad rem legatam petendam differatur, non autem in ſuſpenſo ſit jus legatarii (7).

(1) *L. Quoties* 13. *cod. de herebib. inſt.* (6. 24.)

(2) §. 1. *inſtit. de legat.* (2. 20.)

(3) *L. Quoties* 12, *L. Ubi eſt* 21. *ff. de reb. dubiis* (34. 5.)

(4) *L. In teſtamentis* 12. *ff. de reg. juris*.

(5) *L. Cum in teſtamento* 24. *ff. de reb. dubiis*.

(✠6) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 81. *num.* 1. ✠, *Deciſ.* 8. *aprilis* 1652. *refer. D. Piſeina in cauſſa PP. Carmelit. Claraſci contra Vibertum, in princip.*

(7) *L. Ex his verbis* 5. *cod. Quando dies legator.* (6. 53.), *L. Firmio Heliodoro* 26. §. 1. *ff. eod. tit.* (36. 2.)

DEFINITIO II.

Uſufructuarius omnium bonorum non reputatur heres fideicommiſſo erga proprietatis heredem oneratus, ſed legatarii loco eſt.

Hinc ſponte fluit, uſufructuarium hunc (defin. præced.) omnium bonorum non eſſe loco heredis fideicommiſſo onerati favore heredis ſcripti in proprietate poſt ipſius uſufructuarii mortem, ſed legatario comparari debere; atque heredem proprietatis pure heredem eſſe, & adire poſſe hereditatem (✠1). Quod multo magis obtinere debet, ut ſcite animadvertit Theſaurus, cum uſufructuario aliud ſingulare legatum reliquit teſtator (2); vel uſufructuarium a redditione rationum liberavit (3); quia idem non poteſt ſimul heres eſſe, & legatarius (4); immunitas autem tributa a redditione rationum ſupponit aliquem heredem eſſe, cui alioquin ratio reddenda foret. Quod ſi heres nolit, vel non poſſit hereditatem adire, ad uſufructuarium quoque perveniet proprietas (5); niſi ipſi præmoriatur heres (6).

(✠1) *Theſaur. d. lib.* 3. *quæſt.* 81. *num.* 3. ✠, *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1744. *refer. D. Laurenti in cauſſa utrinque Maſſaroli*, §. *Verum, licet ſuper his*.

(2) *Theſ. d. lib.* 3. *quæſt.* 81. *num.* 4.

(3) *Theſaur. ibid. d. num.* 4.

(4) *L. Legatum eſt* 116. §. 1. *ff. de legat.* 1. (30. 1.)

(5) *L.* 1. §. *Si ex fundo* 4., *L. Quoties* 9. §. *Si duo* 13. *ff. de heredib. inſtit.* (18. 5.), *L. Coheredi* 41. §. *ult. in fin. ff. de vulg., & pupill. ſubſtit.* (28. 6.)

(6) *V. Juriſpr. Tom. III.* §. 1302. *p.* 309.

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Legatum proprietatis fundi non convertitur in legatum uſusfructus, quamvis teſtator adjecerit, ſe ita legare, ut legatarius inde percipiat alimenta, vel ut fundo utatur, fruatur.

Cum mutatio voluntatis in teſtatore nec facile, nec perperam præſumenda ſit, teſtator, qui fundi proprietatem legans, rationem legandi adjiciat, ut inde legatarius neceſſaria percipiat alimenta: vel ut eo utatur, fruatur, naturam legati per adjectionem hanc non præſumitur immutaſſe (1); adjectio hæc, ut ſcite animadvertit Jureconſultus, magis pertinet ad cauſſam legandi, quam ad cuſtodiendum uſumfructum (2). Cum autem teſtator, herede univerſali inſtituto uno ex duobus fratribus, quos ſuperſtites habebat, alteri legaſſet fundum, ea tamen conditione adjecta, ut, vivente legatario, fundi fructus inter hunc, atque heredem univerſalem æquis partibus dividerentur, ratione itidem ſuperaddita, ut ita facilius ſervetur, quæ ſæpe rara eſt inter fratres concordia, placuit legatum proprietatis converti in legatum uſusfructus, ita ut legatario decedente fundus ad heredem univerſalem pleno jure pertineret (✠3). Sententia hæc ſingularibus adjunctis nititur, quibus deficientibus firma manet generalis regula.

(1) *L. Libertis 4. ff. de alimentis, vel cibar. legat.* (34. 1.)

(2) *L. Cum alimenta 22. §. 1. in fine ff. eod. tit.*

(✠3) *Sent. Senat. 25. auguſti 1736. refer. D. Caſſotti in cauſſa utrinque Tariſſi.*

DEFINITIO IV.

Pater uſumfructum habet in bonis adventitiis filii, quocumque titulo filius ea acquiſierit.

Quod conſtitutum, & receptum eſt de patris jure in bonis adventitiis filii, nullam quoad bona hæc exceptionem habet; leges enim indiſtincte loquuntur (1): ſive a conſanguineis hæc bona perveniant, ſive ab extraneis, ſive laboribus ſuis eadem filius comparaverit: ſive etiam feudalia (2); in quibus tamen, ne detur ſervitus ſervitutis ſola commoditas patri quæritur, non ipſum uſusfructus jus (✠3): quamquam unum ab altero nomine tenus differt, non autem re ipſa.

(1) *L. Cum oportet 6. in princip. cod. de bon., quæ liber.* (6. 61.), §. 1. *inſtit. per quas perſonas cuique acquir.* (2. 8.)

(2) *Ita paſſim docent pragmatici, & colligunt ex d. L. 6. potiſſimum ex iis verbis*: aliis quibuſcumque cauſſis; *non deſunt tamen, qui aliud jus obtinere defendunt in feudalibus bonis, ad quæ reſpicere non potuit Juſtinianus, cum feuda adhuc inducta non eſſent.*

(✠3) *Deciſ. 27. maii 1679. refer. D. Torrini in cauſſa Comit. Eugenic, & Riparolii contra Baron. Alemaniæ, §. Sed fortior, & ſeq. num. 6.*

DEFINITIO V.

An pater, qui teſtamento ſucceſſit una cum filio, hoc decedente ab inteſtato, retineat uſumfructum partis, quæ ad alium filium pervenit?

Si pater una cum filio ad legitimam, ſeu inteſtatam hereditatem alterius filii veniat, æqualis ſit hereditatis diviſio; neque pater ex nova Juſtiniani lege habet uſumfructum partis, quæ ad filium

pervenit (1): ſed ſanctio hæc ſucceſſionem teſtamentariam non complectitur; adeoque juxta leges, ex quibus pater uſufructu potitur (2), res definienda eſt. Dubitari poteſt, utrum in hac eadem ſpecie, qua filius una cum patre heres inſtitutus fuerit, pater retineat uſumfructum partis, quæ ad filium pervenit, ſi filius moriatur, atque pater ad ejus ſucceſſionem una cum alio filio, defuncti fratre, conſequatur. Patrem repellere videtur Juſtinianus, generatim conſtituens, ne pater uſumfructum habeat partis, quam alter filius ab inteſtato acquirit (3): aliud tamen placuit (✠4): atque ſententia hæc tum ratione, tum auctoritate nititur: ratione quidem, nam pater, defuncto filio, deterioris conditionis eſſe non debet, quam fuerit eo adhuc in vivis agente auctoritate; Juſtinianus enim prohibet quidem, ne pater uſum fructum ſibi vindicet ejus portionis, quæ ad filium pervenit: non autem, ne quæſitum ſemel uſumfructum retinere pergat (5).

(1) *Novel.* 118. *cap. Si igitur.* 2.

(2) *L. Emancipatis* 13. §. 1. *cod. de legitim. heredib.* (6. 58.), *L. ult. cod. commun. de ſucceſſionib.* (6. 59.)

(3) *D. Novel.* 118. *cap.* 2.

(✠4) *Sentent. Senat.* 4. *ſeptembris* 1764. *refer. D. Cavalli in cauſſa utrinque Seſia, Sentent. Senat.* 8. *januarii* 1763. *refer. D. Bruno in cauſſa Lovera, & in hac agebatur de patre binubo.*

(5) *D. Novel.* 118. *cap.* 2.

DEFINITIO VI.

Teſtator cavere poteſt, ne pater habeat uſum fructum bonorum, quæ filius libere relinquit.

Cum nihil tam conveniens ſit, quam ut quiſque rebus ſuis legem, quam malit, dicere poſſit, jure merito data eſt teſtatori facultas cavendi ne pater uſumfructum habeat in bonis, quæ filio libere relinquit (1): non expreſſe tantum, ſed etiam tacite; taciti enim, ac expreſſi eadem plerumque vis eſt (2). Sed urgentes deſiderantur conjecturæ, ut præſumpta hæc prohibitio inducatur; quippequæ eo tendit, ut patrem legum beneficio privet. Conjecturæ autem deſumi poſſunt, ſi teſtator, patre, & filio æque inſtitutis, inſuper juſſerit, omnia ex æquo inter utrumque dividi; vel onus filio, non ſecus ac patri, impoſuerit alimenta ſuppeditandi fratribus, vel aliis perſonis: aut ſimilia quædam onera ab utroque ferenda decreverit (3): niſi ſpecialia adjuncta aliud ſuadeant. Sed teſtator patri auferre non poteſt uſumfructum legitimæ; hæc enim ad filium non pervenit ex defuncti liberalitate ſed ex legis præſcripto, adeoque beneficio Juſtinianeæ ſanctionis (4) non continetur (✠5).

(1) *L. Ob res quoque donatas* 20 §. 1 *ff. de pactis dotalib.* (23 4), *L. in re mandata* 21 *cod. mandati* (4 35).

(2) *Novel.* 117 *cap.* 1, *unde deſumta auth. excipitur cod. de bon. quæ liber.* (6 61).

(3) *Deluc. de ſervitutib. diſcurſ.* 62 *n.* 4, *& diſcurſ.* 64 *n.* 1, *&* 2.

(4) *D. Novel.* 117 *cap.* 1.

(✠5) *Deciſ.* 3 *decembris* 1729 *refer. D. Selarandi in cauſſa utrinque de Maſcatalis* §. *Incivilem rem, in princip. deciſion.*

DEFINITIO VII.

Uxori inopi, & indotatæ debetur quarta in bonis mariti divitis. Quæ inops mulier dicatur?

Mulieri inopi, & indotatæ quartæ uſusfructus debetur in bonis mariti divitis, niſi plures quam tres filios maritus habeat (✠1) quo caſu virilem partem mulier conſequitur (2): mulieris autem paupertas non tantum ex ipſius conditione, ſed etiam ex conditione mariti dimetienda eſt. Quare mulieri ſe-

Digitized by Google

eundum conditionem ſuam diviti quarta denegatur (✠3). Sed inops habetur mulier, quæ, licet vilis conditionis ſit, ſuis tamen operibus lucrum neceſſarium ad victum ſibi quærere non poteſt, atque viro melioris conditionis nupſit (✠4).

(✠1) *Novel. 117 cap. 5, theſaur. Deciſ. 44 num. 3, & lib. 3 quæſt. 63 num. 1 & eod. lib. 3 quæſt. 97 num. 3, deciſ 31 junii 1728 refer. D. Battalioni in cauſſa viduæ Matheis contra heredes mariti in princip., Deciſ. 8 febr. 1676 ref. D. Rolando Barettæ contra Vilianum §. diſceptatio major, ſentent. Senat. 17 auguſt. 1740 Lampi Ceva contra Lampi refer D. Blavet, ſentent. Senat. 4 ſeptembris 1740 in cauſſa Cervini Gionatii contra heredes Gioanetti.*

(2) *D. Novel. 117 cap. 5 poſt med.*

(✠3) *Deciſ. 30 junii 1750 refer. D. Balegno in cauſſa comitiſſæ Cavaſiæ viduæ de Donadeis contra filios §. His itaque poſitis, & ſeqq., ſentent. Senat. 13 decembris 1755 refer. D. Viale in cauſſa Martinengo Audiſio contra Audiſio, ſenten. Senat. 28 martii 1759 refer. D. Dani in cauſſa viduæ Ferraris Rolfo contra Rolfo.*

(✠4) *Deciſ. 22 junii 1770 refer. D. Carme in cauſſa viduæ Soffietto Buſſon contra ſorores Buſſon per tot.* ✠ *ubi dicitur, bis ita deciſum favore viduæ vilis conditionis, nempe ſent. Senat. 17 auguſt. 1740 refer. D. Blavet in cauſſa viduæ Lampo, & ſent. Senat. 23 junii 1741 refer. D. Nomis in cauſſa utrinque Boglietti.*

DEFINITIO VIII.

Indotata mulier reputatur, quæ exiguam omnino dotem habet.

Indotata mulier intelligitur, non ea tantum, quæ nullam omnino dotem habet, ſed & illa, cui ita exigua dos conſtituta fuit, ut vix diſtet ab indotatione (✠1); licet enim legum verba eam tantum mulierem complecti videantur, quæ nullam omnino dotem habeat (2), earum tamen ſententia, quæ eo tendit, ne mulier gravi inopia prematur (3), ad eas quoque protrahi debet, quæ exigua dote potiuntur.

(✠1) *Deciſ. 30 junii 1750 refer. D. Balegno in cauſſa de Donadeis § 2 Receptum fuit, deciſ. 8 febr. 1676 refer. D. Rolandi in cauſſa Barettæ contra Vilianum §. Quia licet, deciſ. 21 julii 1728 refer. D. Batalione in cauſſa vid. Monetti Matteis contra heredes mariti Matheis in princip. D. ſentent. Senat. refer. D. Blavet. in cauſſa Lampi, D. ſent. in cauſſa Gioanetti (defin. præced).*

(2) *D. Novel. 53 cap. 6 in princip., & 2 D. Novel. 117 cap. Quia vero 5.*

(3) *D. Novel. 53 cap. ult. in princip.*

DEFINITIO IX.

Mariti confuſioni, qui aſſeruerit, exiguam dotem uxori ſuæ conſtitutam fuiſſe, creditur, ut quarta ei debeatur, donec aliud demonſtretur.

Si dubitetur, utrum congrua, an exigua dos mulieri conſtituta fuerit, ſtandum eſt mariti confeſſioni: licet enim ſola mariti confeſſio mulieri non proſit, cum agitur de alterius damno (1), in hoc tamen argumento, ubi ſolius mariti res agitur, nihil obſtat, quominus eiuſdem aſſertioni plene fides adhibeatur (✠2), niſi filii, vel heredes aliud demonſtrent.

(1) *Fab. cod. de tot. caut. numerat. lib. 5 tit. 10 def. 7 in princip.*

(✠2) *Deciſ. 21 junii 1728 refer. D. Batalione in cauſſa viduæ Monetti Matheis &c. in princip. fab. d. defin. 1 num 2 in corp.*

Digitized by Google

DEFINITIO X.

Quarta debetur mulieri, quæ promiſſam dotem quacumque ex cauſſa exigere non poteſt.

Quarta etiam in bonis mariti danda eſt mulieri, cui egregia quidem dos promiſſa, & conſtituta fuit, quam tamen exigere nequit, vel quia debitor ſolvendo non eſt, vel propter aliud quodcumque impedimentum, puta quia nomina in dotem conſtituta ſint intricata, & litigioſa (✠1); ut enim fert vulgatum juris axioma, inanis eſt actio, quam debitoris inopia excludit (2). Sed deneganda eſt quarta, mulieri, quæ manſit quidem in matrimonio ſine dote, ſed jus, & poteſtatem habet ejus conſequendæ (✠3), etenim mulier beneficio juſtinianeæ conſtitutionis non juvatur, niſi aliunde, quam ex mariti bonis non habeat, quo ſibi paret ea, quæ ad victum ſunt neceſſaria (4).

(✠1) *Deciſ. 27 julii 1731 refer. D. Demorra in cauſſa viduæ Monetti Mathæis contra Mathæis §. Cum vero illa conſtitutio, Deciſ. 21 junii 1728 refer. D. Batalione in eadem cauſſa Monetti Mathæis &c. in princip. ſent. Senat. 23 junii 1741 in cauſſa Deſtefanis Boglietti contra Boglietti.*

(2) *L. Nam is nullam 6 ff. de dolo malo (4 3).*

(✠3) *Deciſ. 14 maji 1763 refer. D. Scala in cauſſa Gromis Caramelli contra Roatis Promis in principio.*

(4) *Ut colligitur ex iis verbis novel. 53 cap. ult. § ult.*; Nam ſi aliunde forſan habeat, non offerentem dotem, aut non dantem propter nuptias, donationem, non erit juſtum gravare filios per ſucceſſionem.

DEFINITIO XI.

Dotata intelligitur mulier, ut a quarta in bonis mariti excludatur, quæ dotem habet conditioni ſuæ congruam, licet reditus ad alimenta non ſufficiant.

Quamvis dotis quantitas mulieri conſtitutæ inſpici debeat, ut ſciatur, an dotata, an fere indotata dicenda ſit, congrua tamen dos exiſtimatur ea, ex qua honeſte, & juxta ſuam conditionem nubere poteſt (✠1). Neque etiam opus eſt, ut dotis fructus ad alimenta ſufficiat; vix enim dotes aliquæ ſunt, ex quibus percipiantur reditus alimentis ſuppeditandis idoneæ (✠2). Alia ergo ratione ſibi proſpicere debet mulier.

(✠1) *D. deciſ. refer. D. Balegno 30 junii 1750 in cauſ. de Donadeis §. ſenſerunt equidem, Reg. conſtit. lib. 5 tit. 7 §. 6.*

(✠2) *Reg. conſtit. d. loco, argum. L. Si curatores 9 cod. de adminiſtrat. tutor. (5. 37), D. Deciſ. refer. D. Balegno §. 4 Et demum non ambigebatur, & D. Deciſ. defin. præced. refer. D. Scala in fine.*

DEFINITIO XII.

Qui dives dicatur maritus, ut quarta ex ejus bonis debeatur mulieri inopi, & indotatæ?

Dives maritus, ut quarta in ejus bonis inopi uxori, & indotatæ debeatur (1), cenſetur non abſolute, ſed inſpecta ejus conditione (✠2): quemadmodum de muliere diximus (Defin. XII); neque enim eadem patrimonii quantitas deſideratur in plebejo, ac in viro nobili; cum nec iidem ſumptus ad vitæ ſuſtentationem, & potiſſimum ad decentiam ſtatus ſint neceſſarii.

(1) *Hanc enim conditionem etiam requirunt leges, ut patet ex his Juſtiniani*

Digitized by Google

verbis in D. Novel. 53 *cap. ult.* § *ult.*: Et moriens quidem aut vir, aut mulier locuples ſit, ille vero, vel illa ſuperſtes pauper exiſtat.

(✠2) *D. Deciſ.* 22 *junii* 1770 *refer. D. Carrone in cauſſa Buſſon. contra Soror. Buſſon. Argum. L. Cum plures* 12 §. *Cum tutor.* 3 *ff. de admin.*, & *peric. tutor* (26. 7).

DEFINITIO XIII.

Mulier poteſt renunciare beneficio quartæ in bonis mariti; ſed ſuſpecta eſt renunciatio facta, conſtante matrimonio.

Cum beneficium mulieri inopi, & indotatæ a legibus datum, ut quartam in bonis mariti divitis conſequatur (1), totum ſit favore mulieris, in ejus poteſtate eſt, utrum velit hoc beneficio gaudere, an ei ſponte velit renunciare (2). Sed, quia renunciatio non valet, niſi ex pleno conſenſu fuerit facta, diſtingui ſolet, cum de vi renunciationis quæritur, utrum renunciatio ſecuta ſit, antequam matrimonium celebraretur, an vero nuptiis jam contractis; ita ut viribus plerumque ſubſiſtat renunciatio, quæ matrimonium præceſſerit (3), quia dici poteſt pars contractus, ſine qua matrimonium non fuiſſet celebratum; facile autem ſolvatur ea, quæ conſtante matrimonio facta eſt, utpotequæ plerumque ex metu facta præſumitur, & læſionem facile continet (✠4).

(1) *Novel.* 53 *cap. ult.*, *Novel.* 117 *cap. Quia vero* 5.

(2) *L. Si quis in conſcribendo* 29 *cod. de pactis* (2. 3).

(3) *D. L.* 29 *cod. de pactis.*

(✠4) *L. Nec eſſet* 2 *ff. de donationib. int. vir.*, & *uxor.* (24. 1), *Deciſ.* 27 *julii* 1731 *refer. D. Demorra in cauſſa viduæ Monetti Mathæis contra Mathæis* §. *Excipiebant etiam*, & *ſequ.*

DEFINITIO XIV.

Heredes non poſſunt mulierem a quartæ beneficio excludere dotem offerendo, nec maritus teſtamento ita cavere poteſt.

Mariti heredes non poſſunt mulierem a quartæ beneficio ſummovere dotem offerendo (✠1): neque maritus teſtamento id cavere poteſt; privatis enim non licet, jus publicis legibus conſtitutum immutare (2): neque teſtator poteſt efficere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant (✠3).

(✠1) *Deciſ.* 27 *julii* 1731 *refer. D. Demorra in cauſſa viduæ Monetti Matheis contra Matheis* §. *Nec ad ſummovendam*; *ubi heredes dotem mulieri afferebant, allegantes ex culpa mariti, & negligentia factum, ne dos exacta fuiſſet, de quo tamen nullatenus conſtabat.*

(2) *L. Jus publicum* 38 *ff. de pactis* (2. 14), *L. Neratius quærit* 20 *ff. de religioſ.*, & *ſumpt. funer.* (11. 7), *L. Quod bonis* 15 §. 1 *ff. ad L. Falcid.* (35. 2).

(✠3) *L. Nemo poteſt* 55 *ff. de legat.* 1. (30. 1), *D. Deciſ. refer. D. Demorra* §. *Fortius in hac exceptione.*

DEFINITIO XV.

Quartæ fructus mulieri inopi, & indotatæ a quo tempore debeantur?

Quarta in bonis mariti, ejuſque inopi, & indotatæ mulieri debentur non tantum a die petitionis, ſed a die mortis mariti, niſi mulieres intra annum luctus alimenta ab heredibus percipiant (✠1), prout ſuppeditare tenentur (2), cum enim quartam hanc mulieri leges conceſſerint, tum ne gravi prematur inopia, tum ne defuncti viri memoriæ dedecus inurere videatur, conſequens eſt, nullo interjecto a viri morte tem-

Digitized by Google

poris ſpatio mulieris neceſſitatibus proſpici debere.

(✠1) *Theſaur. Deciſ. 44 num. ultim. V. Deciſ. 3 martii 1732 refer. D. Provana in cauſſa Viduæ Dubois Coziæ contra Coziam in princip.*

(2) *Theſaur. Deciſ. 43 num. 1* ✠.

DEFINITIO XVI.

An legata, vel donationes mulierem excludant a quartæ beneficio.

Differunt legata mulieri relicta a donationibus eidem factis, quæ nuptias præceſſerint; legata in quartam imputantur ſed non impediunt, quo minus legum beneficio fruatur mulier (✠1); quia legata non niſi poſt mortem teſtatoris vim habere incipiunt (2), adeoque non impediunt, quominus mulier ſuperſtes pauper dicatur, cum decedit locuples maritus (3). Ex donatione autem antenuptiali certum jus mulieri quæritur, ex quo inops videri nequit, ut legum beneficio potiatur (✠4).

(✠1) *D. Novel. 53 capit. ult. in fin. princip., D. Deciſ. 27 julii 1731 refer. D. Demorra in cauſſa Viduæ Monetti Matheis contra Matheis in fin.*

(2) §. 1 *Inſtil. de legat.* (2. 20).

(3) *D. Novel. 53 cap. ult. §. ult. in princip.*

(✠4) *D. Novel. 53 cap. ult. §. ult. verſic. Nam ſi aliunde, D. Deciſ. refer. D. Demorra §. Reſpiciendo vero.*

DEFINITIO XVII.

In uſufructu omnium bonorum non præſumuntur contineri fideicommiſſaria, nec feudalia.

Quemadmodum in uſufructu omnium bonorum non comprehenduntur bona fideicommiſſo ab alio, quam ab ipſo teſtatore ſuppoſita, maxime ſi conjecturæ adſint, quibus eruatur, teſtatorem, de ſuis tantummodo bonis diſponere voluiſſe (1): quia cum bona fideicommiſſaria teſtatoris eſſe deſinant, quando vires habet teſtamentum (2); immo fideicommiſſum heredi ipſo reſtituendum inter æs alienum recenſeri debeat (3), quod prius detrahendum eſt, quam uſufructus percipiatur (4); quia in bonis non computatur, niſi quod ſupereſt deducto ære alieno (5), in dubio non præſumitur teſtator de his bonis ſenſiſſe. Potiori ratione idem obtinet in feudalibus (✠6), cum teſtator de his diſponere nequeat, niſi diſponendi facultatem obtinuerit a directo dominio (7). Nihil tamen vetat, quominus teſtator uſufructuario relinquat jus percipiendi fructus, ſeu reditus feudi, qui ad heredem pertinent (✠8): reditus enim, & fructus a fundo feudali ſeparati feudales eſſe deſinunt.

(1) *Theſaur. D. lib. 3 quæſtion. 19 num. 3, & 4* ✠.

(2) *L. Unum ex familia 67 §. 1 ff. de legat.* 1 (30. 1), *L. ult. §. Sin autem. 3 cod. commun. de legatis* (6. 43).

(3) *L. Irritum 6 cod. ad Leg. falcid.* (6. 50).

(4) *L. ult. ff. de uſu, & uſufruc. legat.* (33. 2).

(5) *L. Subſignatum 39 §. 1 ff. de verb. ſignif.*

(✠6) *Deciſ. 11 decembris 1642 refer. D. Abeccleſia in cauſſa Marchioniſſæ Bobbæ contra Marchionem Bobbam §. Ad tertium.*

(7) *Feudorum lib. 2 tit. 9 §. 1.*

(✠8) *D. Deciſ., & D. §. Argum. D. L. 67 §. Si rem ſuam 8 ff. de legatis.*

Digitized by Google

DEFINITIO XVIII.

Uſusfructus bonorum omnium, vel certæ partis ex ære alieno, quod ex alienatione proprietatis ſolvendum eſt, imminuitur. Quid ſi mulier relicta fuerit uſufructuaria omnium bonorum, vel res certæ, puta alimenta legata fuerint?

Uſufructuarius omnium, vel certæ partis bonorum non tenetur debita ſolvere, quia ſingularis ſucceſſor eſt (1); ſed nec prohibere poteſt proprietarium, quominus partem bonorum vendat ad ſolvendum æs alienum, etiamſi inde minuatur uſusfructus (2); debita enim hereditaria ex bonis defuncti ſolvi debent, non ex bonis heredis, quamvis forte heres pure adiiſſet hereditatem; non enim prius effectum ſortiri debent liberalitates teſtatoris, quam detractum fuerit, quod alterius eſt (3). Quare ſi proponatur mulier a marito relicta uſufructuaria bonorum omnium, non poteſt ſeparatim dotem, & uſumfructum petere (✠4); niſi forte conſentiat, ut bona hereditaria diſtrahantur, atque ita uſusfructus a viro relictus minuatur, ut dotes ſibi ſolvantur (5), nec mulier una cum filio uſumfructum omnium bonorum judicio mariti habeat (✠6); quia dos inter æs alienum computatur, quod prius deduci debet, quam percipiatur uſusfructus (7). Quod ſi uſusfructus mulieri relictus ad alimenta reſtringatur ex Bulgari conſuetudine in foro paſſim recepta, præter dotem, & uſuras dotis a die finiti anni luctus, alimenta in uſufructu comprehenſa petere poteſt (✠8); in hac enim poſtrema ſpecie mulier legataria eſt rei ſingularis, adeoque legatum ære alieno imminui non debet.

(1) *L. Aeris alieni* 11 *cod. de donationib.* (8. 54).

(2) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 3 *tit.* 23. *def.* 1.

(3) *D. L. Ult. ff. de uſu, & uſufruct. legato*, (33. 2) *L. ſubſignatum* 39. §. 1. *ff. de verb. ſignif.*

(✠4) *Fab. D. Def.* 1 *cod. hoc tit. num.* 5, *& ſeqq. in corp., ſenten. Senat.* 28 *martii* 1743 *refer. D. Demorra in cauſſa Viduæ Ceruti Tarditi contra Tarditi filium, Deciſ.* 30 *maii* 1649 *refer. D. Barberis in cauſſa Cucha contra Cuneum §. Non dubitarunt Domini.*

(5) *Fab. D. defin.* 1 *num.* 5.

(✠6) *V. D. ſent. refer. D. Demorra.*

(7) *D. L.* 39 *de V. S.*

(✠8) *Fab. D. defin.* 1 *num.* 6 *in alleg.* ✠, *D. Deciſ. refer. D. Barberis §. Et licet ſint, Theſaur. quæſt. for. lib.* 1. *quæſt.* 54 *num.* 7.

DEFINITIO XIX.

Conſuetudo Bulgari, ex qua uſusfructus uxori relictus, liberis exſtantibus, reſtringitur ad alimenta, exceptionem habet, cum teſtator juſſit, mulierem immunem eſſe ab inventario, & a redditione rationum.

Famigerata Bulgari conſuetudo, de qua fuſe diximus (1), ſeu ſententia Baroniæ in curia Bulgari primum inducta, deinde a pragmaticis paſſim, maxime in Italia, probata unde dicta eſt conſuetudo: eaque fert uſumfructum omnium bonorum uxori relictum reſtringi ad alimenta, & quæ his continentur, veſtitum, & habitationem, ſi extent liberi (2); ita tamen ut alimenta hæc manu propria ſibi percipiat mater, non autem de manu heredis, quippequæ bonorum rectrix, & adminiſtratrix habetur una cum filiis (3); quam quidem conſuetudinem a jure Romano alienam eſſe fatentur omnes (4): ſed ex æquitate inductum fuiſſe, ne alioquin filii in ſola proprietate inſtituti fame interim perire cogerentur (5); quod non patitur naturalis ratio, nec præſumta teſtatoris voluntas, præterquamquod, etiamſi forte liberi aliunde habeant, quo ſuis

neceſſitatibus proſpiciant, pater creditur ita ſtatuiſſe, ut mater filiorum bona adminiſtret, cum ipſis moretur: atque ita eorum indemnitati, & utilitati facilius, & tutius conſulat (6). Generalem habet exceptionem, quoties apparet, aliam fuiſſe mariti teſtantis voluntatem; ſeu voluiſſe, ut, liberis etiam extantibus, mulier plenum, & integrum, ſeu formalem, ut loquuntur, uſumfructum habeat (7). Sed non ita conſentiunt in ſingularibus ſpeciebus, de quibus dubitari poteſt, ſeu in conjecturis, ex quibus mens hæc teſtatoris erui poſſit (8). Argumentum legati integri, & pleni uſusfructus ſuppeditat remiſſio mulieri facta a teſtatore conficiendi inventarii, & reddendarum rationum (✠9); hæc enim liberatio teſtamento præſtita ſupponit, ea præciſa, conficiendum eſſe inventarium, & reddendas eſſe rationes, adeoque plenum uſumfructum relictum fuiſſe; cum alimentarius ad neutrum tenetur, adeoque fruſtra eximeretur ab onere, quod ferre non debet; dummodo tamen certo conſtet de legato alimentorum, & legata liberatione ab inventario, & rationibus quoad uſumfructum (10).

(1) *V. Juriſprud. Tom. III.* §. 1488., *& ſeqq. pag.* 350.

(2) *Fab. cod. de legat. lib. 6. tit.* 18. *def.* 14., *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 54. *num.* 1.

(3) *Theſaur. d. num.* 1. *Fab. d. defin.* 14. *num.* 1. *in corp.*

(4) *L. Uxori fructu* 34., *L. Uxori meæ* 37. *ff. de uſu, & uſufruct. legat.* (33. 2.), *L. Tutores* 18. *cod. de excuſationib. tutor.* (5. 62.)

(5) *Fab. d. lib. 6. tit.* 18. *def.* 14. *num.* 1. *in allegat.*

(6) *Fab. d. def.* 14. *num.* 1. *in corp.*

(7) *Fab. cod. d. def.* 14. *num.* 1. *in allegat. Theſaur. lib.* 1. *quæſt.* 54. *num.* 3.

(8) *Præcipuas expendimus d. Juriſprud. Tom. III.* §. 1499., *& ſeqq. pag.* 352.

(✠9) *Theſaur. quæſt. forenſ. d. lib.* 1. *quæſt.* 54. *num.* 6, *&* 7., *Deciſ.* 23. *januarii* 1674. *refer. D. Viliono in cauſſa de Scarronis contra Laurenti*, §. *Ex alia.*

(10) *Theſaur. d. loco num.* 5., *&* 6. ✠

DEFINITIO XX.

Teſtator legans uxori integrum, & congruentem uſumfructum una cum liberis non ſemper de vero, & formali uſufructu ſenſiſſe intelligitur.

Sempronius teſtamento condito Mæviæ ſecundæ conjugi ſummam librarum ſex millium reliquit pleno proprietatis jure, & abſque ulla conditione, heredes univerſales ſcripſit filios ſuos ex dicta Mævia naſcituros, eorum tutela Mæviæ, & patri ſuo Titio commiſſa; quibus in pupillari ætate decedentibus, ſubſtituit Cajam filiam ex primo matrimonio ſuſceptam: deinde legavit uxori Mæviæ *ſuum uſumfructum integrum, & congruentem una cum liberis ex ea naſcituris, dummodo a ſecundis nuptiis abſtineret*. Quod ſi proles non naſceretur, eidem legavit duo cubicula, ſupellectilem, & rem lineariam ipſius uſui, & neceſſitati congruentem, ſub eadem viduitatis conditione teſtatore defuncto, natus eſt poſthumus, quo in pupillari ætate mortuo, orta eſt controverſia inter Mæviam defuncti pupilli matrem, & Cajam teſtatoris ex primo conjugio filiam, poſthumo pupillariter ſubſtitutam, quoad uſumfructum: nimirum contendebat Mævia, uſumfructum ſibi legatum a marito verum, & formalem eſſe, immo per mortem pupilli totius hereditatis uſumfructum ad ipſam ſpectare: Caja vero uſumfructum hunc, vivente poſthumo, ad alimenta reſtringendum eſſe; eoque defuncto penitus extinctum allegabat, ita ut Mævia ſolo librarum ſex millium legato frui poſſet. Senatus, teſtamenti verbis ſedulo perpenſis, pronunciavit, non verum, & formalem

Digitized by Google

uſumfructum , ſed alimenta dumtaxat fuiſſe legata , propter ea verba *ſuum integrum , & congruentem* , quæ indicant uſumfructum legatarii conditioni , & indigentiis reſpondentem, ſeu integra, & congrua alimenta ; cum jus utendi fruendi ad meram perſonæ indigentiam , & neceſſitatem non reſtringatur (✠1) : eo vel maxime quod teſtator uſumfructum hunc tantum relinquens in caſu , quo proles naſceretur , ſatis innuit , non tam uxori , quam proli conſulere voluiſſe , matri adminiſtrationem dando , ut cum filiis moraretur (2) , atque in caſu deficientis ſobolis duo cubicula , & ſupellectilem legavit , præter pingue legatum librarum ſex millium (✠3) . Formalis quidem , & veri uſusfructus conjecturam præbent verba illa *integrum uſumfructum , & una cum liberis* (✠4); ſed in propoſito caſu ex aliis verbis teſtatoris mentem apertius manifeſtantibus conjectum hæc elidebatur (✠5) ; præſumtio enim fortior infirmiorem evertit (6).

(✠1) *Deciſ. 22. auguſti 1759. refer. D. Calza in cauſſa Tereſiæ Pico viduæ Brunetti contra Mariam Brunetti Corio Nuptam in princip.*

(2) *Fab. cod. de legat. lib. 6. tit. 18. definit. 14.*

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Calza , §. Ex hac igitur loquendi formula & ſeqq.*

(✠4) *Deciſ. 12. aprilis 1780. refer. D. Balegno in cauſſa utrinque Blanchiotti per tot , Deciſ. 23. januar. 1674. refer. D. Viliono in cauſſa de Scarronis contra Laurentium , §. Et limitando.*

(✠5) *D. Deciſ. ref. D. Calza , §. Quæ vero , & ſeqq.*

(6) *L. Neſennius 34. ff. de negot. geſt.* (3. 5.) , *L. Alimenta 11. cod. eod. tit.* (2. 19.)

DEFINITIO XXI.

Uſusfructus ad alimenta reſtricti legatum morte poſthumi non extinguitur.

In altera quæſtionis parte utrum hujuſce uſusfructus legatum filii morte extinctum eſſet, nec ne, Senatus pro matre Mævia ſententiam dixit, ſeu, ejus viduitate durante, adhuc alimenta ei danda eſſe (✠1); tum quia teſtator non ſoboli tantum naſcituræ, ſed uxori quoque proſpicere voluit; nec credendus ſit, magis favere voluiſſe ſubſtituto minus dilecto, quam inſtituto; tum quia alimenta ſimpliciter legata per totum vitæ tempus debentur, niſi teſtatorem aliter voluiſſe conſtet (2); neque ex legato habitationis , & ſupellectilis prius alimentorum legatum ademtum cenſetur, ſed potius ſuperadditum (3).

(✠1) *D. Deciſ. 22. auguſt. 1759. ref. D. Calza in cauſſa utr. Brunetti , §. Ad alteram quod attinet , & ſeqq.*

(2) *L. Alimenta 14. ff. de aliment. vel cibar. legat.* (34. 2.)

(3) *L. Si pluribus 33. ff. de legat. 1.* (30. 1.)

DEFINITIO XXII.

Uxor relicta uſufructuaria omnium bonorum una cum filiis dimidiam habet uſusfructus partem , ſi ad alimenta non reſtringatur , alia cedit filiis, ſive unus, ſive plures ſint filii .

Plane conſentiunt omnes , in eo caſu, quo mulieri relictus ſit uſusfructus una cum liberis, neque ad alimenta reſtringatur , dimidiam tantummodo uſusfructus partem matri deberi , aliam vero filiis (✠1) ; quia clauſula hæc æqualitatem ſignificat (2) , ſive plures ſint liberi, ſive unus tantum ; cum enim filii nomine collectivo vocati fuerint ad uſumfructum una cum matre , unam tantum-

Digitized by Google

modo partem (✠3) omnes ſimul habere debent, alia ad matrem perventura; cum nomine collectivo ſint vocati, unius loco habentur (4).

(✠1) *D. Deciſ. 23. januarii 1674. refer. D. Viliono in cauſſa de Scurronis contra Laurentium d. §. Et limitando Sentent. Senat. 28. Martii 1743. ref. D. Demorra in cauſſa viduæ Cerutæ Tarditi, contra Tarditi filium.*

(2) *L. ult. in fin. cod. de impuber., & aliis ſubſtit.* (6. 26.)

(✠3) *D. Deciſ. refer. D. Viliono, & d. §., & ſeqq.*

(4) *L. Si quis Attio 7. ff. de uſufruct. accreſcendo* (7. 2.), *L. Interdum 13, L. Liber homo 59. §. Titius heres 2. ff. de heredib. inſtituend.* (28. 5.)

DEFINITIO XXIII.

An mater inſtituta una cum filio in uſufructu omnium bonorum, cui pater unum ex deſcendentibus ſubſtituerit, mortuo filio, integrum uſumfructum conſequatur.

In ea quæſtione, an, matre inſtituta una cum filio in uſufructu omnium bonorum, cui ſubſtituerit pater, atque deceſſerit filius, mater filio defuncto, habeat integrum uſumfructum, an tantummodo partem, altera dimidia ad ſubſtitutum perventura; vel etiam ſola alimenta in iis caſibus, in quibus ex Bulgari conſuetudine ad hæc, vivente filio, ejuſque favore reſtrictus fuit uſusfructus matri relictus, diſtinguere oportet, utrum ex numero liberorum ſit ille, quem pater filio ſubſtituit, an extraneus quilibet. Si extraneus ſubſtitutus proponatur, rurſus diſtinguendum eſt, an vulgariter, an pupillariter, an per fideicommiſſum pater filio ſubſtituerit. Si ſubſtitutus filio datus ſit ex eadem teſtatoris familia, atque ex numero liberorum, filio inſtituto decedente, hujus pars uſusfructus matri non acquiritur (✠1); cum enim eadem faveat æquitatis ratio, & præſumta teſtatoris voluntas ſubſtituto, ac inſtituto, idem quoque jus vigere debet (2). Ex numero liberorum dixi, ut ſignificarem, nepotes etiam ex filio hic comprehendi, non ſecus ac ceteros deſcendentes ex filio, quippe filiorum, ſeu liberorum nomine nepotes quoque, & ceteri deſcendentes veniunt, quoties de eorum commodo agitur (3): maxime ubi favet voluntas teſtatoris, & ordinata caritas. Quod ſi pater extraneum filio ſubſtituerit per vulgarem ſubſtitutionem, conſentiunt omnes, ſi Fabro credimus (4), integrum uſumfructum deberi matri; quia Bulgari conſuetudo inducta eſt favore filiorum, adeoque iis quidem prodeſſe debet, non extraneis: maxime quia non repugnat ſubſtitutum deterioris conditionis eſſe, quam inſtitutum in iis, quæ pupillus inſtitutus habet tamquam filius, non tamquam heres (5).

(✠1) *Fab. cod. de legat. lib. 6. tit. 18. def. 15. num. 3. in allegat., Deciſ. 22. auguſt. 1759. refer. D. Calza in cauſſa utrinque Brunetti, §. Et quamvis in fine deciſion.*

(2) *Argum. L. Illud quæſitum 32. ff. ad. L. Aquil.* (9. 2.)

(3) *L. Filii 84., L. Juſta interpretatione 201, L. Liberorum 220. §. ult. ff. de verb. ſignif.*

(4) *Fab. cod. de legat. lib. 6. tit. 18. definit. 15. in princip.*

(5) *L. Paterfamilias 28. ff. de reb. auctorit. judic. poſſid.* (42. 5.)

DEFINITIO XXIV.

Quid ſi extraneus, ſeu qui ex liberorum numero non ſit, ſubſtitutus pupillariter proponatur?

Gravior eſt difficultas, cum extraneus impuberi pupillariter ſubſtitutus fuit. Diſtinguit Faber, utrum legatum uſusfructus ita matri relictum fuerit, ut unum ſit legatum; an ita potius, ut plura vi-

Digitized by Google

deantur legata. In prima ſpecie ſentit, pupilli decedentis portionem ſubſtituto pupillari acquiri, non autem matri (1); quia legatum, quod ſemel ab initio certam formam accepit pupilli favore, eandem perpetuo retinere debeat: neque poſſit ex perſona ſubſtituti pupillaris legati conditio immutari (2); cum pupillaris ſubſtitutus ex perſona pupilli legata ſolvat, non tamquam a ſe repetita (3). Si autem uſusfructus matri ita legatus proponatur, ut plura videantur legata: veluti ſi maritus uſumfructum mulieri legaverit, *donec caſte vixerit*, aut etiam, *quamdiu vivet*, quibus verbis tot inducuntur legata, quot ſunt anni, ita ut prioris anni legatum purum exiſtimetur, cetera annorum ſequentium conditionalia (4), primo anno, quo filius defunctus eſt, plenum uſumfructum ad matrem pertinere arbitratur (5), ac ſi eo primum die legatum relictum eſſet, quia novum ſit legatum (6). Verum indiſtincte cenſet Theſaurus, mortuo filio, integrum uſumfructum ad matrem, quæ una cum filio relicta fuerat uſufructuaria omnium bonorum, pertinere, ſorore teſtatoris, quæ ſubſtituta fuerat, excluſa (7): atque nititur hac ratione, quod ſubſtitutio pupillaris ipſam quoque filii legitimam comprehendat; quia pater pupillariter ſubſtituendo cenſetur prò filio teſtari fere, ac ſi impubes ipſe conderet teſtamentum (8): adeoque integer uſusfructus in legato continetur, qui diviſionem quidem recipit ex perſona filii, eo autem defuncto totus in matre conſolidari debet (9). Sententia hæc recipienda videtur, niſi ex teſtamenti verbis appareat aliud voluiſſe teſtatorem (10); ſeu dimidiam tantum uſusfructus partem ad mulierem pervenire, etiamſi filius decedat (✠11). Quod ſi filio pater per fideicommiſſum ſubſtituerit, cenſet Theſaurus, mortuo pupillo non niſi dimidiam uſusfructus partem ad matrem pertinere (12), quia in hac ſubſtitutione filius ex propria perſona detrahit legitimam, & trebellianicam, quam ad heredem tranſmittit, neque in fideicommiſſi inſtitutione pater pro filio teſtati fingitur, quemadmodum contingit in ſubſtitutione pupillari

(1) *Fab. cod. de legat. lib. 6. tit.* 18. *def.* 15. *num.* 5. *in corp.*

(2) *Argum. L. Stipulationum* 2. §. *Ex his igitur* 2. *ff. de verb. obligat.* (45. 1.)

(3) *L. In ratione* 11. §. *Quod vulgo* 5. *in fine ff. ad leg. falcid.* (35. 2.)

(4) *L. In ſingulis* 4, *juncta L. Cum in annos* 11. *ff. de annuis legat.* (33. 1.)

(5) *Fab. cod. de legat. d. lib.* 6. *tit.* 18. *defin.* 15. *in fine.*

(6) *D. L.* 11. *ff. de annuis legat.*

(7) *Theſaur. lib.* 3. *quæſt.* 22. *num.* 21.

(8) *Princip. inſtit. de pupil. ſubſtit.* (2. 16.)

(9) *L. Si mulieri* 8. *ff. de uſufruct. accreſcendo* (7. 2.)

(10) *Voluntas enim teſtatoris præfertur uti dominans omnibus juris regulis, & præſumtionibus, L. In conditionibus* 19. *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.)

(✠11) *Deciſ.* 16. *februarii* 1758. *ref. D. Bruno in cauſſa ſoror. Perenchio contra viduam Perenchio per tot., in qua mater ab initio conſecuta fuerat dimidium uſumfructum, ſorores teſtatoris pupillariter ſubſtitutæ erant filio: Senatus, mortuo filio, dimidiam tantum uſusfructus partem cenſuit matri competere; ſed ita hic deciſum eſt ex peculiaribus teſtamenti verbis, ex quibus erui videbatur hanc fuiſſe mentem teſtatoris: atque ita jam deciſum dicitur, Sentent. Senat.* 28. *novembr.* 1766. *utrinque Cavilietti.*

(12) *Theſaur. d. lib.* 3. *quæſt.* 22. *num.* 22.

Digitized by Google

DEFINITIO XXV.

Quid ſi filio ſubſtitutus ſit pupillariter alter filius, ſed, utroque decedente, hereditas ad extraneum perveniat?

Quod modo diximus de ſorore ſubſtituta (Defin. præced.), idem obtinet, ſi filius quidem pupillariter ſubſtitutus fuerit, ſed deceſſerit, atque tum propria ſubſtituti hereditas, tum ea, quam jure ſubſtitutionis ab inteſtato habuit, jure legitimæ ſucceſſionis ad alium pervenerit, qui ex numero liberorum non ſit; videlicet, niſi alia demonſtretur teſtatoris voluntas, matri, mortuis inſtituto, & ſubſtituto, acquiritur integer, & plenus uſusfructus (✠1); quia ceſſat liberorum favor, adeoque conſuetudo Bulgari vim ſuam amittit (2).

(✠1) *Sentent. Senat. 16. februar. 1765. refer. D. Cavalli in cauſſa viduæ Peyrone contra Fiore, atque in d. Deciſ. (defin. præced.) 16. februar. 1768. ref. D. Bruno allegat. 4. dicitur jam ita deciſum, Sent. Senat. 21. april. 1761. refer. D. Sclarandi in cauſſa Viberti contra Lumello.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. III. §. 1488., & ſeqq. pag. 350.*

DEFINITIO XXVI.

Verba integri, pleni uſusfructus, & ſimilia innuunt verum, & formalem uſumfructum minime ad alimenta reſtrictum fuiſſe uxori legatum.

Non ſola alimenta, ſed verum, & formalem uſumfructum reliquiſſe præſumitur teſtator, qui uſus ſit verbis *integri, pleni, & liberi* uſusfructus, & ſimilibus (✠1); cum enim ſingula verba ita ſemper interpretanda ſint, ut aliquid operentur (2), niſi multiplicatio verborum eo fine facta appareat, ut evidentius conſtet de voluntate (3). hæc ſuperaddita legato uſusfructus verba ſatis demonſtrant, teſtatorem pinguius alimentis legatum relinquere voluiſſe. Sed regula hæc exceptionem habere poteſt, ſi ampla horum verborum ſignificatio ex aliis verbis reſtringatur: puta ſi teſtator dixerit ſe legare mulieri uſumfructum *integrum, & congruentem*; poſterior enim vox vim prioris imminuit, ita ut ex mente teſtatoris videantur relicta alimenta mulieri non tantum ſecundum neceſſitatem naturæ, ſed & ſecundum decentiam ſtatus. Atque verborum hæc interpretatio eo magis recipienda erit, ſi aliæ quoque faveant ex aliis teſtatoris diſpoſitionibus deſumtæ conjecturæ: puta ſi teſtator non expreſſerit, ſe legare uſumfructum omnium bonorum, vel ſi præter uſumfructum quædam bonorum portio pleno proprietatis jure relicta proponatur (✠4); non præſumitur teſtator, heredem magis dilectum tot legatis unius mulieris favore prægravare voluiſſe (5).

(✠1) *Deciſ. 1 junii 1644 refer. D. Filippa in cauſſa utrinque Moſonæ §. Non ex eo quod.*

(2) *L. Si quando 109 ff. de legat.* 1 (30. 1).

(3) *L. Pediculis 32 §. Labeo 6 ff. de auro, & argent. legat.* (34. 2).

(✠4) *Deciſ. 22 aug. 1759 refer. D. Calza in cauſſa viduæ Brunetti contra Brunetti Corio §. Quo vero ad formalem uſumfructum, V. Supra definit. XX.*

(5) *L. Sempronius 47 ff. de legat.* 2 (31. 1).

DEFINITIO XXVII.

Verus uſusfructus uxori relictus præſumitur, cum uxor heres particularis in uſufructu omnium bonorum inſtituta eſt una cum filio herede univerſali ſcripto a teſtatore.

Veri quoque, & integri uſusfructus mulieri relicti argumentum erui poteſt ex eo, quod uxor in uſufructu omnium

Digitized by Google

bonorum heres particularis ſcripta fuerit una cum filio herede univerſali inſtituto (✠1); honorificus enim inſtitutionis titulus pinguius alimentis legatum videtur indicare (2), atque conjectura hæc vehementius urgebit, ſi mater inſtituta ſit in uſufructu omnium bonorum, filii autem non niſi poſt ejus mortem heres ſcripti ſint, pro ut fieri poteſt, dummodo ſalva ſit filiis legitimæ proprietas, & uſusfructus. Ceterum in hac quæſtione, certa, & generalis regula ſtatui non poteſt, quæ omnibus, & ſingulis caſibus æque accommodetur; ſed judex æſtimare debet, penſatis ſingulis teſtamenti verbis, & potiſſimum inſpecta mente teſtatoris, utrum ſola alimenta contineantur in legato uſusfructus mulieri relicto, an verus, & proprius uſusfructus: & ita ſe gerere, ne nimis faveat mulieri in diſpendium liberorum: atque ſimul cavere, ne contra mentem teſtatoris, rebus ſuis legem dicentis, mulierem a mariti liberalitate temere excludat.

(✠1) *Sent. Senat.* 28 *martii* 1743. *refer. D. Demorra in cauſſa vid. Ceruti Tarditi contra Tarditi filium.*

(2) *Argum. L. Si quando* 109 *ff. de legat.* 1 (30. 1).

DEFINITIO XXVIII.

Mulier vera omnium bonorum uſufructuaria cum filio partem conferre tenetur, ut alimenta præſtentur liberis.

Cum generalis regula ſit, alimenta ex reditibus præſtari debere, non vero ex proprietate (1), mulier uſufructuaria omnium bonorum una cum filio herede univerſali partem ſuam conferre tenetur, ut alimenta ſuppeditentur liberis defuncti mariti (✠2), ne contra teſtatoris mentem cogatur heres vendere, ut eos alat.

(1) *V. Juriſprud. Tom.* 1. §. 551. *pag.* 190.

(✠2) *D. Sentent. Senat.* 28. *martii* 1743. *refer. D. Demorra in cauſſa viduæ Ceruti Tarditi contra Tarditi filium, Surd. de aliment. tit.* 2. *quæſt.* 15. *num.* 228.

TITULUS XVII.

De juribus, & oneribus uſufructuarii.

DEFINITIO I.

Uſufructuarius fructus ſuos non facit, licet maturos, niſi eos perceperit.

Ad uſufructuarium pertinent fructus omnes cujuſcumque ſpeciei, ſive naturales, ſive induſtriales, ſive civiles: atque, ut verbo dicam, emolumentum omne, quod ex re percipi poteſt (1). Sed fructus ſuos non facit, niſi ipſe eos perceperit, vel alter ejus nomine. Quare ſi decedat, fructibus quidem maturis, non autem a ſolo ſeparatis, eos ad heredes non transmittit, ſed proprietario cedunt (✠2).

(1) *L. Uſusfructus* 7. *princip. &* §. 1. *L. Item* 9, *L. Arbores* 59. §. 1., & 2. *ff. hoc tit.* (7. 1.)

(✠2) §. *Is vero* 36. *inſtit. de rer. diviſ.* (2. 1.), *L. Si fructuarius* 13. *ff. Quibus modis uſufruct. amittitur* (7. 4.), *L. In ſingulos* 8. *de annuis legat.* (33. 1.), *Fab. cod. de Epiſc., & cleric. lib.* 1 *tit.* 3. *def.* 37., *Deciſ.* 14. *decembris* 1674. *ref. D. Raſini in cauſſa Verbalii contra Arbinam*, §. *Reſpondebatur.*

DEFINITIO II.

Uſufructuarius propria auctoritate non poteſt ingredi poſſeſſionem fundi, niſi in quibuſdam caſibus.

Cum fructus fundi percipi nequeant, niſi fundi poſſeſſio habeatur, uſufructuarius cogere poteſt proprietarium, ut ipſi poſſeſſionem fundi tradat (1). Non autem poteſt uſufructuarius propria auctoritate ingredi poſſeſſionem fundi, niſi bona vacantia ſint (✠2) vel teſtator facultatem hanc ſpeciatim conceſſerit (3), pro ut data cenſetur, cum teſtator prohibuit, ne uſufructuarius moleſtiam patiatur in ſuo uſufructu ab herede (✠4), vel cum facultatem tribuit uſufructuario, bona alienandi pro ſolvendis debitis ipſius teſtatoris (✠5).

(1) *L. Cuiuſcumque fundi* 60 §. 1 *ff. hoc tit. de uſufructu* (7. 1).

(✠2) *Deciſ.* 11 *februarii* 1642 *refer. D. Abecclesia in cauſſa Marchioniſſæ Bobbæ contra Marchion. Bobbam in princip., Argum. L. qui agros* 8. *cod. de omn. agr. deſert.* (11. 58.)

(3) *L. Titia* 34 §. *Lucius* 6 *ff. de legat.* 2. (31. 1).

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Abecclesia*, §. *Data autem*, *L. Hæc ſi res* 47 *ff. de rei vindic.* (6. 4).

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Abecclesia*, *& D.* §. *Data autem.*

DEFINITIO III.

Uſufructuarius poteſt in alium transferre facultatem percipiendi fructus, quocumque velit titulo, non tamen jus.

Uſufructuario, cum ipſe fructus per ſe, vel per alium percipere poſſit, licet facultatem hanc in alterum transferre, venditionis, locationis, mutui, vel etiam donationis titulo (1); etenim, quod per alium quis facit, ſuo nomine facere videtur (2): facultatem dicimus percipiendi fructus, non jus; quippe ex romanorum prudentum ſententia uſufructuarius poteſt quidem cedere, & quacumque ratione alienare commodum ſuum, ſeu fructus, non autem jus ipſum, ſeu ut loquuntur uſumfructum formalem, præterquam proprietarii favore (✠3). Sane facultas ab uſufructuario conceſſa, hujus jure extincto, ſtatim quoque ceſſat, quamvis longiore tempore indulta fuiſſet (4); nemo enim in alterum plus juris transferre poteſt, quam ipſe habeat (5).

(1) *L. Arboribus* 12 §. *Uſufructuarius* 2 *ff. hoc tit. de uſufruct.* (7. 1).

(2) *L. Uſu* 20, *& ſeqq. ff. quemad. ſervitut. amittantur* (8. 6).

(✠3) §. *Finitur* 3 *inſtit. hoc tit. de uſufruct.* (2. 4), *Deciſ.* 3 *ſeptembris* 1763 *refer. D. Demazzetiis in cauſſa Bertoliati contra Demagnetis* §. *Contrariam.*

(4) *L. Si quis dominum* 9 §. 1. *ff. locati* (19. 2).

(5) *L. Nemo* 54 *ff. de reg. jur.*

DEFINITIO IV.

Legato ſpeciatim uſufructu ſalicti, arundineti, ſeminarii, & ſilvæ, poteſt uſufructuarius ex his vendere ad inſtar boni patrisfamilias.

Si ſpeciatim legatus proponatur uſusfructus ſalicti, arundineti, ſeminarii, & ſilvæ, non generatim fundi in quo hæc ſint, fructuario licet, non tantum iis uti in fundi utilitatem, ſed vendere, & in alium quemcumque transferre (✠1); ne alioquin inutile fiat legatum (2): non tamen pro arbitrio, ſed eam tantummodo quantitatem, quam venderet bonus quiſque paterfamilias, prout ſe gerere debet uſufructuarius; ne, uſufructu finito, deterius effectum prædium proprietario reſtituat (3).

(✠1) *L. Item ſi fundi* 9. §. *Inſtrumenti autem* 7. *in med. ff. hoc tit de uſufruct.*

Digitized by Google

(7. 1.), Sentent. Senat. 18. januarii 1762. refer. D. Capra in cauſſa Riva, & Valero contra Ferrero Riva.

(2) *L. Divus Hadrianus 22. ff. de uſu, & habitat. (7. 8.)*

(3) *L. 1. §. Cavere 3. ff. uſufructuar. quemadm. caveat. (7. 9.), L. 1. ff. hoc tit. de uſufruct.*

DEFINITIO V.

Uſufructuarius regulariter cavere debet datis fidejuſſoribus, ſe boni viri arbitrio re uſurum; &, finito uſufructu, ſe eandem domino reſtituturum.

Uſufructuarius ſatiſdationem præſtare debet, ſeu cautionem datis fidejuſſoribus (✠1), ſe ad inſtar boni patrisfamilias, ſeu boni viri arbitrio uſurum, re, cujus fructus percipit, eamque, finito uſufructu, ſe proprietatis domino reſtituturum ita ut regulariter neque pignora, neque cautio a jurejurando firmata ſufficiant; perpetuo enim ſatisdationis nomine leges cautionem datis fidejuſſoribus ſignificant (2): in quo diſtinguitur ſatiſdatio a cautione, quæ non tantum fidejuſſores, ſed & pignora admittit (3).

(✠1) *L. Si cujus rei 3. ff. de uſufruct. (7. 1.), L. Huic ſtipulationi 5. §. 1. ff. uſufructuar. quemadmod. caveat. (7. 9.), Deciſ. 9. junii 1670. refer. D. Demazettis in cauſſa Marenchæ contra Marencum, Sentent. Senat. 18. januarii 1762. refer. D. Capra in cauſſa Riva, e Valero contra Ferrero Riva.*

(2) *L. Prætoriæ 7. ff. de ſtipulationib. prætor. (46. 5.)*

(3) *L. 1. §. Jubet 4. ff. de collat. (37. 6.)*

DEFINITIO VI.

Cautio juratoria etiam cum hypotheca bonorum in uſufructu tum admittitur, ſi uſufructuarius, convenienti adhibita diligentia, fidejuſſores invenire poſſit.

Sed hinc ſtatim naſcitur quæſtio, utrum generalis hæc regula, qua ab uſufructuario cautio datis fidejuſſoribus præſtanda ſtatuitur, aliquas exceptiones habeat, prout in ceteris fere contingit. Diſtingui ſolet, utrum uſufructuarius fidejuſſores inveniat nec ne; Si uſufructuarius fidejuſſores, ea, qua par eſt diligentia adhibita, præſtare poſſit, unanimis eſt omnium ſententia, proprietarium non cogi, ut pignora admittat, vel cautionem jurejurando firmatam, quamvis dives ſit uſufructuarius (✠1); leges enim indiſtincte loquuntur, nec aliquem ab onere ſatisdationes, ſeu cautionis præſtitis fidejuſſoribus eximunt (2); adeoque locum habet, vulgatum juris axioma: diſtinguendum non eſſe, ubi non diſtinguit lex (3). Si autem uſufructuarius fidejuſſores omni diligentia quæſitos invenire non potuerit, vulgo receptum eſt, cautionem juratoriam cum hypotheca bonorum ſufficere (✠4); cum cautio datis fidejuſſoribus ad uſusfructus ſubſtantiam non pertineat, iniquum eſſet, atque a teſtatoris voluntate alienum, collata liberalitate privare uſufructuarium, quia legem non adimpleverit, quam implere non poteſt (5).

(✠1) *Deciſ. 17. ſeptembris 1646. ref. D. Barberis in cauſſa Marchioniſſæ Vogheræ contra ejus privignum per tot.*

(2) *L. Si cujus rei 13. ff. de uſufruct. (7. 1.), L. Huic ſtipulationi 5. §. 1. Et uſufructuar. quemadmod. caveat (7. 9.), L. 1., L. Uſufruct. 4. cod. hoc tit. de uſufruct. (3. 33.)*

(3) *L. De pratio 8. ff. de public. in rem action. (6. 2.)*

(✠4) *Oſaſc. deciſ.* 153. ✠ *num.* 4, *Sentent. Senat.* 17. *januar.* 1758. *ref. D. Villata in cauſſa Serra Petiva contra Avogadra Serra, ubi de muliere uſufructuaria agebatur.*

(5) *L. Cum non facile* 6. *ff. Si cui plus quam plus tale* (35. 3.)

DEFINITIO VII.

Uſufructuarius, qui ſit in rei poſſeſſione, cautionem ſponte offerre non debet: ſi tamen proprietarius eam petierit, & ipſe moram contraxerit, fructus ſuos interim non facit.

In ea quæſtione, an uſufructuarius ſatiſdationem ſponte offerre teneatur, an ſufficiat eam proprietario inſtante præſtare, diſtinguendum eſt, utrum rem poſſideat ipſe uſufructuarius, an penes dominum ſit. Si uſufructuarius ſit in rei poſſeſſione conſtitutus, conveniunt omnes, non teneri ad ſatiſdationem, niſi dominus eam petat, & interim facere fructus ſuos (✠1); cum cautio hæc per viam ſtipulationis præſtari debeat (2), ſpondere non poteſt uſufructuarius, niſi prius interroget proprietatis dominus (3): præterquam quod non agitur de re, quæ ad publicam utilitatem referatur, neque de adimplenda teſtatoris voluntate, ſed de ſola heredis indemnitate, qui idcirco ſibi ipſi proſpicere debet. Hæc tamen ſententia exceptionem habet, cum proprietatis dominus ab uſufructuario petiit, ut ſibi caveret, atque fructuarius diſtulit, & moram contraxit (✠4). Deterior eſſe non debet proprietarii conditio ex fructuarii culpa; cum immo mora cuique ſua nocere debeat (5). Quare uſufructuarius non niſi a die præſtitæ ſatiſdationis fructus ſuos faciet (6).

(✠1) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 3. *tit.* 23. *def.* 3, *Abecclef. obſerv. forenſ. part.* 1. *obſerv.* 195. *num.* 8. ✠, *Theſaur. deciſ.* 80. *num.* 3. ✠, *Deciſ.* 11. *decembris* 1642. *refer. D. Abecclefia in cauſſa utrinque Bobbæ*, §. *Dictum etiam fuit*, *Deciſ.* 15. *decembris* 1674. *refer. D. Gabuti in cauſſa Chiavantonæ contra Chiavantonum in fine.*

(2) *L.* 1. §. 1., & 6, *L. Huic ſtipulationi* 5. *ff. uſufructuar. quemadmod. caveat* (7. 9.)

(3) *L.* 1. *ff. de verb. obligat.* (45. 1.)

(✠4) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 3. *tit.* 23. *def.* 3. *num.* 3. *in corp.*, *D. Deciſ. ref. D. Abecclefia*, & *d.* §. & *ſeqq.*

(5) *L. Mora* 88. *ff. de verbor. obligat.* (45. 1.)

(6) *Fab. cod. hoc tit. def.* 9.

DEFINITIO VIII.

Heres poteſt ſatiſdationem uſufructuario remittere, non tamen teſtator.

Heres, ſicut & contrahentes, cum in utroque vigeat eadem ratio, ſatiſdationem uſusfructus nomine præſtandam uſufructuario remittere poteſt (✠1); cum ad ſolius proprietarii indemnitatem huiuſmodi cautio inducta ſit (Definit. præced.), adeoque ex vulgata juris regula poteſt juri pro ſe introducto renunciare (2): non tamen teſtator (3): ne jus publica lege heredi datum lædat: indirecte tamen remitti poteſt hujuſmodi ſatisdatio a teſtatore, nimirum cavendo, ut alter ex heredibus, vel legatariis pro uſufructuario ſatisdet (4).

(✠1) *Deciſ.* 9 *junii* 1670 *refer. D. Demazzettis in cauſſa Marucchi contra Maruccum in princip.*

(2) *L. Penult. cod. de pact.* (2. 3), *Argum. L. Pactum* 46 *ff. eod. tit.* (2.14)

(3) *L. Scire debetis* 7 *cod. ut in poſſeſſion. legator.* (6. 54).

(4) *L. Tribus heredibus* 8 *ff. de uſufructu ear. rer. &c.* (7. 5).

Digitized by Google

DEFINITIO IX.

Uſufructuarius uſu fori tenetur conficere inventarium; ſed ob id prætermiſſum non privatur uſufructu, niſi contumax ſit.

Romano quidem jure inſpecto, uſufructuarius non tenetur inventarium facere, ſed tantum ſuadet Ulpianus, ut in teſtatum redigatur, qualis res fuerit initio uſusfructus, unde eo finito appareat, an, & quatenus rem peiorem legatarius fecerit (1). Sed conſilium hoc uſu fori abiit in neceſſitatem (2), ita ut nec a teſtatore remitti poſſe ſentiat poſt alios Faber (3): & merito; alioquin enim, potiſſimum ſi relictus proponatur uſusfructus omnium bonorum, ſupellectilis, vel alterius cujuſcumque univerſitatis vix ſciri poteſt, finito uſufructu, an legatarius tamquam bonus paterfamilias re uſus ſit, & utrum omnia ſuperſint, & reſtituantur, quæ fuerant conſtituti uſusfructus tempore. Non tamen requiri videtur ſolemne inventarium, ſed ſufficere ſimplicem rerum deſcriptionem coram judice factam adjecto uſufructuarii jurejurando, quo affirmet, ſe omnia in inventarium retuliſſe (4): quæ quidem ſolemnitates, ut fiat coram judice, & jusjurandum adjiciatur, tunc tantum neceſſariæ ſunt, cum uſufructuarius ipſe res omnes poſſidet; adeoque ſuſpicio eſſe poteſt, ne aliquas prodat; alioquin potius ad hæc cogendus eſſet proprietarius, qui in rerum poſſeſſione conſtitutus ſit. Plane communis ſententia eſt, ſumptibus ipſius proprietarii conficiendum eſſe inventarium; quia eo petente fit, atque ejus una verſatur utilitas (5). Neque ob non confectum inventarium amittitur uſusfructus, niſi adſit contumacia; cum non niſi poſtulante domino ejus conficiendi neceſſitas incumbat (✠6), quemadmodum de ſatiſdatione modo diximus. (Defin. VII).

(1) *L. 1 §. Recte autem 4 ff. hoc tit. uſufructuar. quemadmod. caveat* (7. 9).
(2) *Theſaur. deciſ.* 80 *num.* 3.
(3) *Fab. cod. de jure deliber. lib. 6. tit.* 11 *defin.* 43 *num.* 2 *in allegat.*
(4) *Theſaur. D. Deciſ.* 80 *num.* 3 ✠
(5) *Theſaur. D. Deciſ.* 80 *in addit. lib. D., Fab. cod. ad S. E. Tabell. lib. 6 tit.* 27 *defin.* 25.
(✠6) *Theſaur. D. Deciſ.* 80 *num.* 3. *ſab. cod. D. defin.* 25, *Deciſ.* 11 *decembris* 1642. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa utr. Bolla §. Fuit etiam D. Marchioniſſa, & ſeq.*

TITULUS XVIII.

Quibus modis uſusfructus amittitur, vel finitur.

DEFINITIO I.

Abuſu ex fori æquitate amittitur uſusfructus ſola teſtatoris liberalitate conſtitutus, non qui titulo oneroſo quæſitus fuerit.

Abuſu, ſi res ex romanis legibus dijudicetur, non amittitur uſusfructus; cum ſcripſerit Ulpianus, primam cautionis partem, qua fructuarius ſpondet, ſe boni viri arbitratu re uſurum, ſepe committi, perſeverante uſufructu (1): quod contingere non poſſet, quia ſtatim amitteretur alioquin uſusfructus. Proprietatis utique dominus prohibere poteſt uſufructuarium uti frui, niſi neceſarias impenſas ſuppeditet ad domum reficiendam (2); ſed perpetuum non eſt hujuſmodi interdictum, ita ut ex ea uſusfructus extinguatur: ſed tamdiu obtinet, quamdiu fructuarius detrectat munere ſuo fungi, quemadmodum contingit in eo, qui ſatisdationem præſtare recuſat (3). Aliud tamen placuit Sabaudo Senatui, quamvis ſatisdederit fructua-

Digitized by Google

rius (4); quidem ex regula juris (5), ſed ex æquitate, quæ non ſinit, ut malitiis indulgeatur (6), atque exemplo ducto a conductore, emphyteuta, & ſimilibus, quos propter abuſum a conductione, nec non emphyteuſi rei ad eccleſiam pertinentis expelli poſſe Juſtinianus ipſe conſtituit (7), atque de conductore jampridem ſtatuerat Antoninus (8). Sed definitio hæc coercenda eſt ad uſumfructum mera teſtatoris liberalitate conſtitutum; non enim jure, quod legitimo, & oneroſo titulo ſibi quæſierit fructuarius, privari debet ob rei abuſum, præſertim ex quo rei interitus non timeatur; ſed actio competit domino, qua indemnitatem conſequatur, atque judicis auctoritate fructuarium re uti cogatur, quemadmodum decet bonum patremfamilias (✠9): atque cum adverſus rationem juris recepta ſit hæc ſententia, ultra propoſitam ſpeciem non debet extendi (10).

(1) *L. 1 §. Utilius 5, & § ſeq. uſufructuar. quemadmod. caveat* (7. 9). *Quod ait Juſtinianus in §. Finitur 3 inſtit. hoc tit. de uſufruct.* (2. 4) *amitti uſumfructum* non utendo per modum, *nihil aliud ſignificat, quam præſtituto modo, quo uſufructuarius re utatur, puta ut æſtate tantum in modo habitet, vel ſilvam certo tantum tempore cædat, ſi alio modo utatur, uſufructu privari, quemadmodum in ſervitutibus contingit, L. Si communem* 10 § 1, *L. Si quis alia* 18 *ff. quemadmod. ſervitut. amittant.* (8. 6), *V. juriſprud. tom. III.* §. 1245, *& ſeq. pag.* 295.

(2) *L. Hoc amplius* 9 §. *ult. ff. de damn. infect.* (39. 2).

(3) *L. Si cujus rei* 13 *ff. de uſufructu* (7. 1).

(4) *Fab. cod. hoc tit. de uſufructu lib.* 3 *tit.* 23 *def.* 2.

(5) *Fab. D. def.* 2 *num.* 3 *in allegat.*

(6) *L. In fundo* 38 *ff. de rei vindicat.* (6. 1).

(7) *Auth. Qui rem hujuſmodi, poſt L.* 14 *cod. de ſacroſanct. eccleſ.* (1. 2).

(8) *L. Aede* 3 *cod. de locato* (4. 65).

(✠9) *Deciſ.* 22 *junii* 1735. *refer. D. Demorra in cauſſa fratr. Cotti contra Angleſium* §. *Viſum tamen fuit poſt num.* 28.

(10) *Argum. L. Quod non ratione* 39 *ff. de legib.* (1. 3).

TITULUS XIX.

De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur.

DEFINITIO I.

An ſatiſdatio ſit de ſubſtantia uſusfructus improprii, ſeu earum rerum, quæ uſu conſumuntur?

Quamquam, ſtricto jure, ſatiſdatio ad uſusfructus improprii ſubſtantiam pertinere non videtur; quia, ea etiam non præſtita, uſusfructus vocatur, eoque durante datur remedium ad exigendam cautionem, & finito ad rem vindicandam, ſi ſpecies ſit, vel condicendam, ſi quantitas (1): nec ex eo, quod Senatus uſumfructum hunc permiſerit remedio cautionis (2), neceſſario, ſequitur, eam ad ſubſtantiam uſusfructus pertinere, ſed tantum non aliter proprietarium cogi poſſe, ut rem tradat, quam cautione oblata; vel etiam rem traditam vindicare, niſi uſufructuarius idonee caveat, quemadmodum de proprii uſusfructus cautione ſupra diximus (3): aliud tamen olim placuiſſe videtur Senatui, cum uſufructuarius in poſſeſſione non eſſet (✠4); eo fundamento, quod Senatus non niſi ſub hac conditione rerum, quæ uſu conſumuntur, uſumfructum permiſerit (5).

(1) *L. Hoc ſenatuſconſultum* 5 §. 2 *ff. hoc tit. de uſufruct. ear. rer. &c.* (7. 5)

(2) *L.* 1, *& ſeq. ff. hoc tit.* §. *Conſti-*

Digitized by Google

tuitur 2 inſtit. hoc tit. de uſufruct. (2. 4)

(3) *V. Supra tit. XVII de jurib., & onerib. uſufructuar. defin. VII.*

(✠4) *Deciſ. 15 ſeptembris 1674 refer. D. Gabuti in cauſſa Chiavantonæ, contra Chiavantonem ff. tot., ubi tamen uſufructuarius nondum erat in poſſeſſione.*

(5) *D. L. 1, 2 ff. hoc tit., D. §. 2. de uſufruct.*

TITULUS XX.

De uſucapionibus, & præſcriptionibus.

DEFINITIO I.

Univerſitas dominii per uſucapionem acquirendi capax eſt, non ſecus ac ſingulares perſonæ.

Cum per uſucapionem dominia rerum acquirantur, uſucapere poſſunt omnes, qui dominii acquirendi vel per ſe, vel per alios capaces ſunt (1); proinde non ſinguli tantum cives, ſed etiam univerſitates (✠2); quippequæ rerum dominia habent (3).

(1) *L. ſequitur 4. §. 1, & ſeqq. ff. hoc tit. de uſucapionib.* (41. 3).

(✠2) *Deciſ. 10 ſeptembr. 1683 refer. D. Gabuti in cauſſa fratr. de Turre contra univerſitat. Piveroni §. Cum igitur univerſitas.*

(3) *L. 1 §. 1 ff. quod cujuſqu. univerſitat.* (3. 4).

DEFINITIO II.

Uſucapione acquiri non poſſunt res humano commercio exemtæ, nec quæ meræ facultatis ſunt.

Non omnes omnino res uſucapione acquiri poſſunt, ſed illæ tantum, quæ ſunt in commercio, & quarum prohibita a legibus uſucapio non eſt. Quia commercio hominum exemtæ ſunt, uſucapi nequeunt res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ (1), cum poſſideri nequeant; nulla autem ſine poſſeſſione uſucapio perfici poteſt (2): atque ejuſdem poſſeſſionis defectu non uſucapiuntur ea, quæ meræ facultatis ſunt (✠3): niſi unius conditio, & alterius patientia interceſſerit (4).

(1) §. *Inſtit. hoc tit. de uſucap.* (2. 6.)

(2) *L. Sine poſſeſſione 23. ff. hoc tit.* (41. 3).

(✠3) *Deciſ. 5 januarii 1735 refer. D. Grondana in cauſſa Plebani Ferrerii contra Patres S. Franciſci §. Et quamquam.*

(4) *V. Supra tit. X de ſervitutib. defin. XII.*

DEFINITIO III.

An fideicommiſſa præſcriptioni ſubjaceant

Uſucapione non acquiritur dominium rerum, quæ per legatum, vel fideicommiſſum ſub conditione, vel ſub incerta die relictæ ſint, quæque interim avaritiæ cupidæ propter ſpem non implendæ conditionis heres gravatus diſtraxerit; quarum proinde, impleta quocumque tempore conditione, vel die exiſtente, libera vindicatio competit legatario, vel fideicommiſſario (1); cum ante diem, vel pendente conditione, neque legatarius, neque fideicommiſſarius agere poſſint, teſtatoris beneficio privari non debent (2). Quod ſi purum ſit fideicommiſſum, diſtingui debet, utrum agatur de præſcriptione adverſus eum, qui proxime ad illud vocatus eſt, an de ceteris ordine ſucceſſivo admittendis. Priori ſola nocet præſcriptio triginta annorum (3). Poſteriores vero, cum agere non valenti ex communi axiomate non currat præſcriptio (4); ſola repellit immemorialis, ſeu centenaria præſcriptio (✠5); utpotequæ omnem omnino, cujuſcumque ſit

Digitized by Google

generis, & quocumque privilegio fruatur actionem perimit (6): ita ſuadente publica utilitate, & civium ſecuritate.

(1) *L. ult. §. Sin autem 3. cod. communia de legatis, & fideicom.* (6. 43.)

(2) *L. 1. §. ult. cod. de annali except.* (7. 40.)

(3) *Fab. cod. commun. de legat. & fideicom. lib. 6. tit. 23. def. 9, L. Sicut in rem 3. cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.)

(4) *D. L. 1. §. ult. cod. de annali except.*

(✠5) *L. Filiusfamilias 114. §. Divi 11. ff. de legat. 1.* (30. 1.), *D. L. ult. §. Sin autem 3. cod. commun. de legat.* (6. 43.), *Sola de alienat. bonor. feudal., & fideicom. ſubject. gloſ. unic. num. 20, & 21. pag. mihi 594., Deciſ. 23. auguſti 1741. refer. D. Dezzopis in cauſſa utrinq. de Advocatis, §. Cum primum.*

(6) *L. Hoc jure 3. §. Ductus aquæ 4. ff. de aqua quotid. & æſtiv.* (43. 20.), *cap. 1. in fine extra de præſcript. in 6.* (2. 13.)

DEFINITIO IV.

Quid de feudis, aliiſque quibuſcumque rebus, ad quæ ſucceſſores veniunt jure proprio, non defuncti?

Quæ de fideicommiſſi præſcriptione modo diximus, ex identitate rationis pariter obtinere debent in feudis, ad quæ vocati ſint deſcendentes ex pacto, & providentia majorum; quare alienatum feudum jure vindicant liberi, non obſtante præſcriptione adverſus patrem completa, quæ filiis nocet (1); cum feudum ordine ſucceſſivo, inprimis patri, deinde liberis conceſſum exiſtimetur (2). Sola ergo objici poterit deſcendentibus centenaria, ſeu immemorialis præſcriptio (✠3): atque eadem favore vocatorum, vel deſcendentium ſervari debent in quacumque alia re, ad quam non defuncti, ſed proprio jure ſucceſſores veniant (✠4); quia eadem ſemper viget ratio, nimirum agere non valenti nullam objici poſſe præſcriptionem niſi centenariam, vel immemorialem (5); nec unius negligentiam alteri nocere (6).

(1) *Sola d. gloſ. unic. num. 19. pag. 593., Oſaſc. deciſ. 181. num. 20. V. Feudor. lib. 2. tit. 55. de prohibit. feud. alienat. per Fridericum in princip.*

(2) *L. Omnia 32. §. ult. ff. de legat. 2.* (31. 1.), *L. ult. cod. de verb., & rerum ſignificat.* (6. 38.)

(✠3) *Sola d. gloſ. un. num. 20. pag. 594., & feudis part. gloſ. unic. num. 10. pag. 108, Deciſ. 14. junii 1673. refer. D. Raſini in cauſſa utr. Bugnaſci, §. Quintæ etiam oppoſitione, & ſeqq.*

(✠4) *L. 1. §. ult. in fin cod. de annali exceptione* (7. 40.), *Oſaſc. deciſ. 167. num. ad 6., Fab. cod. quib. non objicitur longi temporis præſcriptio lib. 7. tit. 9. def. 1., Deciſ. 25. auguſt. 1732. refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Biolettum num. 11, ubi de emphyteuſi, Deciſ. 7. junii 1730. refer. D. Deroſſi in cauſſa Cavalli contra Ricci, §. Placuit dominis, & ſeqq. ubi de legato relicto patri, ſed pro alendis ipſius filiis.*

(5) *D. L. 1. §. ult. cod. de annal. except.* (7. 40.)

(6) *L. Non debet 74. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO V.

Uſucapi nequeunt bona pupillorum. An & minorum?

Pupillorum favore legibus conſtitutum eſt, ne eorum res uſucapioni (1), vel præſcriptioni etiam longiſſimi temporis ſubjaceant (2), quamvis ſub tutore ſint conſtituti (3): minorum autem conditio, utpote qui rebus ſuis aliquatenus proſpicere poſſunt, conditio non eodem omnino favore digna viſa eſt: proinde ſtatutum quidem fuit, ne præſcriptio ordinaria, ſeu decem, aut viginti annorum iis noceat: quæ vero longiſſimi tempo-

Digitized by Google

ris dicitur, æque contra minores currit, ac contra majores, ita tamen ut adverſus eandem reſtituantur ex cauſſa læſionis, cui ætatis infirmitas cauſſam dederit (✠4).

(1) *L. Bonafidei* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1.)

(2) *L. Sicut in rem* 3. *cod. de præſcript. XXX e vel XL. annor.* (7. 39.)

(3) *D. L.* 3. *cod. de præſcript. &c.*

(✠4) *L. ult. eod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſſaria non eſt* (2. 41). *Deciſ.* 25. *auguſti* 1732. *refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Bioletum poſt num.* 10, *Deciſ.* 8. *octobris* 1662. *refer. D. Sandigliano in cauſſa foror. D. Carenis contra Barilittum in fin.*, *Deciſ.* 10. *junii* 1731. *refer. D. Laurenti in cauſſa Comitiſſæ Leonardi contra Quareldum in fine.*

DEFINITIO VI.

Bona adventitia filii, non niſi mortuo patre longiſſimi temporis præſcriptione acquiri poſſunt.

Bonorum quoque adventitiorum filii, quorum uſusfructus apud patrem ſit, uſucapio interdicta eſt, ſi forte pater eadem alienaverit: niſi filius, poſtquam patria poteſtate ſolutus eſt, tantum temporis ſpatium præterlabi paſſus ſit, quo præſcriptio completur (✠1): tempus, inquam, tricennale, quod prius non incipit, quam filius ſui juris factus ſit (2); quia non valenti agere, ut vulgatum fert axioma, non nocet præſcriptio (3): lex autem ex communi ſententia longius ordinarii temporis præſcriptione requirit, ut obviam iret fraudi patris alienantis bona filii, & conſuleret filiofamilias facile ignoranti bona ſua a patre diſtracta fuiſſe (4).

(✠1) *L. Quæcumque* 4. *in fine cod. de bonis, quæ liberis* (6. 61.), *Deciſ.* 5. *junii* 1732. *refer. D. Caſſotti in cauſſa de Plebanis contra de Baronibus*, §. *Et ſane illius.*

(2) *Auth. Niſi tricennale cod. de bonis matern.* (6. 60.)

(3) *L.* 1. § *ult. cod. de annali exceptione* (7. 40.)

(4) *V. Brunnemam. in cod. in d. Authenthic(num.* 17, & 18).

DEFINITIO VII.

Præſcriptio longi temporis non perficitur, niſi poſſeſſor bonam fidem initio poſſeſſionis habuerit.

Præſcriptio longi temporis ex ipſarum civilium legum ſanctione bonam fidem initio deſiderat, quemadmodum & juſtum poſſeſſionis titulum (✠1); apertiſſima ſunt legum verba, neque in alium ſenſum poſſunt detorqueri (2): præterquamquod hujuſce temporis ſpatio, niſi bona fides, & juſtus titulus faveant, tanta vis tribui non poteſt, ut dominium ab uno auferatur, atque tribuatur alteri.

(✠1) *Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL annor. lib.* 7 *tit.* 13 *def.* 17, *Voet. in pandect. hoc tit. lib.* 41 *tit.* 3. *num.* 16 *in med. Oſaſc. Deciſ.* 56 *num.* 3, *Deciſ.* 9. *januarii* 1700. *refer. D. Commotto in cauſſa Sutorum operariorum contra univerſitat. in fine.*

(2) *Princip. inſtit. hoc tit.* (2. 6), *L. unic. cod. hoc tit. de uſucapion. transformand.* (7. 31.), *L. Iuſto errore* 44 *princ.* & §.§. *ſeqq. ff. hoc tit. de uſurpationib. & uſucapionib.* (41. 3.), *L. Bonæ fide.* 48. § 1. *ff. de acquir. rerum domini* (41. 2).

Digitized by Google

DEFINITIO VIII.

Præſcriptio longiſſimi temporis, nec non centenaria, & immemorialis ex jure civili bonam fidem nullo tempore deſiderare videtur.

Si autem de præſcriptione longiſſimi temporis quæſtio ſit, jure civili inſpecto, vulgo ſentiunt interpretes, nullo unquam tempore bonam fidem neceſſariam eſſe (1); quia generalia ſunt legum verba, quibus traditur, hujus præſcriptionis ope omnem perimi actionem (2), nulla bonæ fidei mentione facta, imo potius excluſa, cum tempus hujuſce præſcriptionis ab eo die incipere indiſtincte decernatur, quo actio nata eſt, atque experiendi poteſtas fuit (3): aliud ſane conſtitutum eſt jure canonico (4). Eadem potiori ratione vis eſt centenariæ, vel immemorialis præſcriptionis (✠5); cum utraque non tantum tituli, ſed etiam bonæ fidei præſumptionem inducat, imo legis, & privilegii legitime conſtituti vim habeat (✠6), quamquam in eo differunt, quod in poſteriore ignoretur, an bona fides intervenerit, nec ne, alioquin immemorialis dici non poſſet (7); centenariæ vero initium cognoſci poteſt; cum fieri poſſit, ut quis a majoribus ſuis audierit; hi ab antiquioribus, atque ita ſuccedentibus temporibus notitia habeatur eorum, quæ ultra centum annos peracta fuerunt.

(1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 4. qu. 48 num. 7, Oſaſc. Deciſ. 115 num. 5, Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL annor. lib. 7 tit. 13 def. 8 allegat. 1.*

(2) *L. Sicut in rem 3, & L. ſeq. eod. de præſcript. 30, vel 40 annor. (7. 39).*

(3) *D. L. 3 verſic. Quæ ergo.*

(4) *V. Juriſprud. tom. IV. § 60 pag. 23, cap. vigilanti 5, & cap. ult. ext. de præſcriptionib. (2. 26), cap. poſſeſſor. 2 extra de reg. iur. in 6.*

(✠5) *Fab. cod. D. lib. 7 tit. 13 def. 2°, Deciſ. 23 januar. 1736 ref. D. Nomis in cauſ. utrin. Scarampi num. 7. §. Quarum inſtitutionum.*

(✠6) *L. Hoc jure 3 §. Ductus aquæ 4 ff. de aqua quotid., & æſt. (43. 20), L. In ſumma 2 §. 1, & §. Idem Labeo 7 ff. de aqua, & aqu. pluv. arc. (39. 3) V. Deciſ.*

(7) *L. Si arbiter 28 ff. de probationib. (22. 3).*

DEFINITIO IX.

Præſcriptio longiſſimi temporis apud nos perficitur juxta præſcriptum legum civilium.

In præſcriptione longiſſimi temporis civilium legum ſanctione (defin. præced.) apud nos receptæ ſunt (✠1), ut ita minuantur lites, ex quibus graviſſimum imminet publicæ, & privatæ rei detrimentum. Omnes ergo actiones, ſive perſonales, ſive reales, ſive mixtæ præſcribuntur, atque extinguuntur per lapſum triginta annorum, qui computari debent ab eo die, quo natæ ſunt atque experiendi poteſtas fuit, niſi demonſtretur aliquam interveniſſe cauſſam, ex qua præſcriptio interrumpi poſſit (2): ita ut neque ulla adverſus legitimas præſcriptiones admittatur ſupplicatio, ne reſtitutionis quidem in integrum obtentu, præterquam hæc civili jure probetur (3).

(✠1) *Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL annor. lib. 7 tit. 13 defin 8 num. 1 in allegat., & defin. 9 alleg. 3, & def. 16, Deciſ. 29 auguſti 1736. refer. D. Bianchis, in cauſſa Brigidæ de Caretto Capriì & aliorum contra comit. Torrini de Quincinetto §. Quoad præſcriptionem, & ſeqq. ubi dicitur in Deciſ. 22. junii 1731 refer. D. Blavet in cauſſa Baudi contra Deſcardi quæſtionem hanc potiſſimum dirimendam non occurriſſe; atque in deciſ. 23 auguſti 1732. refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Bolettum actum fuiſſe de ſucceſſore ex propria per-*

Digitized by Google

ſona veniente , cui agere non valenti præſcriptio obeſſe non poterat .

(2) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 18. §. 1.

(3) *Reg. conſtit. ibid.* §. 9.

DEFINITIO X.

Juſtus titulus in præſcriptione requiritur ; nec vitioſus , de quo conſtet , prodeſt etiam in uſucapione centenaria .

Juſtus titulus, ex quo nimirum rei dominium acquireretur, ſi res a vero domino tradita fuiſſet , ſeu aptus ad dominium transferendum , in uſucapione neceſſarius eſt (1) , ſive de rebus corporalibus uſucapione acquirendis quæſtio ſit , ſive de incorporalibus , in quibus patientia ejus , qui tale jus conſtituere potuiſſet , habetur pro titulo (2) ; quemadmodum in traditione , ut ex ea dominium comparetur (3) ; leges enim , cum de dominio ab uno in alterum transferendo agitur , tum bonam fidem , tum juſtum titulum requirunt (4) : excipit Theſaurus res modici præjudicii , veluti cenſus modicæ quantitatis , in quibus triennii, vel ſaltem decennii uſucapionem ſine titulo prodeſſe tradit (5) : atque hinc titulus injuſtus , & vitioſus non prodeſt ad uſucapiendum , etiamſi poſſeſſio centenaria , vel immemorialis allegaretur (✠6) . Neque , cum de titulo conſtat , ex immemoriali præſcriptione juſtus titulus præſumitur ; fictio enim , & præſumptio veritati cedere debent (7) . Iniquitas ergo tituli nunquam ſanatur, etiamſi poſſeſſio per plures perſonas ambulaverit : immo & tranſactiones interceſſerint (✠7) .

(1) *L. Nullo juſto* 24. *cod. de rei vindic.* (3. 32.) , *L. Diutina* 4. *cod. de præſcrip. longi tempor.* (7. 33.)

(2) *Fab. cod. de long. temp. præſcrip. lib.* 7. *tit.* 8. *def.* 2.

(3) *L. Nunquam nuda* 31. *ff. de acquir. rer. domin.* (41. 1.)

(4) *Princip. inſtitut. hoc tit. de uſucap.* (2. 6.)

(5) *Theſaur. deciſ.* 114. *num.* 5. , & 6. ✠.

(✠6) *L. Præſtat* 2. *cod. de long. tempor. præſcript.* , *quæ pro libert.* (7. 22.) , *Fab. cod. de ſacroſ. eccleſ. lib.* 1. *tit.* 2. *defin.* 56. *num.* 7. , & *lib.* 7. *tit.* 13. *de præſcript. XXX , vel XL. annor. defin.* 2. *in med.* , *Deciſ.* 22. *novembris* 1677. *refer. D. Gabuti in cauſſa univerſitat. Piperanii contra Marchion. Grimaldi* , §. *Tertio ſic rurſus* , *Deciſ.* 25. *auguſti* 1751. *refer. D. Rotario inter loci Morani* , & *ejuſdem loci , nec non illius Cuniolii municipes* , §. *Quoad alterum num.* 7. , *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1732. *refer. D. Provana in cauſſa Gays* , & *Gibelli* , §. *Fructus autem* .

(7) *L. Si chirographum* 24. *ff. de probationib.* (22. 3.) , *Fab. cod. commun. utriuſque judicii lib.* 3. *tit.* 27. *defin.* 5. *allegat.* 3.

(✠8) *L. Diutina* 4. *cod. de præſcript. long. tempor.* (7. 33.) , *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1737. *refer. D. Caſſotti in cauſſ. univerſit. Candiæ contra Borgiallum* , & *Vignam* , §. *De reintegratione* , *in princip.* , & §. *Nec ejus* , *Deciſ.* 23. *auguſti* 1741. *refer. D. Dezzoppis in cauſſa utr. de Advocatis* , §. *De cætero* , & *in fine deciſ.* , *V. De hac re Juriſprud. Tom. IV.* §. 99. , & *ſeqq. pag.* 32.

DEFINITIO XI.

In præſcriptione longi temporis titulus poſſeſſionis edi debet , niſi apud auctorem ſit .

Cum titulus in præſcriptione ſaltem longi temporis omnino deſideretur (1) , atque , utpote res facti , non præſumatur , ſponte ſequitur , edi eum debere (2) ; licet enim regula generalis ſit , reum non teneri titulum , vel cauſſam ſuæ poſſeſſionis allegare , atque arma actori ſubminiſtrare (3) , fallit tamen

Digitized by Google

hæc regula, cum præſumtio actori favet, & reum onerat (4). Si tamen titulus reſpiciat factum auctoris ejus, a quo petitur, nec apud hunc exiſtat, cogi non poteſt, ut titulum hunc poſſeſſionis edat (✠5).

(1) *Princip. inſtit. hoc tit. de uſucapionib.* (2. 6.)

(2) *L. Cogi* 11. *ff. de petit. hereditat.* (3. 21.)

(3) *L. Nimis grave* 7. *cod. de teſtib.* (4. 20.)

(4) *L. Civile eſt* 3. *eod. de furtis* (6. 2.)

(✠5) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 50. *num.* 7. ✠, *Deciſ.* 28. *junii* 1736. *refer. D. Bianchis in cauſſa de Chialand contra Biancum*, §. *Demum non officit*.

DEFINITIO XII.

An titulus edi debeat in præſcriptione longiſſimi temporis, vel immemoriali?

Aliæ ſervantur regulæ in præſcriptione longiſſimi temporis, videlicet triginta, vel quadraginta annorum; ex hac enim tituli præſumtio oritur, cum ex vetuſtate multa accidere potuerint, quæ viam exhibitioni præcludant (1): proinde tituli probationem non deſiderat (2), nec editionem (✠3); cum immo ex communi doctorum ſententia tricennalis præſcriptio neque titulum requirat (4). Hæc autem potiori ratione obtinere debent in præſcriptione centenaria, ſeu immemoriali; cum hæc vim tituli habeat (5), conceſſionis, & privilegii (✠6). In hac ergo neque neceſſitas incumbit allegandi tituli (7): niſi forte de rebus agatur, quæ ſpeciali privilegio munitæ ſunt, quo caſu ſentit Faber, utique prodeſſe immemorialem poſſeſſionem ſine titulo, non autem centenariam, quæ immemorialis non ſit (8). Cum autem præſumtio veritati ſemper cedere debeat, idcirco ſupra tradidimus, neque centenaria præſcriptione jus acquiri, ſi de titulo invalido, & vitioſo conſtet (defin. X.)

(1) *Fab. cod. de luitione pignor. lib.* 8. *tit.* 20. *def.* 20.

(2) *Theſaur. lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 10. & *eod. lib.* 1. *quæſt.* 76. *num.* 4. ✠, & *d. lib.* 4. *quæſt.* 50. *num.* 7., & *lib.* 3. *quæſt.* 86. *num.* 8.

(✠3) *D. Deciſ.* (*defin. praeced.*) *refer. D. Bianchis*, & *d.* §.

(4) *Fab. cod. de prohibita ſequeſtrat. pecun. lib.* 4. *tit.* 3. *defin.* 2. *num.* 12. *in corp.*, & *cod. d. lib.* 8. *tit.* 20. *definit.* 20. *num.* 10. *in allegat.*, *poſt alios*, & *de præſcript. XXX*, *vel XL. annor. lib.* 7. *tit.* 13. *defin.* 2. *in princip.*, *Oſaſc. deciſ.* 115. *num.* 5.

(✠5) *L. Hoc jure* 3. §. *Ductus aquæ* 4. *ff. de aqua quotid.*, & *æſtiva* (43. 20.), *Deciſ.* 9. *ſeptembris* 1780. *refer. D. Galli inter Hoſpitium pauperum Saviliani*, & *Monachos Caſſinenſes ejuſdem civitatis*, §. *Objectas difficultates*, *num.* 22., *Deciſ.* 4. *ſeptembris* 1744. *refer. D. Vaſco in cauſſa PP. s. Dominici Annec. contra Procurator. General.*, §. *Titulum autem*, *num.* 13.

(✠6) *Theſaur. deciſ.* 16. *num.* 4., & *quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 11, & *lib.* 2. *quæſt.* 76, *ubi ſingularia enumerantur hujuſce præſcriptionis privilegia*, *Deciſ.* 24. *martii* 1648. *refer. D. Abeccleſia in cauſſa Comit. S. Martini contra univerſit. Facti*, & *Ricaloretti*, *in princip.*, *ubi de annuis præſtationibus*, *Deciſ.* 6. *decembris* 1677. *refer. D. Torrini in cauſſa Alciati contra Comit. Buronii*, *in princip.*, *Deciſ.* 23. *januarii* 1756. *ref. D. Nomis in cauſſa utrinq. Scarampi num.* 7, §. *Quarum inveſtitionum*.

(7) *Fab. cod. de prohib. ſequeſtr. pecun. d. defin.* 2. *in princip.*

(8) *Fab. eod. de Epiſcop.*, & *cleric. lib.* 1. *tit.* 3. *definit.* 58. *num.* 6. *in allegationib.*

Digitized by Google

DEFINITIO XIII.

Præſcriptio longi, vel longiſſimi temporis uſucapione interrumpitur; ſed præſcriptiones annales utiles ſunt, ideſt non currunt ignoranti, nec agere non valenti.

Uſucapio non perficitur, niſi poſſeſſio, ex qua vim ſuam accipit, nunquam fuerit interrupta; interrupta poſſeſſio neque ad uſucapionem, neque ad longi temporis præſcriptionem implendam apta eſt (1); quia dici nequit tanto tempore, puta per decem, vel viginti annos poſſediſſe, cui alicujus anni poſſeſſio interrupta fuit: maxime quia in uſu juris anni continui plerumque deſiderantur, quoties actio intra certum tempus concluditur (2): niſi favor libertatis aliud ſuadeat (3). Ita quidem obtinet in præſcriptione longi, vel longiſſimi temporis, ſed præſcriptiones annales utiles ſunt (4), ideſt nec ignoranti, nec agere non valenti nocent (5). Hinc Senatus etiam poſt decem annos admiſit actorem ex ſtatuto Cuneenſi de retractu, maxime quia ignorantia ex venditoris, & emtoris calliditate profluxerat (✠6).

(1) *L. Longi temporis 2. cod. de præſcript. long. tempor.* (7. 33.)

(2) *L. ult. cod. de dolo malo* (2. 21.), *L. ult. cod. de tempor. in integ. reſtitut.* (2. 53.)

(3) *L. Servus 14. §. ult. ff. de ſtatu liber.* (40. 7.)

(4) *L. Sciendum 19. §. ult. ff. de ædilit. edic.* (21. 1.)

(5) *L. Cum ſex menſes 55. ff. eod. tit.*

(✠6) *Deciſ. 18. ſeptembris 1669. refer. D. Leone in cauſa Didaci Abecclesia contra Mochiam, & heredes de Gandolfo, fere in med.*

DEFINITIO XIV.

Uſucapionis interruptio duplex eſt, naturalis, & civilis.

Interrumpitur uſucapio duobus modis, naturaliter, & civiliter. Naturaliter juxta Gajum poſſeſſio interrumpitur, cum quis de poſſeſſione vi dejicitur, vel alicui res eripitur (1): civilis vero interruptio per litis conteſtationem fit (✠2). Naturalis interruptio appellatur, quoties poſſeſſio vere amittitur: civilis, cum retinetur quidem poſſeſſio, ſed quæ ex legis ſanctione ad uſucapionem non prodeſt (3).

(1) *L. Naturaliter 5. ff. hoc tit. de uſurpat., & uſucapionib.* (41. 3.)

(✠2) *L. Nemo ambigit 10. cod. de acquirend. poſſeſſ.* (7. 32.), *Oſaſc. deciſ. 101. num. 41., Deciſ. 10. ſeptembris, 1732. refer. D. Bianchis in cauſſa utrinque de Chaldera, §. Oppoſita inſuper, Deciſ. 30. januarii 1732. refer. D. Provana in cauſſa Ghiſlerii contra de Tomatis, §. Minus reos conventos, in fine, Deciſ. 25. auguſti 1732. refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Bolettum, poſt num. 13.*

(3) *D. L. 10. cod. de acquir. poſſeſſ., V. Juriſprud. Tom. IV. §. 205, & ſeqq. pag. 56.*

DEFINITIO XV.

Civilis interruptio uſucapionis nec prodeſt, nec nocet illis, qui judicio non adfuerunt.

Parciores ſunt civilis, quam naturalis interruptionis effectus; cum enim vis rei judicatæ non progrediatur ultra eos, inter quos actum eſt, ita ut ceteris neque noceat, neque proſit (1), conſequens eſt; civili interruptione, quæ per litis conteſtationem fit (defin. præced.),

Digitized by Google

eos tantum juvari, qui judicio adſtiterunt (✠2).

(1) *L. Res inter alios 2. cod. quibus res judic. non noc.* (7. 56.), *tot. tit. cod. inter alios acta &c.* (7. 60.)

(✠2) *L. Pro emtore 2. §. ult. ff. pro emtor.* (41. 4.), *Canc. variar. reſolut. lib. 1. cap. 15. num. 48., Deciſ. 14. maii 1683. refer. D. Gabuti in cauſſa Parachæ contra Capellum in fine.*

DEFINITIO XVI.

An & quibus caſibus privatæ denunciationes extra judicium factæ valeant ad interrumpendam præſcriptionem?

Cum quæritur, utrum privatæ denunciationes ſufficiant ad præſcriptionem interrumpendam, non eadem eſt omnium ſententia. Sufficere putant aliqui, dummodo extrajudicialis hæc denunciatio teſtato, ſeu coram teſtibus fiat, quamvis in ſcripturam non redigatur; quia hæc ad ſubſtantiam actus pertinere non videatur, ſed ad ſolemnitatem, & probationem. Diſtinguunt rectius alii inter caſum, quo propter abſentiam, infantiam, vel nimiam poſſeſſoris poteſtatem judex adiri nequeat; atque alios, quibus præſto ſit judicis auxilium; ita ut in primo quidem caſu denunciatio coram teſtibus ſufficiat, quamvis forte deſit ſcriptura (1): cum autem rei dominus judicem adire poteſt, neceſſaria omnino ſit judicialis denunciatio, quam etiam ſequatur litis conteſtatio (✠2), prout diſertis verbis Juſtinianus conſtituit (3). Sane ex privata contradictione, quæ effectum ſortita non ſit, potius firmatur jus alterius, qui in poſſeſſione eſt.

(1) *L. Ut perfectius 2. in fin. cod. de annali except.* (7. 40.)

(✠2) *Deciſ. 22. maii 1767. refer. D. Bruno in cauſſa Fea, & Boetti, §. Privatæ porro denuntiationes, poſt num. 30.*

(3) *L. Sicut in rem 3. cod. de præſcription. XXX., vel XL. annor.* (7. 39.), *L. Omnes nocendi 4. in fine cod. cod. tit.*

DEFINITIO XVII.

Agnitio obligationis præſcriptionem interrumpit.

Interrumpitur præſcriptio, licet nulla ſolutio ſecuta ſit, dummodo ſemel agnita fuerit obligatio, etiam a tertio poſſeſſore (✠1); hæc enim agnitio obligationis non ſolum evertit bonam fidem, quam longi temporis præſcriptio deſiderat (2); ſed etiam demonſtrat, noluiſſe præſcribere eum, qui obligationem agnovit: ac proinde nulla currere potuit præſcriptio, cum dominia rerum invitis non acquirantur.

(✠1) *L. Cum notiſſimi 7. §. Immo & illud 5. verſic. Sed & ſi debitores cod. de præſcript. XXX., vel XL. annor.* (7. 39.), *Oſaſc. deciſ. 102. num. 1., Fab. cod. lib. 7. tit. 13. definit. 21., Deciſ. 18. januarii 1730. refer. D. Guillier in cauſſa fratr. de Placentiis, §. Reſpectu denique, Deciſ. 28. junii 1736. ref. D. Bianchis in cauſſa Chialand contra Bianchum, §. Quoad præſcriptionem, ubi de agnitione facta in teſtamento.*

(2) *Princip. inſtit. hoc tit. de uſucap.* (2. 6.), *L. unic. cod. de uſucapion. transformand.* (7. 31.)

DEFINITIO XVIII.

Belli, & peſtis tempora in præſcriptione deducuntur.

Interrumpitur, ſeu potius ſuſpenditur interim uſucapio, ita ut tempus, quo interrupta fuit, non proſit ad uſucapiendum, utique vero illud, quod præceſſit, vel ſubſecutum eſt, cum legitimum aliquod extrinſecum impedimentum obſtitit, quominus agi poſſet; cum ex vulgato axiomate non valenti agere non noceat præſcriptio (1): atque hinc

ex præſcriptione, ſeu poſſeſſione deducendum eſt tempus belli (✠2), & peſtis (3); quia plerumque miſeris hiſce temporibus agi nequit; adeoque æquum eſt, ut præſcriptionis vis interim in ſuſpenſo ſit (4). Neque belli, aut peſtis probatio neceſſaria eſt, ſi hæc ſint notoria; quæ enim publica ſunt, probatione non indigent (5).

(1) *L.* 1. §. *ult. cod. de annal. exception.* (7. 40.)

(✠2) *Oſaſc. deciſ.* 69. *num.* 14, *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 48. *num.* 6., *ubi tamen num. ult. tenet. cum aliis, deductionem hanc temporum non admitti in præſcriptione immemoriali: maxime ſi his temporibus jus dictum fuerit, Deciſ.* 20. *decembris* 1680. *refer. D. Malherba in cauſſa Ambroſii contra Pregnum*, §. *Secundo quia alleganti*, *Deciſ.* 27. *martii* 1649. *refer. D. Abecclesia in cauſſa Comit. Vici contra prætendentes*, §. *His poſitis*, *Deciſ.* 25. *auguſti* 1732. *refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Biolettum*, §. *Pro eo vero*, *in medio num.* 3.

(3) *Oſaſc. d. deciſ.* 69. *num.* 14, *Theſ. d. num.* 6.

(4) *D. L.* 1. §. *ult. cod. de annal. except.*

(5) *L. Ea quidem* 7. *cod. accuſationib.* (9. 2.)

DEFINITIO XIX.

Abſentibus ex juſta cauſſa, & militibus in expeditione occupatis non currit interim præſcriptio longi temporis, utique vero longiſſimi.

Ex eodem fundamento, quo diximus (defin. præced.), non valenti agere non nocere præſcriptionem, recte placuit, eam, quæ longi temporis eſt, ſeu decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, non nocere abſentibus, & militibus, utique vero longiſſimi temporis (1): abſentibus, inquam, qui ex neceſſaria, vel juſta cauſſa abſint (✠2), atque militibus, quamdiu ſunt in expeditionibus occupati (3), non autem, ſi voluntarie abſint, & in ædibus ſuis degant (4); quia tunc ceſſat cauſſa privilegii. Atque ex rationis identitate eodem beneficio potiuntur, qui ab hoſtibus capti poſtliminio reverſi ſunt (5).

(1) *L. Sicut in rem* 3. *cod. de præſcrip. XXX.*, *vel XL. annor.* (7. 39.)

(✠2) *L. Si poſſeſſio* 4. *cod. quib. non objic. long. temp. præſcript.* (7. 35.), *Deciſ.* 25. *auguſti* 1732. *refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Biolettum, in fine.*

(3) *L.* 1. *cod. eod. tit. quib. non objic. long. tempor. præſcrip.*

(4) *L. ult. cod. eod. tit.*

(5) *L. Ab hoſtibus* 7. *cod. eod. tit.*

DEFINITIO XX.

Ex cauſſa ignorantiæ non datur reſtitutio adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis; niſi ſimul concurrat juſta alia cauſſa, vel abſentia in utilitatem reipublicæ.

In ea quæſtione, utrum ex cauſſa, ſeu ut loquuntur veteres pragmatici, ex capite juſtæ ignorantiæ (juſtæ diximus, ut craſſam, & ſupinam ignorantiam excludamus) reſtitutio aliquando obtineri poſſit adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis, aliqui diſtinguunt tricennariam a quadragenaria præſcriptione: alii utriuſque eandem eſſe conditionem defendunt: nec deſunt, qui, mediam ſententiam amplectentes, inſpiciendum exiſtimant, utrum juſta ignorantia aliam cauſſam annexam habeat, nec ne. Diſtinctio inter tricennariam, & quadragenariam præſcriptionem nititur conſtitutione Imperatoris Anaſtaſii, qui, pleniſſimam ſecuritatem promittens ex præſcriptione, quadragenariam unico commemorat (1). Sed de tricennaria

aperte loquuntur Honorius, & Theodoſius, atque eandem vim ipſi tribuunt (2). Quare legibus, atque publicæ utilitati magis conſentanea videtur eorum ſententia, qui ex capite ignorantiæ nec poſt quadraginta, neque poſt triginta annos reſtitutionem concedendam eſſe arbitrantur (3), quam idcirco amplexus eſt Senatus Pedemontanus (✠4), & Sabaudus (5). Niſi præter ignorantiam juſta aliqua cauſſa, puta abſentia in utilitatem reipublicæ, vel Principis ſimul interveniat, quo caſu ex æquitate reſtitutio concedi poteſt (✠6), atque ita ſuadet generalis clauſula a prætore propoſita, qua ſe reſtituturum ſpondet, ſi qua alia juſta cauſſa eſſe videbitur (7). Neque contrarius eſt Juſtinianus, ajens neque abſentiam, neque militiam ab hujuſmodi præſcriptione longiſſimi temporis defendere (8); hoc enim & nos fatemur; ſed addimus, hæc ad impetrandam reſtitutionem interdum prodeſſe: ſicut in minoribus contingit, adverſus quos currit præſcriptio triginta, vel quadraginta annorum (9), læſi tamen ex imbecillitate ætatis in integrum reſtituuntur (10). Minus nocet vulgare effatum, non valenti agere non currere præſcriptionem (11): ex quo ſequi videtur, præſcriptionem ignoranti non obeſſe; utpotequi experiri nequeat de eo jure, quod ignorat; etenim præſcriptionis continuatio tantum ſuſpenditur, ſeu interrumpitur ex impedimentis, quæ extrinſeca ſunt, & lex ipſa probat, non ex ceteris, quæ in eo ipſo ſunt, cui præſcriptio objicitur; alioquin, hoc ſemel admiſſo, non una, ſed plures inextricabiles oriuntur dubitandi occaſiones (12), quorquot jure, vel injuria allegari poſſunt impedimenta.

(1) *L. Omnes 4. cod. de præſcr. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.)

(2) *Poſt hanc vero temporis definitionem nulli movendi ulterius facultatem competere cenſemus, L. Sicut in rem 3. cod. eod. tit. de præſcript. XXX, vel XL. annor.*

(3) *V. ſupra lib. I. tit. XLI. de temporib. in integr. reſtitut. defin. III.*

(4) *Theſaur. dec. 114. num. ult.* ✠, *& in addit. lit. A* ✠

(5) *Fab. cod. ſi adverſ. uſucapion. lib. 2. tit. 22. defin. 1. in princip., & num. 1. in allegat.*

(✠6) *Fab. d. defin. 1. in princip., Voet. in pandect. lib. 4. tit. 6. num. 12. prope finem, Deciſ. 20. auguſti 1732. refer. D. Laurenti in cauſſa Bordoni contra Biolettum, in fine.*

(7) *L. 1. ff. ex quib. cauſſis major. &c.* (4. 6.)

(8) *D. L. Sicut in rem 3 cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor.*

(9) *D. L. 3, L. ult. cod. in quib. cauſſ. in integr. reſtitut. neceſſaria non eſt* (2. 41.)

(10) *L. unic. eod. ſi adverſ. uſucapion.* (2. 36.), *V. ſupra lib. I. tit. XL. de reſtitut. minor. adverſ. uſucapion. defin. I. pag. 207.*

(11) *Quod eruunt interpretes ex L. 1. §. ult. cod. de annal. except.* (7. 40.)

(12) *L. ult. in fin. cod. de præſcript. long. tempor.* (7. 33.)

DEFINITIO XXI.

Interrumpitur, ſeu ſuſpenditur præſcriptio etiam longiſſimi temporis, ſi nullus ſit legitimus contradictor.

Potius inter legitima præſcriptionis impedimenta, quibus illius vis, & progreſſus ſuſpendatur, recenſeri debet defectus legitimi contradictoris (1), puta ſi fingatur heres fideicommiſſo gravatus, qui Trebellianicam interim non detrahat; hanc enim ejus deſcendentes, qui in bona fideicommiſſaria perpetuo ſucceſſerunt, eaque ſpecifice poſſederunt, quocumque tempore petere poſſunt (✠2) ex allata juris regula, ex qua non va-

Digitized by Google

lenti agere non currit præſcriptio (3): niſi de una linea in aliam tranſeat fideicommiſſum, vel de ſubſtituto in ſubſtitutum extraneum, vel etiam deſcendentem, qui tamen heres non ſit; tunc enim, cum bona per fideicommiſſum reſtituenda ſeparari debeant ab ea portione, quæ ad heredem gravatum legitimæ, & Trebellianicæ jure pertinent, niſi hæc detrahantur, incipit præſcriptio vires habere (✠4).

(1) *Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor. lib. 7. tit. 13. defin. 6, ubi de exceptionibus, quæ perpetuæ ſunt, ſeu durant ultra triginta annos etiam de iis rebus, de quibus actiones ſunt temporales, puta de beneficio in integrum reſtitutionis, quod quocumque tempore per viam exceptionis opponi poteſt.*

(✠2) *Decis. 30. ſeptembris 1735. refer. D. Caſſotti in cauſſa concurſ. Comit. Bertoni de Balbis contra prætendentes, §. His poſitis, ubi & ita deciſum traditur a Senatu Caſalenſi 1. aprilis 1719. in cauſſa Comit. Calorii contra Marchiones de Griſella.*

(3) *D. L. 1. §. ult. cod. de annali excep.* (7. 40.)

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Caſſotti, & d. §. poſt num. 16, d. Deciſ. Senat. Caſalenſis, §. His prænotatis.*

DEFINITIO XXII.

Actiones medicorum, & ſimilium ex cauſſa curationis, nec non ſalaria familiarium, & famulorum biennio apud nos præſcribuntur.

Quamquam actiones omnes triginta annorum ſpatio præſcribuntur (1), quædam tamen ſunt breviori tempore concluſæ (2): atque apud nos actiones, quæ medicis, chirurgis, pharmacopolis, aliiſve profeſſoribus, vel artificibus competunt ex cauſſa curationis, medicamentorum, aut operarum præſcribuntur biennio, niſi apocham obligationis obtinuerint, vel probent, ſe hæc petiiſſe (✠3): quod & ad ſalaria familiarium, & famulorum, nec non ad cibaria, & ſimilia a cauponis ſuppeditata extenſum eſt (4).

(1) *L. Sicut in rem 3. cod. de præſcrip. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.), *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 18. §. 1.*

(2) *De his V. Juriſprud. Tom. IV. §. 276, & ſeqq. pag. 72.*

(✠3) *V. Reg. conſtit. lib. 5. tit. 18. §. 3., Deciſ. 28. martii 1731. refer. D. Bianchis in cauſſa concurſ. Beltrami, §. Poſtmodum rejecta, prope finem deciſ., ubi rejecta fuit inſtantia pharmacopolæ ex modo allegata juris regii ſanctione.*

(4) *Reg. conſtit. d. §. 3. in fin.*

DEFINITIO XXIII.

Intra quod tempus adeunda ſit hereditas a ſuis heredibus, præſcriptione alioquin repellendis?

Non una eſt omnium ſententia, cum quæritur, intra quod tempus adeunda ſit hereditas a ſuis heredibus; futurum alioquin, ut jure ſuo excidant. Sunt, qui putant, nonaginta annos in hac re indulgendos eſſe, ita videlicet, ut triginta annos heres ſuus habeat tamquam filius, triginta tamquam agnatus, & triginta tamquam cognatus. Paſſim tamen recepta, nec non juris regulis magis conſentanea eſt eorum ſententia, qui jus hoc intra triginta annorum ſpatium coercent (✠1); Imperatores enim ſolam longi temporis præſcriptionem excludunt (2): quo ſatis innuunt, generali regulæ ſtandum eſſe, ex qua actiones etiam de rerum univerſitate triginta annis perimuntur (3); cum hæc non inveniatur nominatim excepta.

(✠1) *Deciſ. 26. martii 1665. refer. D. Raſini in cauſſa Davichæ contra Corteſiam, §. Quoad oppoſitam vero.*

(2) *L. Licet incontinenti 8. cod. de jure deliberandi* (6. 30.)

Digitized by Google

(3) *L. Sicut in rem 3. cod. de præſcrip. XXX, & XL. annor.* (7. 39.)

DEFINITIO XXIV.

Contractus, qui uno tempore non perficiuntur, ſed progreſſum temporis habent, quocumque tempore ad æqualitatem, mutatis rerum adjunctis, reduci poſſunt.

Quoties in venditione, vel alio quolibet contractu læſio enormiſſima intervenit, redimendi pactum temporale perpetuum fit, ideſt durat uſque ad triginta annos (1), atque unico tricennio impletur præſcriptio hæc, ſive temporalis, ſive perpetua conceſſa fuerit redimendi facultas, & enormiſſima læſio intervenerit (2); quia hujuſmodi temporis ſpatio ex legum ſanctione extinguuntur actiones omnes (3), niſi quæ nominatim exceptæ ſunt (4). Si tamen ageretur de contractibus, qui non uno tempore perficiuntur, ſed tractum ſucceſſivum habent, præſcriptio non obeſt, quominus ad æquitatem reducantur, ſi maxima ſit iniquitas: veluti ſi quæſtio eſſet de præſtationibus, quæ in certa monetæ ſpecie fieri ſolent, atque moneta hæc ad quid minimum a Principe fuerit redacta; ita enim ſuadet æqualitas in omnibus contractibus ſervanda (✠5).

(1) *Fab. cod. lib. 7. tit. 13. def.* 11.

(2) *Fab. d. defin. 11. num. 13, & ſeqq. in corp.*

(3) *L. Sicut in rem 3. cod. de præſcrip. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.)

(4) *L. Omnes nocendi 4. cod. eod. tit.*

(✠5) *Theſaur. deciſ. 214. num 3, & deciſ. 226. num. ult., Deciſ. 14. junii 1673. refer. D. Raſini in cauſſa utrinque Bagnaſci, §. Et in ſpecie materiæ.*

DEFINITIO XXV.

Pactum redimendi non durat ultra triginta annos, licet perpetuum conventum fuerit.

Redimendi pactum, licet perpetuum adjectum fuerit venditioni, non tamen ex communi pragmaticorum ſententia durat ultra triginta annos (✠1), ita ſuadente æquitate, quæ non ſinit, ut quis nullo tempore rem emtam quiete poſſideat. Atque ſententia hæc apud nos Regis ſanctionibus probata, atque confirmata fuit (2).

(✠1) *Deciſ. 23. martii 1740. refer. D. Laurenti in cauſſa Comitis de Sachis contra Congregationem Miſericordiæ num. 28, & ſeqq. ubi traditur, jus regium extendi ad præterita.*

(2) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 18. §. 1.*

DEFINITIO XXVI.

Quo tempore præſcribatur actio ſpolii ad redintegrandam poſſeſſionem?

Actio ſpolii, ſeu quæ competit ſpoliatio, ut poſſeſſionem ſuam, a qua dejectus fuit, recuperet (1), non præſcribitur, niſi ſpatio triginta annorum (✠2) ſecundum generalis juris regulas (3): niſi forte res ſit contra tertium poſſeſſorem, qui juſto titulo, & bona fide rem conſecutus ſit (4); nec ſpoliatus ex eorum numero ſit, quorum bona ab aliis adminiſtrantur, quique ideo ſpeciali favore digni ſunt (5).

(1) *Canon. Redintegranda 3. cauſſ. 3. quæſt. 1.*

(✠2) *Deciſ. 12. junii 1679. refer. D. Gabuti in cauſſa Comit. Coſtiliolarum contra Comit. Alpherium, & Villam, §. His tamen minime obſtantibus, Deciſ. 11. decembris 1673. refer. D. Beraudi in cauſſa Facii contra hereditat. jacentem Fieri, & fratr. de Pennatos, §. Non ſecundo præſcri-*

Digitized by Google

ptio allegata, V. Fab. cod. unde vi lib. 8. *tit.* 3. *defin.* 1.

(3) *Auth. Niſi tricennale cod. de præſcript. longi tempor.* (7. 33.), *junct. L. Sicut in rem* 3., *& L. ſeq. cod. de præſcription. XXX., vel XL. annor.* (7. 39.)

(4) *Theſaur. deciſ.* 29. *num.* 2. ✠

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Gabuti, & d.* §.

DEFINITIO XXVII.

An, & quo temporis ſpatio præſcribatur legatum annuæ præſtationis loco pio ſolvendæ?

Si quæratur, an, & quo temporis ſpatio præſcribatur legatum annuæ cujuſdam præſtationis loco pio relictum, diſtinctione opus eſt: vel hujuſmodi legatum cauſſam perpetuam habet, vel temporalem tantummodo: ſi cauſſam perpetuam habeat, puta relictum fuerit ſub ea conditione, ut pro legantis anima quotidie ſacroſanctum miſſæ ſacrificium offeratur, atque conditio hæc adimpleta ſit, ne centenaria quidem præſcriptio objici poteſt eccleſiæ, cur legato annuæ penſionis carere debeat (1); tamdiu enim debetur legatum, quamdiu legantis voluntati ſatisfit (2). Atque eadem regula multo magis ſervari debet, ſi debitum profluat ex contractu ultro citroque obligatorio, qui ex una parte executioni demandatus ſit (3); ne contra æquitatem (4) alter cum alterius diſpendio locupletetur. Si autem temporalis ſit legati cauſſa; veluti ſi uſque ad certum tantummodo tempus etiam longiſſimum, puta in centum annos adjectum ſit onus perpetuo, quoad præſtationem, legato, centum annis præſcribetur hujuſmodi præſtatio (5); quemadmodum ſupra diximus de fideicommiſſis, feudis, & ceteris rebus, ad quas proprio jure veniunt ſucceſſores (defenit. III., & IV.); etenim in hiſce annuis præſtationibus currere nequit præſcriptio, niſi cujuslibet anni initio; adeoque non extinguuntur, niſi per centum annos, vel immemoriale tempus neque ſolutæ, neque petitæ fuerint (✠6); ſed hæc de ſorte ipſa, ita dicam, ſeu de obligatione penſionis ſolvendæ accipi debent: ſingulæ enim præſtationes, quæ quotannis debentur, tricennaria præſcriptione extinguuntur (7).

(1) *Fab. cod. de præſcription. XXX, vel XL. annor. lib.* 7. *tit.* 13. *def.* 20.

(2) *L.* 1. *cod. de legat.* (6. 37.), *L. Si ex conditione* 3. *cod. de condit. inſert.* (6. 46.)

(3) *Fab. d. defin.* 20. *num.* 3. *in corp.*

(4) *L. Nam hoc natura* 14. *ff. de condict. indebit.* (12. 6)

(5) *Fab. d. lib.* 7. *tit.* 13. *definit.* 20. *in princip., & num.* 3. *in allegationib., & def.* 19. *ibid. in princip. ad num.* 9. *cod. eod. tit.*

(✠6) *Theſaur. deciſ.* 179. *num.* 2, *& in additionib., Deciſ.* 28. *novembris* 1672. *refer. D. Torrini in cauſſa Albertenghi contra Ajaſſam, & Honoratum*, §. 4. *Non refragatur temporis lapſus, Theſaur. deciſ.* 179. *num.* 2.

(7) *Theſaur. d. deciſ.* 179. *num.* 4. ✠, *& in additionib. litera A* ✠

DEFINITIO XXVIII.

Actiones in judicium deductæ, atque deinceps intermiſſæ quo tempore præſcribantur?

Actiones omnes ſemel ac in judicium deductæ ſunt, ſeu lis ſuper illis conteſtata eſt, quamvis deinde fuerint omiſſæ, durant per quadraginta annos, ex quo demum tempore litigatores tacuerunt, computandos (✠1). Sed hæc juri noſtro non conveniunt, quo actiones omnes, nulla facta diſtinctione, triginta annorum ſpatio perimuntur (2): atque idem dicendum videtur de libertate contra vaſſallum ab iis juribus, quæ in

vim feudi habentur, quæ, præciſo jure municipali, nonniſi quadragenaria præſcriptione acquiri poteſt (✠3).

(✠1) *L. ult. cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.), *L.* 1. §. 1. *in fin. cod. de annal. except.* (7. 40.), *Deciſ.* 15. *decembris* 1676. *refer. D. Torrini in cauſſa utrinq. de Avogadris*, §. *Superaddito, quod actio*, *Deciſ.* 22. *junii* 1731. *refer. D. Blavet in cauſſa Comit. Baudi contra fratres de Iſoardis*, *in medio*.

(2) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 18. §. 1.

(✠3) *Deciſ.* 27. *martii* 1730. *refer. D. Marelli in cauſſa Comit. Noni contra communitat.*, §. *Poſtremum vero, poſt num.* 20., *L. ult. cod. de fundis patrimonialib.* (11. 61.)

DEFINITIO XXIX.

An cenſus, ſors, & reditus annui ſubſint præſcriptioni, & cujus temporis?

In ea quæſtione, utrum cenſus, aliæque præſtationes annuæ præſcriptioni ſubjaceant, diſtinguendum eſt inter annuos reditus, qui ex cenſu debentur, atque ſortem ipſam. Reditus annui præſcribuntur per triginta annos, ita ut nonniſi ab anno nono poſt vigeſimum peti poſſint (1); quia initio cujuslibet anni debentur (2). Ipſa vero ſors ſola centenaria, vel immemoriali præſcriptione excluditur (✠3), quemadmodum de legato annuæ penſionis ſupra diximus (definit. XXVI.)

(1) *Fab. cod. de præſcript. XXX, vel XL. annor. lib.* 7. *tit.* 13. *defin.* 5, & 9. *num.* 4. *in corp.*

(2) *L. Cum notiſſimi* 7. §. *ult. cod. eod. tit.* (7. 39.)

(✠3) *Fab. cod. eod. tit. defin.* 19, & 20, *Deciſ.* 14. *junii* 1673. *refer. D. Raſini in cauſſa utrinque Bagnaſci*, §. *Hic vero non tantum*, *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1769. *refer. D. Scala in cauſſa Marchion. a Gorzegno contra Marchion. Galeatium Scarampum a Pruneto*, §. *Et quando prætenſus*, *in fin. deciſ.*

DEFINITIO XXX.

Quo tempore præſcriptio currere incipiat?

Præſcriptio incipit a tempore poſſeſſionis, cum de rebus corporalibus quæſtio eſt: in actionibus vero ab eo tempore, quo natæ ſunt, atque experiendi in judicio poteſtas fuit (1): proinde initio cujuslibet anni, vel menſis in legatis, fideicommiſſis, & ejuſdem generis præſtationibus, quæ quotannis, vel menſibus renaſcuntur (✠2).

(1) *L. Sicut in rem* 3. *cod. de præſcrip. XXX, vel XL. annor.* (7. 39.)

(✠2) *L. Cum notiſſimi* 7. §. *ult. cod. eod. tit.*, *Fab. cod. eod. tit. lib.* 7. *tit.* 13. *definit.* 5., *Deciſ.* 16. *aprilis* 1646. *refer. D. Santina in cauſſa Capituli Hyporedienſis contra jugales Demoſca*, *in fine*.

TITULUS XXI.

De donationibus.

DEFINITIO I.

Donatio propria inter vivos eſſe poteſt, licet ejus executio, ſive effectus poſt mortem differatur.

Quamquam vera, & propria donatio exigit, ut rei donatæ dominium ſtatim in accipientem transferatur (1); atque ideo impropria, & mortis cauſſa donatio eſt, cum rei donatæ proprietas penes donatorem interim remanet, quamdiu vivit, & tum demum in donatarium tranſit, cum vita functus erit donator (2). Non tamen impropria, & mortis cauſſa donatio eſt, cum quis poſt mortem ſuam donat, ſeu

ſtatim quidem donat, ſed effectum donationis poſt mortem ſuam differt (✠3); hujus enim donationis eadem indoles eſt, ac promiſſionis ſtipulanti factæ, qua quis ſpondeat, ſe daturum poſt mortem ſuam, aut cum morietur (4), cujus ea vis eſt, ut ſtatim valeat promiſſio, & ſtipulatio, ſed rei petitio interim ſuſpendatur, donec vita functus ſit donator; adeoque, donatario præmoriente, ejus heredibus actio quæritur, qua rem donatam vindicent (5). Neque mortis mentio efficere poteſt, ut donatio hæc mortis cauſſa dici debeat, maxime quia res interim apud donatorem remanet, quamdiu vixerit; mortis enim mentio, non eo pertinet, ut vis donationis ſuſpendatur, ſed tantum, ut differatur ejus executio, quemadmodum contingit in obligationibus in diem conceptis (6); ſive certus, ſive incertus ſit dies, quo promiſſio impleri debet (7). Marcianus autem ajens mortis cauſſa donationem intervenire, cum donator mavult ſe habere, quam donatarium, hunc vero potius, quam heredem (8), duplici ſenſu intelligi poteſt Jurcconſulti reſponſum; aut ita, ut in qualibet donatione mortis cauſſa donator malit ſe rem habere, quam donatarium, atque hunc magis, quam heredem: vel ita, ut toties ſit donatio mortis cauſſa, quoties hujuſmodi voluntas in donatore intervenit: primum extra controverſiam eſt: alterum ex Jureconſulti verbis neceſſario non eruitur, atque alienum eſt a juris regulis, quibus ſtatuitur, contractus inter vivos celebrati indolem non amittere actum, quamvis illius executio, & implementum poſt alterutrius contrahentis mortem differatur. Ergo, ut paucis rem contrahamus, donatio vera, & propria inter vivos eſt, cum quis rem ita donat, ut nullus revocationi, ſeu pœnitentiæ locus ſit, licet rem donatam, quamdiu vivit, retinere malit: mortis vero cauſſa, quoties quis ita donat, ut, quamdiu vivit, pro arbitrio liberalitatem ſuam revocare poſſit (9). Neque mortis cogitatio, quæ in eo reperitur, qui non niſi poteſt mortem ſuam rei dominium in donatarium transferre vult, magis efficere poteſt, ut donatio mortis cauſſa fiat, quam ut ſtipulatio dandi poſt mortem abeat in poſtremæ voluntatis actum; quippe ea tantum mortis cogitatio hunc effectum parit, ex qua pœnitentiæ locum ſibi excipit donator, quamdiu vivit (10).

(1) *L.* 1. *ff.* 1. *hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(2) §. 1. *inſtit. hoc tit.* (2. 7.), *L.* 1. *ff. de mort. cauſ. donationib.* (39. 6.)

(✠3) *Deciſ.* 7. *ſeptembris* 1772. *reſ. D. Cavalli in cauſſa Vaſſalli contra PP. S. Philippi Taurin.*, §. *Hiſce præhabitis num.* 25., *& ſeqq.*, *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1679. *reſ. D. Rolando in cauſſa Comit. Blancardi, & prætendentium in hereditate præfid. Blancardi*, §. *Quare ſecundum ordinem*, *num.* 57.

(4) *L. Quodcumque* 45. §. 1., & 2. *ff. de verbor. obligat.* (45. 1.), §. *Ita autem* 14. *inſtit de inutilib. ſtipulat.* (3. 20.)

(5) *L. Penult. cod. quand. dies legat.* (6. 54.)

(6) §. *Omnis ſtipulatio* 2. *inſtit. de verbor. obligat.* (3. 16.)

(7) §. *Poſt. mortem* 13. *inſtit. de inutilib. ſtipulationib.*

(8) *L.* 1. *ff. de mort. cauſ. donationib.* (39. 6.)

(9) *L. Ubi ita donatur* 27. *ff. eod. tit.*

(10) *D. L.* 27. *ff. de mort. cauſ. donat.*

DEFINITIO II.

Donationes factæ ante patratum ſcelus, quod bonorum publicatione coercetur, in fraudem fiſci factæ revocantur.

Irritæ ſunt donationes non tantum factæ poſt crimen capitale patratum, ex quo bona publicantur, ſi deinde condemnatio ſecuta fuerit (1); ſed etiam, quæ ante commiſſum ſcelus fuerint celebratæ, ſi in fraudem fiſci factæ appareant (✠2):

fraus autem præſumitur, ſi quis omnia bona ſua donaverit; ſi clam donatio facta ſit; maxime ſi expreſſum fuerit vim habituram eſſe donationem, quamvis bona deinceps publicari contingeret; etſi enim dolus plerumque non præſumatur, ſed probandus ſit (3), indicia tamen aliquando admittuntur (4).

(1) *L. Poſt contractum* 15. *ff. h. tit.* (39. 5.)

(✠2) *Ita Brunneman, & Gottofred. ad d. L.* 15. *ff. hoc tit. de donat. poſt alios, Deciſ.* 19. *auguſt.* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa concurſ. Borel*, §. *Quinta*, *ex quo donatio*.

(3) *L. Quoties operæ* 18. §. 1. *ff. de probat.* (22. 3.) *L. Dolum* 6. *cod. de dolo malo* (2. 21.)

(4) *L. Sed ſi moribus* 14. §. *Sed etſi conſtante* 5. *ff. Qui & a quib. manumiſ.* (40. 9.)

DEFINITIO III.

Pater filio in poteſtate retento donare poteſt contemplatione matrimonii; nec non dotem filiæ.

Pater emancipato filio recte donat (1); emancipatus enim filius extraneo comparatur (2): ſed, ſi filius adhuc ſub patris poteſtate ſit, donatio nulla eſt (3), ut neque ad uſucapiendum proſit (4); cum pater & filius una, eademque perſona conſiderentur (5), adeoque pater filio donans ſibi ipſi donare videretur: quo fundamento traditum eſt, neque filium a patre, neque patrem a filio ſtipulari poſſe (6). Sed regula hæc plures habet exceptiones, puta favore militiæ (7); atque etiam ſubſiſtit, ex inducta apud pleraſque gentes conſuetudine, donatio filio facta contemplatione matrimonii: quod quidem æquitate, & publica utilitate ſuadente receptum fuit, tum ut facilius ad nuptias contrahendas alliciantur, qui alioquin cum filiisfamilias non eſſent contracturi; tum quia emolumentum hujuſce donationis non ſoli filio acquiri videtur, ſed etiam conjugi, & liberis ex eo matrimonio naſcituris (✠8); atque eadem eſt dotis ratio (9); cum immo pater dotem dare teneatur, ut filia virum, cui nubat, invenire poſſit (10); atque donatio hæc non tantum filiæ, ſed viro quoque, & proli ex eo matrimonio naſcituræ facta exiſtimatur; etiamſi præcipuum in dote ſit mulieris emolumentum (11).

(1) *L. Sive emancipatis* 17. *cod. hoc tit. de donat.* (8. 54.)

(2) *L. Si genero* 26. *cod. de jur. dot.* (5. 12.)

(3) *L. Cum de bonis* 11, *L. Sive emancipatis* 17. *cod. hoc tit. de donat.*

(4) *L.* 1. §. 1. *ff. pro dote* (41. 6.)

(5) §. *Poſt mortem* 13. *inſtit. de inutilib. ſtipulat.* (3. 20.)

(6) §. *Item inutilis* 6. *inſtitut. cod. tit.*

(7) *L. Si filiusfamilias* 4. *cod. famil. erciſc.* (3. 36.)

(✠8) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *defin.* 1. *Theſaur. deeiſ.* 32. *in addit. lit. B. in fin.*, *& quæſt. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 2, *Deciſ.* 28. *februarii* 1673. *refer. D. Raſino in cauſſa Baronis contra Columbam*, §. 1. *Donatio*.

(9) *L. Pomponius Philadelphus* 35. *ff. famil. erciſc.* (10. 2.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *d. defin.* 1. *in med.*, *& defin.* 13. *num.* 1. *in allegat.*

(10) *L. Capite* 19. *ff. de ritu nupt.* (23. 2)

(11) *L. Si extraneus* 33. *in fin. ff. de jur. dotium* (23. 3.)

DEFINITIO IV.

Donatio facta filio contemplatione matrimonii non præſumitur ſucceſſiva, ſed ſimultanea.

Donatio facta a patre, contemplatione matrimonii, filiofamilias, ejuſque naſcituris inde liberis ſucceſſiva potius præſumitur, niſi contraria appareat donantis voluntas, ita ut ad liberos perven-

tura ſint bona, tamquam heredes ſui patris, non tamquam ab avo ſubſtitutos (✠1); filio enim proſpicere directe voluiſſe cenſetur donator, ejuſque liberis tantum favore ſui patris. Sane, ſi natis jam liberis, atque ipſorum patri ex juſta cauſſa donatum fuerit, æquis portionibus donata bona dividenda ſunt, ut patri dimidia pars, altera filiis concedatur (✠2).

(✠1) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *def.* 1. *num.* 5. *in allegationib.*, *Deciſ.* 23. *junii* 1684. *refer. D. Vacca in cauſſa utrinque Batuelli*, §. *Hiſce tamen*, *Deciſ.* 27. *januarii* 1730. *refer. D. Sclarandi in cauſſa de Guidettis contra particulares Strambini ſer. in princip. Neque jure, quo nunc utimur, ſuſtineri poſſet donatio ſucceſſiva jure ſubſtitutionis ad filios perventura in illis, qui nobilitatis prærogativa non gaudent*, *V. Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 1. §. 1, *& ſeqq.*, *V. concluſ. D. Advoc. generali anni* 1738. *in cauſſa Oſtini, & Villata*.

(✠2) *Argum.* §. *Si plures* 6. *inſtit. de heredib. inſtituend.* (2. 14.), *Sent. Senat.* 17. *ſeptembris* 1759. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Sardi*.

DEFINITIO V.

Donatio facta filio contemplatione matrimonii ex conjecturis ſucceſſiva dici poteſt.

Fieri tamen poteſt, ut donatio facta filio contemplatione matrimonii ſucceſſiva dici debeat potius, quam ſimultanea, ſi ita ſuadeant conjecturæ voluntatis in donante, qui poteſt rebus ſuis, quam malit, legem dicere (1). Conjecturæ autem ſunt. 1. Si donator maxime deſideraverit, ut nuptias contraheret donatarius cum determinata perſona, atque hac occaſione donaverit. 2. Si donatarius ſtipulatus fuerit pro ſe, & filiis ex eadem perſona naſcituris. 3. Si donator liberalitatem expreſſe conferat in donatarium, & filios ex eo determinato matrimonio procreandos. 4. Si nullis ex eo matrimonio exiſtentibus liberis, irritam donationem fieri velit. 5. Si exprimat ſe ideo donare, ut matrimonium cum eadem certa perſona contrahatur (✠2).

(1) *L. Ob res quoque donatas* 20. §. 1. *ff. de pact. dotalib.* (23. 4.)

(✠2) *V. Menoch. de præſumtionibus lib.* 3. *quæſt.* 48., *Deciſ.* 20. *junii* 1652. *ref. D. Filippa in cauſſa de Meſtiatis contra pratendentes*, §. *His attentis*, *& ſeqq.*, *Deciſ.* 12. *junii* 1680. *refer. D. Gabuti in cauſſa Panealbi contra Balbam de O eliis per tot.*, *Deciſ.* 15. *april.* 1652. *ref. D. Patarini in cauſſa Galleani contra de Provanis per tot.*

DEFINITIO VI.

Mulier dotem ſuam alienare poteſt, ut dotem filiæ nupturæ conſtituat.

Quamquam mulieris interceſſio, & fundi dotalis alienatio regulariter prohibetur (1), favore tamen matrimonii conſtitutum, atque receptum eſt, ut valeat donatio a muliere facta etiam de ſuis dotibus filiæ nuptui deſtinatæ (✠2), quia plus favendum ſit matrimonio contrahendo, quam contracto, & dotis favor præcipue æſtimetur ex nuptiis contrahendis: adeoque ſuaſit æquitas, ut a generali regula caſus hic exciperetur. Juriſprudentia hæc placuit Principibus noſtris: quare decretum eſt, ut mater, pendente matrimonio, ex ſuis bonis dotalibus filiabus dotem conſtituere poſſit, quæ poſt ipſius mortem ſolvi debeat, nullis interim uſuris pendendis: ita tamen, ut donatio hæc quartam dotis partem non excedat, ſi quatuor, aut pauciores ſint filiæ, tertiam vero, ſi plures (3): ita ut neque donatio hæc, a quacumque muliere fiat, ſubjiciatur ſolemnitatibus, quæ in aliis mulierum donationibus præſcribuntur (4). Sed dotis promiſſio, quæ contractum matrimonium ſequatur, huic exceptioni non ſubeſt,

Digitized by Google

utique vero generali regulæ (5), ceſſante favoris cauſſa (6).

(1) *L. 1., & paſſim ff. de fundo dotal.* (23. 5.)

(✠2) *L. Si donare 12, L. ult. cod. ad S. C. Vellejan.* (4. 29.), *Fab. cod. eod. tit. lib. 4. tit. 21. defin. 14., Deciſ. 21. junii 1658. refer. D. Blancardi in cauſſa Valpergiæ, & Bavæ, §. Hæc etſi regulariter, & §. Quo firmato.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 12.*

(4) *Reg. conſtit. ibid. §. ult.*

(5) *Fab. d. defin. 14. num. 8. in corp., Reg. conſtit. ibid. §. ult.*

(6) *L. Generaliter 52. cod. de Epiſcop., & cleric.* (1. 3.), *L. Adigere 6. §. Quamvis nulla 2. ff. de jur. patronat.* (37. 14.), *L. Quod dictum 32. ff* (*de pactis* (2. 14.)

DEFINITIO VII.

An donatio facta a muliere de ſuis dotibus filiæ nupturæ ex cauſſa ſupervenientium donanti liberorum revocetur?

Neque donatio hæc ſive a patre, ſive a matre de ſuis dotibus facta contemplatione matrimonii ex cauſſa liberorum ſupervenientium revocatur (✠1); tum quia ob cauſſam eſt, atque oneroſa reſpectu mariti: tum quia donatio, quæ fit uni ex filiis, eatenus tantum revocatur, ut liberis deinde progenitis ſalva ſit legitima per inofficioſæ donationis querelam (2).

(✠1) *D. Deciſ. (defin. præced.) refer. D. Blancardi, §. Neque obſtare viſa eſt, & duob. ſeqq.*

(2) *L. Si totas 5, L. Si liqueat 8. cod. de inoffici:ſ. donat.* (3. 29.), *Fab. cod. de revocand. donat. lib. 8. tit. 38. def. 5.*

DEFINITIO VIII.

Valet donatio facta a patre liberis benemeritis in poteſtate conſtitutis, dummodo merita non cedat.

Receptum quoque in foro eſt, ut pater donare poſſit filio benemerito (✠1), dummodo merita non excedat donatio; quia potius juſtum paternæ pietatis officium adimplere videtur pater, qui benemerito filio donat; adeoque ſubjiciendus non eſt legum interdicto, quæ donationes haſce prohibent ex inducta fictione, qua pater creditur una cum filio perſona (2): quam idcirco contra æquitatem extendi non decet.

(✠1) *Oſaſc. deciſ. 171, num. 19, Deciſ. 21. martii 1671. refer. D. Viliono in cauſſa Iſnardi contra Icardum, §. Et quamvis, Menoch. de præſumtionib. lib. 3. præſumt. 29., Brunneman. ad L. 25. cod. de donationib. int. vir., & uxor. num. ult.*

(2) *V. Juriſprud. Tom. IV. §. 376. pag. 94.*

DEFINITIO IX.

Ratihabitione expreſſa, vel tacita confirmatur donatio facta a patre liberis in poteſtate conſtitutis. Quis ſit expreſſæ ratihabitionis effectus?

Donatio a patre in filiosfamilias collata etiam in illis caſibus, in quibus a legibus non probatur, ratihabitione expreſſa, vel tacita patris confirmari poteſt: tacita, puta per mortem patris, qui eam non revocaverit, prout conſtitutum quoque eſt de donationibus inter virum, & uxorem (1); non revocando, tacite eam confirmare intelligitur: expreſſa confirmatio verbis patris teſtantis fit, vel filium emancipantis. Cum expreſſa ratihabitio, ſeu confirmatio a patre facta fuit, ſine ulla diſtinctione donationes ratæ habentur; ita tamen ut

confirmatio ex eo tantum tempore, quo confirmatæ ſunt, incipiat vires habere, ſi, legitimam quantitatem excedentes, in actis non fuerint inſinuatæ (✠2): ad initium vero contractus, ſeu donationis confirmatio retrotrahitur, ſi modum, ſeu quantitatem a legibus præſtitutam non excedat donatio, vel inſinuata fuerit, quæ amplior eſt (3).

(2) *L. Donationes* 25. *cod. de donat. int. vir., & uxor.* (5. 16.)

(✠2) *D. L.* 25. *cod. de donat. int. vir., & uxor, Decif.* 14. *martii* 1650. *refer. D. Abccelefia in cauſſa de Garinis contra Comit. Valpergiæ*, §. *Cum his aeccdit*.

(3) *D. L.* 25 *in fin. cod. de donat. inter vir., & uxor.*

DEFINITIO X

An tacitæ ratihabitionis iidem ſint effectus, ac expreſſæ?

Reſtrictior eſt effectus tacitæ ratihabitionis, quæ deducitur ex donatoris ſilentio; ex hac enim non aliæ donationes confirmantur ex Juſtiniani ſanctione, quam quæ quantitatem legitimam non excedant, vel excedentes actis fuerint juxta legum præſcripta inſinuatæ (1): quamquam & tacita confirmatio ad initium celebratæ donationis retrotrahitur, ſi hæc intra quantitatem legibus definitam conſiſtat, vel inſinuata fuerit, quæ eandem excedit (✠2).

(1) *D. L. Donationes* 25. *fer. in princ. cod. de donat. int. vir., & uxor.* (5. 16.)

(✠2) *D. L.* 25. *verſic. Si vero, Decif.* 28. *ſeptembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa de Raecnixio, & Baroniſſæ de Entraque contra Comit. Lucernæ prope finem princip., ubi conſequenter traditum eſt, bona hæc filio, vel conjugi donata non venire in reſtitutionem fideicommiſſi.*

DEFINITIO XI.

Filiusfamilias donare poteſt bona peculii caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis. An & peculii adventitii irregularis?

Cum quæritur, utrum filiusfamilias donare poſſit, diſtinguenda ſunt diverſa peculiorum genera, quæ ad eundem pertinere poſſunt. De peculio caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi libere diſponere tum inter vivos quocumque titulo, tum mortis cauſſa filiumfamilias, apud omnes conſtat (1); cum in utroque peculio tamquam paterfamilias conſideretur (2). Eadem ratio eſt, quoad diſpoſitionem inter vivos, peculii adventitii irregularis, ſeu quod pleno jure tum quoad proprietatem, tum quoad uſumfructum filius habeat; in hiſce etenim bonis, quo voluerint, modo diſponendi facultatem conceſſit Juſtinianus (✠3). An filiusfamilias peculium adventitium regulare, ſeu cujus uſusfructus ad patrem pertinet, donare poſſit, alibi expendimus (4).

(1) *L. Filiusfamilias* 7. §. *ult. ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(2) *L. Miles* 4. §. 1., *& L. ſequ.*, *& paſſim ff. caſtrenſ. pecul.* (49. 17.)

(✠3) *Novel.* 117. *cap.* 1. §. 1., *Decif.* 28. *ſeptembris* 1644. *refer. D. Appiano in cauſſa de Raeonixio, & Baroniſſæ de Entraque contra Comit. Lucernæ*, §. *Primo quia.*

(4) *V. Jurifprud. Tom. IV.* §. 399. *pag.* 99.

DEFINITIO XII.

Amens donare non poteſt: fatuitas autem ſatis probatur ex teſtibus, qui deponant de publica voce, & fama.

Ex infirmi conſilii cauſſa prohibentur donare amentes, ſive fatui (1), qui vix intelligunt, quod agunt. Amentia autem, ut donatio tamquam a fatuo celebrata viribus deſtituatur, ſatis probatur ex te-

Digitized by Google

ſtibus, qui deponant de publica voce, & fama, quamvis ſpecifice de actibus dementiæ non teſtentur: maxime ſi huic a parentibus in teſtamento curator tamquam fatuo datus fuerit (✠2).

(1) *L. Modeſtinus 23. §. ff. 1 hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(✠2) *Maſcard. de probationib. concluſ. 503. num. 10, Deciſ. 14. decembr. 1681. refer. D. Valgrana in cauſſa De Faciis contra heredes Culatos per tot.*

DEFINITIO XIII.

Monachus donare non poteſt: utique prælatus bonorum adminiſtrationem habens, dummodo ex juſta cauſſa.

Liberæ adminiſtrationis defectu donare prohibetur monachus (✠1); quippe qui nihil proprium habet, cum abdicatio proprietatis, non ſecus ac cuſtodia caſtitatis, adeo annexa ſit regulæ monacali, quemadmodum tradit Innocentius III., ut contra eam (in ſenſu concreto religionis, ut paſſim explicant interpretes, non in ſenſu diviſo) nec poſſit ſummus Pontifex licentiam indulgere (2). Prælati vero bonorum adminiſtrationem habentes exemplo tutorum donare quidem poſſunt, ſed ex rationabili cauſſa, & prout æquitas ſuggerit (3).

(✠1) *Deciſ. 11. decembris 1645. ref. D. Porta in cauſſa Ponzoni contra Comitiſſam Camillam de Turre, §. Cenſuit Senatus, & ſeqq.*

(2) *Cap. Cum ad monaſterium 6. extra de ſtatu monachor.* (3. 35.)

(✠3) *D. Deciſ. ref. D. Porta, §. Nec obſtat, quod, V. Cap. ult. extra de pecul. clericor.* (3. 25.)

DEFINITIO XIV.

Clerici bona tituli eccleſiaſtici donare nequeunt, niſi aliunde habeant, quo honeſte vivere poſſint.

Clericis bonorum patrimonialium, ad quorum titulum fuerunt ordinati, donatio, & quæcumque alienatio prohibetur ſine licentia Epiſcopi, donec ſufficiens beneficium eccleſiaſticum ſint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere poſſint (✠1); ne in eccleſiæ dedecus mendicare, vel artes dignitati parum conſentaneas exercere cogantur. Donatio tamen ipſo jure irrita non eſt (✠2); Tridentinum enim concilium alienationem non omnino, & indiſtincte prohibet, ſed ſub modo, ita dicam, nimirum donec clerici beneficium habeant, vel victum aliunde paratum (3). Quæ autem donationes futuræ profeſſionis intuitu fiunt, formam ab eodem concilio præſcriptam habere debent (✠4): qua ſervata, irrevocabiles ſunt, nec pendent a futura profeſſione, niſi factæ ſint ipſi monaſterio (✠5).

(✠1) *Deciſ. 17. maii 1650. refer. D. Barberis in cauſſa Fenochii contra Oggerium, §. Quin poſſit, Concil. Trident. ſeſſion. 21. cap. 2. de reformation.*

(✠2) *Deciſ. 12. novembris 1683. ref. D. Rolando in cauſſa utrinque Maſſant, §. Nec obſtare.*

(3) *Concit. Tridentin. ſeſſ. 21. cap. 2.*

(✠4) *Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. de regularib. cap. 16, Theſaur. lib. 2. quæſt. 56., & ſeqq., Deciſ. 20. decembris 1645. refer. D. Vercelli in cauſſa Monialium S. Claræ Cunei contra Præfectum Varronem, §. Quæ tamen non ſunt viſa.*

(✠5) *Theſaur. ibid. num. 8., & 9, Deciſ. 19. januar. 1693. refer. D. Burontio in cauſſa Comitiſſæ Talianti contra Comit. de Gerardis, §. Quod primum.*

Digitized by Google

DEFINITIO XV.

An valeat donatio bonorum omnium tum præſentium, tum futurorum? Quid ſi donator bonorum uſumfructum ſibi exceperit?

Non una opus eſt diſtinctione, cum quæritur, utrum valeat donatio omnium bonorum. Conſentiunt quidem omnes, valere donationem bonorum omnium cujuſdam ſpeciei, veluti mobilium, & immobilium, quia donatori adhuc ſuperſunt jura, & actiones, de quibus teſtetur (1): atque nulla videtur eſſe dubitatio, ſi donator vere in bonis jura, & actiones habeat. Sed diſputatur de donatione, qua omnia omnino cujuſcumque generis bona, in donatoris patrimonio exiſtentia, in alterum transferantur: atque in hac re tres ſunt diverſæ ſententiæ. Exiſtimant aliqui, valere donationem bonorum omnium, non tantum præſentium, ſed & futurorum. Alii licitam cenſent donationem bonorum omnium præſentium: illicitam tamen, ſi futura quoque complectatur: alii vero in donationes minus propenſi neque præſentium donationem univerſalem vires habere defendunt: atque etiam inter pragmaticos controvertitur, utrum valere poſſit donatio de bonis omnibus tum præſentibus, tum futuris, ſi donator eorum uſumfructum ſibi nominatim exceperit (2). In hac ſententiarum varietate placuit apud nos media ſententia: atque prohibentur donationes bonorum omnium, ſive præſentium, & futurorum, ſive præſentium dumtaxat, niſi donator ſibi excipiat eorundem bonorum uſumfructum, aut non exiguam eorum quantitatem, ex qua ſuis neceſſitaribus proſpicere, & teſtari poſſit (✠3). Sane ſi quis non tantum præſentia, & futura bona donationis titulo in alterum transferat, excepto uſufructu, dicendum eſt, quod ex eo reliquum donatori ſupereſt, donatione futurorum non contineri, ſed perpetuo exceptum intelligi, quamvis bona aliunde poſt teſtamentum quæſita univerſalis donatio comprehendat. Sane, ut omnis controverſiæ tollatur occaſio, longe convenientius eſt, ut donator certam bonorum partem, vel rem certam præcipuam ſibi retineat.

(1) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 1. quæſt. 2. num. 9., & 10.*

(2) *Quibus porro argumentis unuſquiſque ſententiam ſuam tueatur. Vide, ſi lubet, Juriſprud. Tom. IV. §. 417, & ſeqq. pag. 104.*

(✠3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 14., §. 12, Oſaſc. deciſ. 70. num. 10, atque ita jam apud nos receptum fuerat, Deciſ. 14. decembris 1674. refer. D. Raſini in cauſſa Verbalis contra Arbinam, Deciſ. 20. augusti 1672. refer. D. Raymondi in cauſſa Brunenghi, Præmolæ, & Dumaſſæ. §. Reſpondebatur enim.*

DEFINITIO XVI.

Si donator omnia bona ſua in alterum contulerit, ita tamen, ut de certa re, vel quantitate diſponere poſſit, nec tamen diſpoſuerit, hæc ad donatarium pertinet.

Si quis omnia bona ſua donaverit, ſub ea tamen lege, ut de certa re, vel quantitate diſponere poſſit, iſque, nullo condito teſtamento, decedat, bona hæc non heredi, ſed donatario acquiruntur (1); etenim donator nihil a donatione excepit, ſed tantum facultatem retinuit, de quadam bonorum donatorum parte diſponendi. Cum ergo de ea nihil ſtatuit, non tantum ex prævia donatione, ſed ex tacita quoque donantis voluntate ad donatarium pervenire debet, utpote magis dilectum a teſtatore, quam heredem legitimum, ex quo ſequitur: bona hæc neque creditoribus cedere, quia jus ab ipſo donationis initio quæſitum eſt donatario: potiſſimum ſi donator non ſimpliciter, ſed ſub aliqua conditione diſponendi

facultatem ſibi exceperit: puta ſi donatarius ſine liberis decedat (✠2). Contra ſi donator omnia bona contulerit, ſed quædam ab univerſali donatione exemerit, hæc ad heredem ab inteſtato pertinent, non ad donatarium (3); ex præſumta defuncti voluntate, qui legitimos heredes ad ſucceſſionem vocare cenſetur, ex quo, teſtamento condito, ab ea non repellit (4). Neque objiciatur, cauſſam reſervationi adjectam, ut de exceptis bonis teſtari poſſit donator, inſtar conditionis habendam eſſe, qua deficiente, omnia bona lucretur donatarius; nam reſervatio, ut ſupponitur, pura, & ſimplex eſt: ſubjecta autem ratio merum teſtatoris arbitrium continet, quod heredis legitimi favore interpretamur, quoties de contraria voluntate non conſtat (5).

(1) *Theſaur. deciſ.* 97. *num.* 3. ✠

(2) *V. Deciſ.* 24. *martii* 1734. *refer. D. Caſſotti in cauſſa concurſ. Bertoni*, §. *Hæc erant*, *poſt num.* 43. *ubi de primogenio per donationem inſtituto favore filii ejuſque deſcendentium*, *reſervata facultate diſponendi*, *ſi filius ſine prole decederet*, *prout contigit*; *nec tamen diſpoſuit*.

(3) *Theſaur. d. deciſ.* 97. *num.* 3. ✠

(4) *L. Conficiuntur* 8. §. 1. *ff. de jure codicillor.* (29. 7.)

(5) *D. L.* 8. §. 1. *ff. de jure codicillor.*

DEFINITIO XVII.

Quid ſi donator non omnia ſua bona contulerit, ſed quædam reſervaverit; deinde teſtamento condito, de his non diſpoſuerit?

Major difficultas eſt in ea ſpecie, qua quis non omnia bona ſua donaverit, ſed pleraque tantum, quibuſdam exceptis, de quibus teſtari poſſit; atque donator teſtamentum condiderit, nulla tamen exceptorum bonorum mentione facta. Si inteſtatus deceſſerit, bona hæc ad legitimum heredem pervenire, modo demonſtravimus (Definit. præced.); ſi vero teſtamentum fecerit, nec de his diſpoſuerit, cum bona hæc prævia donatione, quæ omnium bonorum non fuit, minime contineantur, inde heredi teſtamentario acquiri debent (Defin. præced.). Caſus tamen contingere poteſt, quo ex ſpecialibus adjunctis aliud judicium ferendum ſit, ſeu bona hæc ad donatarium pertinere: puta ſi donatio ob cauſſam ſit, eaque repenſationem habeat (✠1); donator bona excepta teſtamento non commemorans, intelligi poteſt velle, ut ſub donatione comprehendantur ex juris regula, quæ fert, in generali diſpoſitione non contineri ea, quæ ſpecialem mentionem deſiderare videntur (2); maxime quia favore donatarii ex cauſſa onerоſa interpretatio in dubio facienda ſit potius, quam heredis, cum ille de damno vitando certet, heres vero de lucro captando (3).

(✠1) *Deciſ.* 26. *novembris* 1747. *ref. D. Viani in cauſſa utr. Baralis*, *ubi tamen plura*, *& maximi momenti erant indicia*, *ex quibus eruebatur*, *diſponendi facultatem de quadam ſumma a donatore reſervatam ad actum inter vivos reſtringendam eſſe*: *tum quia in caſu alienationis penſio donatori promiſſa minuenda erat*.

(2) *Cap. In generali* 81. *extra de reg. jur. in* 6., *L. Veteribus* 39. *ff. de pactis* (2. 14.)

(3) *L. Quod autem* 6. §. *Simili modo* 11. *ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8.)

DEFINITIO XVIII.

An feuda donari poſſint?

An feuda donationis titulo in alterum tranferri poſſint, quæſtio eſt ex receptis apud diverſos populos conſuetudine & moribus definienda. Apud nos feudi alienatio generatim prohibetur, niſi a Principe facultas data ſit (1), atque prævia conſortibus, vel agnatis, ſi qui ſint, oblatio fieri debet (2), niſi ex inveſtituræ lege, vel probata conſuetudine feudi alienatio permittatur (✠3).

Digitized by Google

(1) *Reg. conſtit. lib. 6. tit. 3. cap. 6.* §. 5., & 7.

(2) *Reg. conſtit. ibid.* §. 8.

(✠3) *Reg. conſtit. ibid.* §. 9., *Deciſ. 14. novembris 1705. refer. D. Biliono in cauſ. utrinq. Mirolia*, §. *Secundus fuit principalis articulus*, & *ſeqq.*, *ubi traditur, qualibet feuda Montisferrati, nullo excepto, alienari poſſe etiam in extraneos cum ſolo directi domini aſſenſu, invitis agnatis, vigore conſuetudinis, quæ extenditur ad donationem*.

DEFINITIO XIX.

Feuda non continentur donatione quamtumvis ampliſſima omnium bonorum.

In donatione quamtumvis generali bonorum omnium mobilium, & immobilium, præſentium, & futurorum, jurium & actionum feuda minime contineri, communis eſt pragmaticorum opinio, quamvis donatio perſonæ capaci, & de feudo novo facta ſit, niſi ſpecialis illius mentio habita fuerit (✠1); quia hic non de poteſtate agitur, ſed de voluntate: in generali autem conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non fuiſſet veroſimiliter conceſſurus (2).

(✠1) *Feudor. lib. 2. tit. 26.* §. 5. *verſic. In generali*, *Deciſ. 14. martii 1650. ref. D. Abeccleſia in cauſſa de Garrinis contra Comit. Valpergæ in princip.*

(2) *Cap. In generali 81. extra de reg. jur. in 6.*

DEFINITIO XX.

Res litigioſa donari non poteſt, nec donare licet in diſpendium creditoris.

Donatio, non ſecus ac oneroſo titulo facta alienatio, rei litigioſæ (1); aut in diſpendium creditoris jure prohibita eſt; maxime ſi propter donationem adverſarii conditio durior fiat, atque cogatur mutare judicium (✠1).

(1) *L. Lite pendente 2. cod. de litigioſ.* (8. 37.)

(✠1) *Deciſ. 14. decembris 1672. refer. D. Valgrana in cauſſa PP. S. Hieronymi Bugellæ contra Valpergam*, §. *Propoſito per reum.*

DEFINITIO XXI.

Donatio non perficitur, niſi ex donatarii, & donantis potiſſimum voluntate libera, & ſimulationis experte.

Cum donatio verus contractus ſit (1), quatenus unus rei ſuæ dominium transferre vult; alter vero accipere, conſequens eſt, donationem perfici non poſſe, niſi ſponte conſentiant donator, & donatarius. Sed potiſſimum deſideratur in donatione voluntas donatoris, quæ vera ſit, & libera, non ſimulata. Quibus autem indiciis ſimulatio in hac re demonſtretur, non una certa regula definiri poteſt. Generales conjecturæ ſunt donationis quantitas, cum quis in virili adhuc ætate conſtitutus, & ſpem habens ſuſcipiendæ prolis omnia bona ſua alteri donat: maxime ſi liberalitas hæc conferatur in filium: clauſulæ inſolitæ, falſæ cauſſæ expreſſio, prætermiſſa conditio, ut donatarius omnium bonorum ad diſſolvendum æs alienum teneatur; modus, quo fuit celebrata, puta ruri, vocato notario extero, coram teſtibus non domeſticis; vel etiam, ſi fiat ab eo, qui criminis accuſatus eſt, vel accuſationem timet (✠2).

(1) *L. Si tibi pecuniam 20. ff. de reb. credit.* (12. 1.), *L. Contractus 17. cod. de fide inſtrumentor.* (4. 21.)

(✠2) *V. Deciſ. 19. auguſt. 1680. ref. D. Torrini in cauſſa concur. Barel*, §. *Prima igitur ſimulationis.*

DEFINITIO XXII.

Donatio regulariter non præſumitur; interdum tamen ex conjecturis admittitur, maxime inter conjunctos.

Quamquam donatio regulariter non præſumitur (1); quia nemo facile creditur velle res ſuas jactare (2):

ſtare vero, & perdere videtur, qui donat (3): interdum tamen ex præſumtionibus admitti poteſt potiſſimum inter perſonas conjunctas (✠4). In hac autem re ratio haberi debet, quemadmodum in ceteris fere negotiis, neceſſitudinis, affectionis, dignitatis, & conditionis perſonarum. Quare iniquis artibus captata donatio facilius judicatur, quæ facta ſit homini potenti, & dignitatibus præclaro: contra minor, pauper, dignitatibus deſtitutus, vix eſt, ut metum incutere credatur ad donationem extorquendam (✠5). Atque idem dicendum de ſolertia, calliditate, negotiorum peritia, & ſimilibus, quæ prudens judex attente perpendere debet, antequam pro donatione, vel contra eam definiat.

(1) *L. Sive poſſidetis 16. cod. de probationib.* (4. 19.), *Oſaſc. deciſ.* 132. *num.* 11.

(2) *L. Cum de indebito* 25. *in med. princip. ff. eod. tit.* (22. 3.)

(3) *L. Filiusfamilias* 7. *ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(✠4) *Argum. L.* 1, & *L. Alimenta* 11. *cod. de negot. geſtis* (2. 19.), *L. Procula* 26. *ff. de probat.* (22. 3.), *Oſaſc. d. deciſ.* 132. *num.* 3., *Deciſ.* 25. *decembris* 1729. *refer. D. Demorra in cauſſa utrinque Randoni*, §. *Cenſuit Senatus*.

(✠5) *Argum. L. Cum alienam* 10. *cod. de legat.* (6. 37.), *L. Filiusfamilias* 7. §. *Non numquam* 3. *ff. hoc tit. de donat.*, *Fab. cod. plus valere, quod agit. lib.* 4. *tit.* 17. *defin.* 1. *in med.*, *Deciſ.* 16. *junii* 1760. *refer. D. Frichignono in cauſſa utrinq. Ferraris*, *num.* 6, & 7. *in corp.* & *in allegat.*

DEFINITIO XXIII.

Donatarii conſenſus neceſſarius eſt, ut valeat liberalitas in ipſum collata: ſufficit tamen, quocumque modo præſtetur, atque etiam tacitus.

Quemadmodum donator poteſt ſive per ſe, ſive per alium voluntatem donandi manifeſtare (1), ita & donatarius liberalitatem in ſe collatam ratam habere, non tantum per ſe, ſed per epiſtolam quoque, per procuratorem, & per nuncium (2); immo tacitus conſenſus, ſeu tacita acceptatio, ut loquuntur pragmatici, ſufficere poteſt, quæ ex ſcientia præſumitur, potiſſimum inter conjunctas perſonas (✠3); atque etiam ex rerum donatarum poſſeſſione, & præſentia utriuſque contrahentis, cum perficitur donatio (4); taciti enim in favorabilibus eadem plerumque vis eſt, ac expreſſi (5).

(1) *L. Etiam* 4, *L. Aquilius Regulus* 27, *L. Lucius Titius* 32. *ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(2) *L. Abſenti* 10. *ff. hoc tit.*, *L. Nec ambigi* 6. *cod. hoc tit.* (8. 54.)

(✠3) *Theſaur. deciſ.* 70. *num.* 12. ✠, *Deciſ.* 12. *maii* 1732. *refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra Neptem*, §. *Poſito rerum ſtatu*.

(4) *Theſaur. d. deciſ.* 70. *num.* 12. ✠

(5) *L. Semper* 60. *ff. de reg. jur.*, *L. Cum quid mutuum* 3. *ff. de rebus credit.* (12. 1.)

DEFINITIO XXIV.

An donatio pluribus facta ſimultanee, vel ſucceſſive omnium conſenſum requirat?

Si quæratur, an donatio pluribus facta omnium conſenſum, ſeu acceptationem deſideret, diſtinguendum eſt inter ſimultaneam, & ſucceſſivam donationem.

Simultanea donatio, ſeu quæ pluribus eodem tempore, & contractu fit, omnium exquirit conſenſum; licet enim unus ſit contractus ex parte donantis, multiplex tamen ſit ex parte donatariorum, adeoque ab omnibus approbandus eſt (1); ne alioquin invitus quis liberalitatem habere cogatur (2). Portio autem illius, qui donationi non conſentit, in dubio ad donantem pervenit, ſeu potius ab eo non abſcedit, atque extra cauſſam donationis manet; cum nullibi traditum ſit, inter donatarios locum habere jus accreſcendi; præterquam in donatione cauſſa mortis (3); utpotequæ fere per omnia, ut ait Juſtinianus, legatis æquiparata fuit (4). Sed non eadem ſervatur regula in donatione non omnibus ſimul, ſed ſucceſſive pluribus facta, ea nimirum lege, ut prior donatarius poſt certum temporis ſpatium, vel exiſtente aliqua conditione, rem ſibi traditam reſtituere teneatur; in hoc caſu placuit, ſufficere conſenſum, ſeu acceptationem primi donatarii, ut jus poſterioribus quæratur (✠5): quod benigna interpretatione receptum eſt, atque conceſſum, ut prior donatarius non ſibi tantum, ſed ceteris quoque ſtipulari, &. ſtipulando acquirere poſſit (6).

(1) *De unoquoque 47. ff. de re judicat.* (42. 1.), *L. Nam ita 39. ff. de adoptionib.* (1. 7.)

(2) *L. Hoc jure 19. §. Non poteſt 2. ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(3) *L. ult. §. Hæc autem 14. cod. de caduc. tollend.* (6. 51.)

(4) *§. 1. inſtit. hoc tit.* (2. 7.)

(✠5) *L. Quoties donatio 3. cod. de donationib., quæ ſub modo* (8. 56.), *d. Deciſ. 12. maii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra Neptem, & d. §. Poſito rerum ſtatu.*

(6) *D. L. 3. cod. de donat., quæ ſub modo.*

DEFINITIO XXV.

Donatio propter nuptias, vel jurejurando firmata valere poteſt, antequam donatarius in eam conſenſerit.

Excipi ſolet a conſenſus neceſſitate in donatario, ſeu acceptationis donatio propter nuptias facta ſponſo, vel ſponſæ contemplatione matrimonii, quod deinde ſecutum fuerit (1), favore nimirum matrimonii: nec non donatio promiſſorio jurejurando firmata (✠2) propter religionem jurisjurandi, quod ſervandum eſt, niſi in æternæ ſalutis diſpendium vergat (3): quod quidem ita accipiendum eſt, ne donatori liceat, donationem, nondum ſecuta acceptatione, revocare (4): non autem, ut ante eam perfecta ſit undequaque donatio; neque enim jusjurandum efficere poteſt, ut ibi ſit contractus, ubi non eſt duorum in eandem rem conſenſus. Sed hæc de vi jurisjurandi regio, quo nunc utimur, juri non conveniunt; quippequo ſimulati, & malignis artibus extorti decernuntur contractus, quibus jusjurandum adjectum fuerit; adeoque nullius roboris, licet contrahentes ſponte fateantur (5).

(1) *Voet in pandect. hoc tit. de donationib. lib. 39. tit. 5. num. 11. in fine.*

(✠2) *Theſaur. deciſ. 70. num. 8.* ✠, *Deciſ. 12. maii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra neptem, §. Poſito rerum ſtatu.*

(3) *Cap. Cum contingat 28. extra de jurejurand.* (2. 24.), *cap. Quamvis pactum 2. extra de pact. in 6.* (1. 18.)

(4) *Theſaur. d. deciſ. 70. num. 8.*

(5) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 14.*

Digitized by Google

DEFINITIO XXVI.

Donationem infanti factam pater probare, ſeu acceptare poteſt.

Quemadmodum donatio facta infanti a tutore probari, ſeu acceptari poteſt (1); immo, & potiori ratione a patre (✠2); cum amplior facultas patri favore filii tribui debeat, quam tutori. Neque neceſſaria eſt ratihabitio, cum infans ad pubertatis annos, vel ad majorem ætatem pervenerit, patris conſenſus ſupplet, quod ex parte filii deeſt (3).

(1) *L. Etſi tutores 2. cod. quand. ex fact. tutor.* (5. 39.)

(✠2) *Deciſ. 15. martii 1656. refer. D. Porta in cauſſa. Peruſſolæ, & Folley in fin., Deciſ. 7. februarii 1653. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Levroni contra Aymarum, fere in princ.*

(3) *Theſaur. deciſ. 70. num. 13. in fin.* ✠

DEFINITIO XXVII.

Notarius abſentis nomine uſu fori donationem probare, ſeu acceptare poteſt.

Quamquam dubitari poteſt, Romano quidem jure inſpecto, utrum notarius pro abſente ſtipulari, & donationem probare valeat, attamen uſu fori paſſim receptum eſt, ut notarius, tamquam publica perſona, non tantum pro infante (✠1), quemadmodum ipſis Romanis legibus admittitur, ut cautio perſonæ publicæ præſtetur impuberis nomine, qui ſe in adrogationem dare velit (2), verum etiam pro alio quocumque ſtipulari, ſtipulando acquirere, & donationem abſentis nomine acceptare poſſit (✠3).

(✠1) *Theſaur. deciſ. 70. num. 15, Fab. cod. hoc tit. de donationib. lib. 8. tit. 36. defin. 3. in princip., Deciſ. 29. martii 1645. refer. D. Filippa in cauſſa Fiſci, & Bernardini Bottazzi, §. Quibus non obſtantibus.*

(2) *§. Cum autem impubes 3. inſtitut. de adoptionib.* (1. 11.)

(✠3) *Theſaur. d. deciſ. 70. num. 2.* ✠, *Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 36. defin. 3, Oſaſc. deciſ. 33. num. ult.* ✠, *Deciſ. 28. aprilis 1751. refer. D. Galli in cauſſa Rivajra contra ſorores, §. Quorſum eſt, d. Deciſ. 15. martii 1656. refer. D. Porta in cauſſa Peruſſolæ, & Folley, in fine, Deciſ. 7. februarii 1653. refer. D. Dalmazzono in cauſſa Leuroni contra Aymarum, per tot., Deciſ. 30. auguſti 1672. refer. D. Raymandi in cauſſa Brunenghi, Prænolæ, & Dumaſſæ, §. Reſpondebatur enim.*

DEFINITIO XXVIII.

An donatio abſenti facta, & a notario, tamquam publica perſona, abſentis nomine acceptata, ante ratihabitionem abſentis revocari poſſit?

Quæſtio tamen eſt, utrum donator liberalitatem in abſentem collatam, licet a notario acceptatam, revocare poſſit, quamdiu abſens eam ratam non habuit. Negant aliqui (1); placet aliis, ratihabitione nondum ſecuta, poſſe donationem hanc revocari (✠2); ſecundum generales juris regulas, a quibus non invenitur excepta donatio a notario abſentis nomine probata; ex quo tamen non ſequitur, inutilem eſſe hanc notarii ſtipulationem, cum per eam jus abſenti quæratur, jus, inquam, revocabile ante ratihabitionem, efficax vero, & irrevocabile poſt eam, quo donatarius, immo & ipſius heredes poſſint rem donatam ſive a donatore ipſo, ſive a donatoris heredibus petere, ſi mutata voluntas non demonſtretur. Neque nocet, quod alii objiciunt, ſpeciale eſſe in donatione, ut alteri per alterum actio interdum quæratur efficax, & irrevocabilis (3); hoc enim ad notarii ſtipula-

Digitized by Google

tionem non pertinet, neque ad eam referri poteſt: tum quia ex jure ſingulari generalem regulam facere non licet (4): tum quia ſpecialis favet ratio in donatione uni facta ea lege, ut poſt certum tempus donatam rem alteri reſtituat: videlicet donatio, quæ unica eſt, quamvis ad plures perſonas tranſitura, ab uno ex donatariis præſente fuit acceptata; adeoque facilius recipi potuit, ut alter quoque actionem conſequatur (5).

(1) *Oſaſc. deciſ. 33. num. ult., Voet. in pandect. hoc tit. de donationib. lib. 39. tit. 5. num. 33. prop. fin.*

(✠1) *Theſaur. d. deciſ. 70. num. 5, & in addit., Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 36. defin. 3. num. 1. in corp., Deciſ. 21. januarii 1686. refer. D. Dentis in cauſſa Comitiſſæ Philipponæ contra Comit. Amoretti, §. Ad ſecundum adducebatur, num. 64, Deciſ. 12. maii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra neptem, §. Poſito rerum ſtatu, Deciſ. 2. auguſti 1734. refer. D. Demorra in cauſſa de Allardis contra Mocagatta, num. 14, & num. 22, in qua ſpecialem revocationem requiri traditur.*

(3) *L. Quoties 3. cod. de donat., quæ ſub modo* (8. 56.)

(4) *L. Quod vero 24. ff. de legib.* (1. 3.), *L. Quod contra 141. ff. de reg. jur.*

(5) *D. L. 3. cod. de donat., quæ ſub modo.*

DEFINITIO XXIX.

Donatio abſenti facta, ſi præter notarium pater ipſe ſtipuletur, revocari amplius nequit, etiam nec dum ſecuta ratihabitione.

Revocari non poteſt donatio abſenti facta, ſi præter notarium pater ipſe pro filio ſtipulatus ſit (✠1); cum enim pater, & filius una eademque perſona in jure exiſtimentur (2), recipi debuit, ut pater pro filio donationem ratam habeat, ita ut amplius revocari non poſſit, ne patre quidem conſentiente, ſed filio invito; cum facilius concedatur, ut quis alteri proſit, quam ut noceat (3): niſi pater ſolus ſtipulatus proponatur (4); cum unaquæque res plerumque eodem modo diſſolvi poſſit, quo fuit colligata (5).

(✠1) *Theſaur. d. deciſ. 70. num. 14. ✠, Deciſ. 12. maii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra neptem, §. Poſito rerum ſtatu, ubi de fideicommiſſo reciproco inter tres filios donatione inſtituto, & ad deſcendentes perventuro.*

(2) *§. Si quis alii 4. inſtit. de inutilib. ſtipulationib.* (3. 20.)

(3) *V. Quæ diximus de auctoritate tutorum §. 395, & ſeqq. Tom. II. Juriſprud. pag. 99.*

(4) *Theſaur. deciſ. 70. in additionib. lit. D ✠.*

(5) *L. Nihil tam naturale 35. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XXX.

Donatio omnino inſinuanda eſt apud acta judicis; nec remitti poteſt inſinuatio a donatore, aut prætermitti ex partium conſenſu.

Quamquam nihil tam conveniens eſt naturali æquitati, quam ratam haberi voluntatem domini, qui rem ſuam in alium transferre deſideret (1); quia tamen ſæpe timendum eſt, ne fraus, vel metus interveniat, quibus donatio extorqueatur, vel in creditorum diſpendium fiat, idcirco ſapientes legumlatores modum, atque ſolemnitates quaſdam in celebrandis donationibus præſcripſerunt, quibus omiſſis aliquando ſubſiſtere nequeat (2). Romano jure cautum fuit, ne rata ſit donatio ultra quingentos aureos (3), præterquamſi apud acta judicis competentis, videlicet magiſtri cenſus, rectoris provinciæ, magiſtratus, vel defenſoris civitatum inſinuata fuerit, & publicata (4): quo-

Digitized by Google

cumque in loco poſitæ ſint res, quæ donantur (5), etiamſi extra territorium judicis, cui donatio inſinuanda eſt (6). Severiores, & ad publicam, æque ac privatam indemnitatem magis compoſitæ apud nos in hac re ſolemnitates præſtitutæ ſunt; cautum quippe, ut donationes omnes inter vivos, ſive puræ ſint, ſive conditionales, inſinuentur coram judice ordinario loci, in quo donator commoratur, & domicilium habet (ſi tamen togatus, ſeu laurea inſignitus ſit); niſi ſummam librarum quingentarum excedant, vel etiam non excedentes fiant a vaſſallo loci, in quo proprium domicilium habet, quæ inſinuari jubentur coram provinciæ præfecto, ſeu judice majore (7). Inſinuationis autem ſolemnitas tanti momenti eſt, ut nec a donatore peſte correpto remitti poſſit (✠8); neque etiam mutuo partium conſenſu (9), cum jure publico inducta ſit, quod privatorum voluntate immutari nequit (10); atque potius favore creditorum, eorumque omnium, quorum intereſſe poteſt, quam contrahentium. Nemini vero licet, alterius conditionem deteriorem efficere contra legum præſcripta (11). *Si* tamen donator, qui peſte correptus, & jam jam moriturus inſinuationem remiſit, adhibuerit ſolemnitates, quæ requiruntur ad vim donationis cauſſa mortis, valebit donatio hoc nomine, ſaltem ſi adjecta fuerit clauſula, ut valeat donatio hæc omni meliori modo, quo valere poſſit (12); voluntatis enim ea ſemper fieri debet interpretatio, ut effectum ſuum ſortiatur (13): potiſſimum ſi enixa ſit (14).

(1) §. *Per traditionem* 40. *inſtit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(2) §. *Aliæ autem* 2. *inſtit. hoc tit. de donationib.* (2. 7.), *L. Datam jampridem* 27, *L. In hac ſacratiſſima* 30, *L. Secundum* 32, *L. Sancimus* 34, *L. penult.* §. *ult. cod. hoc tit. de donation.* (8. 54.), *Novel.* 127. *cap. Illud quoque* 2, *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 14. §. 1, *& ſeqq.*

(3) *Aurei loco poſt alios plures tradit Voet in ff. hoc tit. num.* 18. *in fine ducatum Ungaricum habendum eſſe, qui apud nos valet ll.* 9. 7. 8.

(4) *D. L.* 27, *& d. L.* 30. *cod. hoc tit.*

(5) *Ubicumque poſitarum rerum d. L.* 30. *in princip.*

(6) *Geſta autem confici ſuper rebus, etiam alibi collatis, ubicumque ſufficit, d. L.* 27. ● *fin. cod. hoc tit.*

(7) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 14. §. 1.

(8) *Fab. cod. de inſinuand. donationib. lib.* 8. *tit.* 40. *def.* 8.

(✠9) *Fab. ibid. defin.* 5, *Oſaſc. deciſ.* 166. *num.* 11., *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1763. *ref. D. Sclarandi in cauſſa utrinque Vico*, §. *Quia ad ſanandum, in fin.*

(10) *L. Jus publicum* 38. *ff. de pactis* (2. 14.)

(11) *L. Non debet* 74. *ff. de reg. jur.*

(12) *Fab. cod. d. lib.* 8. *tit.* 40. *def.* 8. *in fin.*

(13) *L. Quoties* 12. *ff. de rebus dub.* (34. 5.), *L. Cum in teſtamento* 24. *ff. eod. tit.*

(14) *L. Cum pater* 77. §. *Filius matrem* 23. *ff. de legat.* 2. (31. 1.)

DEFINITIO XXXI.

Donatio minime inſinuata non nocet creditoribus neque anterioribus, neque etiam poſterioribus.

Cum inſinuationis ſolemnitas creditorum, aliorumque cauſſa potius inducta fuerit, quam favore contrahentium, ſi hæc ſolemnitas deſit, ita viribus deſtituitur donatio, ut neque anterioribus, neque etiam poſterioribus creditoribus noceat; cum ex ea neque agi, neque excipi poſſit (✠1); ex trita juris regula, actus a legibus reprobati nullius ſunt effectus (2).

(✠1) *Fab. cod. de inſinuand. donat. lib.* 8. *tit.* 40. *defin.* 10, *Reg. conſtitut.*

Digitized by Google

lib. 5. tit. 14. §. 7., Deciſ. 19. ſeptembris 1682. refer. D. Balegno in cauſſa Comit. Bergeriæ contra Marchion. Caſellarum, §. Tandem fui condemnatus.

(2) *L. Non dubium 5. cod. de legib.* (1. 14.)

DEFINITIO XXXII.

Donationis inſinuatio peti poteſt per procuratorem ſpeciali mandato inſtructum; non tamen per donatarium.

Cum per ipſum facere videatur, qui aliquid per alium (1) agit, qui mandatum ſufficiens habeat, vel generale in rebus levioris momenti, vel ſpeciale in gravioribus cauſſis, merito traditum eſt, donationis inſinuationem, quæ jure municipali præſcribitur (2) etiam ab eo, qui in ditione eſt, peti poſſe per procuratorem, dummodo ſpeciali mandato inſtructus ſit procurator (✠3); conſultius ſane eſt, ut donator ipſe ſe coram judice ſiſtat, quo tutius ejus voluntas exploretur; quia tamen interdum id perdifficile eſt, vel donatori forte nimis grave, permitti debet, ut procuratoris opera utatur. Sed procuratoris officio fungi non poteſt donatarius (✠4); tum quia, cum ipſius potiſſimum interſit, ut ſubſiſtat donatio, ſuſpecta eſt illius perſona, nec ſatis cognoſci poteſt, utrum donatio libere facta ſit; nec vi, nec minis, nec fraude adhibita; tum quia in rem ſuam auctor eſſet, quod jura non patiuntur (5).

(1) *L. Pupillus 5. §. Per interpoſitam 3, L. Quod dicimus 7. ff. de auctoritat. & conſenſ. tutor.* (26. 8.)

(2) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 14. §. 2.*

(✠3) *Deciſ. 25. januarii 1736. refer. D. Dani in cauſſa Aſteſani contra Brunettos, §. Quare etſi ita, Deciſ. 28. aprilis 1751. refer. D. Galli in cauſſa utr. Rivaira, §. In his gerendis, num. 21. prope fin. deciſ., Sentent. Senat. 10. februarii 1730. refer. D. Blavet in cauſſa Uſſenda, V. Fab. cod. de inſinuand. donat. lib. 8. tit. 40. defin. 6. in princ.*

(✠4) *D. Deciſ. refer. D. Galli, §. Sed quod magis eſt, num. 20., d. Sent. Senat. ref. D. Blavet.*

(5) *L. 1. ff. de auctoritat., & conſenſ. tutor.* (26. 8.)

DEFINITIO XXXIII.

Donatarii avunculus inſinuationis decretum interponere non poteſt.

Donationis inſinuatio, ſeu relatio in acta judicis eo fine inducta, ut certo conſtet de voluntate donantis (definit. XXX.), fieri non poteſt coram judice, qui ex conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo jus dicere prohibeatur donantem inter, & donatarium, ſed judex major, vel Senatus adeundus eſt (1). Cum autem avunculus donatarii judicis officio fungi nequeat (2), quia ex ſanguinis conjunctione ſuſpicio eſt, ne diligentem cauſſæ cognitionem adhibiturus ſit, nec ei permitti debet, ut auctoritate ſua donationem firmet (✠3).

(1) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 14. §. 3.*

(2) *Reg. conſtit. lib. 3. tit. 10. §. 17.*

(✠3) *Deciſ. 13. ſeptembris 1763. refer. D. Sclarandi in cauſſa utrinque Vico, §. Senatus ſane, ubi tamen etiam ita deciſum, quia gravia erant ſubreptionis indicia, argum. L. Nec ei permittitur 17. ff. de adoptionib.* (1. 7.), *L. ult. ff. de offic. prætor.* (1. 14.)

DEFINITIO XXXIV.

Donationis inſinuatio, Romano jure, remittitur, ſi illa facta ſit in piam cauſſam. An hæc apud nos vigeant? Quid de donationibus contemplatione matrimonii factis?

Romano quidem jure donationis inſinuandæ neceſſitas ceſſat, ſi hæc facta ſit in piiſſimas cauſſas, ut loquitur Juſtinianus (1); puta in redemtionem ca-

ptivorum (2); ceteræ enim donationes, etſi piam cauſſam reſpiciant, eccleſiæ, hoſpitalis cujuſcumque generis, vel pauperum, inſinuationis legi adhuc ſubjacent (3). Quamquam ex canoniſtarum traditione recentioribus ſanctionibus innixa (4), paſſim tradunt pragmatici, quamcumque donationem piæ cauſſæ factam ab inſinuationis neceſſitate immunem eſſe (5). Sed hæc canoniſtarum, aut pragmaticorum traditio apud nos recipi nullatenus poteſt; cum ſolæ excipiantur donationes, quæ certi, & determinati matrimonii contemplatione fuerint celebratæ (✠6); & renunciationes ſecutæ occaſione matrimonii, vel ingreſſus in religionem, etiamſi a minoribus fiant de bonis, quæ actu poſſideant (7): ceteræ, nulla facta diſtinctione, inſinuari jubentur (✠8); adeoque viget juris regula, quæ diſtinctionem prohibet, quoties lex non diſtinguit (9).

(1) *Exceptis donationibus tam imperialibus, quam iis, quæ in cauſſas piiſſimas procedunt, L. Sancimus 34. in fin. princip. cod. hoc titul. de donationibus* (8. 54.)

(2) *L. penult. cod. hoc tit.*

(3) *L. Illud, quod 19. cod. de ſacroſ. eccleſ.* (1. 2.)

(4) *Nimirum d. L. 34, & L. 26. cod. hoc tit., quæ poſteriores ſunt l. 19. cod. de ſacroſ. eccleſ.*

(5) *Perez. in cod. hoc tit. num. 35. in fin., Zoeſius in pandect. hoc tit. num. 49, Fab. cod. de donationib. lib. 8. tit. 36. defin. 12. poſt alios plures. & cod. de ſacroſ. eccleſ. lib. 1. tit. 2. def. 7.*

(✠6) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 14. §. 7, Deciſ. 30. ſeptembris 1733. refer. D. Caſſotti in cauſſa concurſ. Bertoni, in fine.*

(7) *Reg. conſtit. ibid. §. 10.*

(✠8) *Reg. conſtit. ibid. §. 1, Deciſ. 25. junii 1736. refer. D. Dani in cauſſa Aſteſani contra Brunettos, §. Multoque minus piæ cauſſæ, & ſeq., Deciſ. 7. ſeptembris 1733. refer. D. Cavalli in cauſſa Ruffini, §. Nec voluntas, Deciſ. 13. maii 1747. refer. D. Enrici in cauſſa utrinque a Ruere, §. Una eaque gravior.*

(9) *L. De pretio 8. ff. de public. in rem act.* (6. 2.)

DEFINITIO XXXV.

Inſinuanda eſt donatio a parentibus in liberos, vel a liberis in parentibus collata.

Neque ab inſinuationis ſolemnitate immunes ſunt donationes, quæ a parentibus in liberos, vel a liberis erga parentes fiant (✠1): quod ad eum caſum extendit Sabaudus Senatus, quo donatio jurisjurandi vinculo firmata fuerit, atque eo fine a patre in liberos collata, ut æqualitas inter eos inducatur, præterquamſi contemplatione matrimonii fiat (✠2), ut modo diximus (defin. præced.).

(✠1) *L. Data jam pridem 27. cod. hoc tit. de donat.* (8. 54.), *d. Deciſ.* (*defin. præced.*), *refer. D. Dani, & d. §. Multoque minus, quamquam aliud olim placuiſſe videtur, Deciſ. 25. januarii 1658. refer. D. Paſtoris in cauſſa Garinæ contra filium in fin.*

(✠2) *Fab. cod. de inſinuand. donat. lib. 8. tit. 40. def. 7, d. Deciſ. refer. D. Dani, & d. §. Multoque minus.*

DEFINITIO XXXVI.

Donatio favore matrimonii inſinuatione non indiget, ſive filio, ſive filiæ fiat, ſive dotis, ſive paraphernorum nomine.

Superius diximus (definit. XXXIV.), ex cauſſa donandi, ſeu favore certi, & determinati matrimonii inſinuationem remitti: nihil porro intereſt, an in filium liberalitas conferatur, an in filiam, nec utrum dotis, an paraphernorum nomine facta proponatur (✠1): utrum donet pater, vel alius, qui ad dotandum cogi poſſit, an extraneus, nulla

Digitized by Google

juris neceſſitato adſtrictus (✠2); lex enim Regia indiſtincte loquitur (3): adeoque perperam fingeretur diſtinctio (4). Donatio ante ſeu propter nuptias, ſi Romanorum jus inſpiciamus, inſinuationis ſolemnitatem deſiderat (5), quod favore mulieris induxit Juſtinianus, ut, ſi forte principalia inſtrumenta pereant, per monumenta matrimonii ejuſdem donationis probatio maneat (6). Cum tamen jure noſtro ab inſinuationis neceſſitate excipiantur donationes omnes contemplatione matrimonii factæ (Defin. præced.), conſequens eſt, inſinuationi non ſubjici antenuptialem donationem, quia & ipſa contemplatione, & favore matrimonii fit (✠7).

(✠1) *Deciſ. 26. februarii 1769. refer. D. Valperga in cauſſa ſoror. Rignon, §. Hinc partibus jus dici poſtulantibus.*

(✠2) *Quia nec donatoris perſonam reſpicit jus regium in d. lib. 5. tit. 14., §. 7., Sentent. Sen. 28. februar. 1749. refer. D. Boggio in cauſſa Zabulo contra Buttina.*

(3) *D. lib. 5. tit. 14. §. 7.*

(4) *L. De pretio 8. ff. de publician. in rem action.* (6. 2.)

(5) *L. Sancimus 34. in princip. cod. hoc tit. de donationib.* (8. 54.)

(6) *Novel 127. cap. Illud quoque 2.*

(✠7) *Penes Auguſtanos donationes omnes, ſi omnia bona, vel majorem bonorum partem contineant, publicari debent vivente donatore, vel intra menſem a die mortis, ſi donator intra bimeſtre a die donationis deceſſerit: neque huic ſolemnitati contrahentes renunciare poſſunt, adhibito licet jurejurando: nec dotis, aut donationis obnuptialis cauſſa excipitur: attamen mulieri, cui nulla objici poteſt culpa, quia vivente marito donationem ſibi ab eo factam publicari non curaverit, ſuccurendum ſuadet æquitas, etiamſi maritus diu vixerit poſt celebratam donationem, ut intra menſem publicari poſtulans audiatur ex vulgari regula, ex qua non valenti agere, nulla currit præſcriptio L. 1. §. ult. cod. de annal. except.* (7. 40): *maxime quia harum donationum inſinuatio oneri eſt mariti, ejuſque omiſſio marito quidem nocet, non autem mulieri, D. Novel. 127. §. Illud quidem 2., V. Coutumier lib. 3. tit. 19. articl. 17, 19, 25, 27, & ſeqq., Deciſ. 20. maji 1733. refer. D. Bianchis in cauſſa fratr. Silley, Deciſ. 14. maii 1736. refer. D. Demorra in cauſſa viduæ Paſſerin Du Noger contra Brumel, & Ferrod, §. Perſpectis omnibus, & §. Senatus eam donationem.*

DEFINITIO XXXVII.

Donatio remuneratoria, reciproca, vel ob cauſſam inſinuationi non ſubeſt.

Donationem remuneratoriam, vel reciprocam ob inſinuationis lege eximendam eſſe vulgo receptum eſt, dummodo remuneratio merita longe non excedat, atque beneficium ex communi hominum ſenſu recipiat æſtimationem, atque non gravis inæqualitas ſit in donatione reciproca, vel ob cauſſam (✠1); etenim donatio ob merita pretio æſtimabilia potius retributio eſt, quam vera, & proprie dicta donatio (2); ſed officium ab æquitate, & honeſtate profluens, atque merces operi debita, quemadmodum de liberalitate adoleſcentis erga magiſtrum ſuum reſpondit Papinianus (3): cui conſonat poſt Labeonem Ulpianus ajens, extra cauſſam donationum eſſe talium officiorum mercedes; ut puta ſi tibi adfuero, ſi ſatis pro te dedero, ſi qualibet in re opera, vel gratia mea uſus fueris (4): ideoque potius accedit ad naturam contractus innominati, quam donationis: atque idem dicendum de reciproca, ſeu ob cauſſam facta donatione; proprie enim non donat, qui repenſationem habet.

(✠1) *Deciſ. 7. ſeptembris 1733. refer. D. Cavalli in cauſſa concurſ. Ruffini, §. Itaque nec voluntas in fin., Deciſ. 28. januar. 1658. refer. D. Paſtoris in cauſ.*

Garinæ contra filium in fine, Deciſ. 4. decembris 1755. refer. D. Villata in cauſſa Bonardi contra Goſſio, §. Sequebatur quoque num. 30., ubi de donatione ob cauſſam, ſeu aſſumtis a donatario oneribus in repenſationem donationis, Fab. cod. de inſinuand. donat. lib. 8. tit. 40. defin. 3. in med., Voet in pandect. hoc tit. lib. 39. tit. 5. num. 17.

(2) *L. Hoc jure 19. §. ult. ff. hoc tit. de donationib. (39. 5.)*

(3) *L. Aquilius Regulus 27, ff. hoc tit. de donationib.*

(4) *D. L. 19. §. 1. ff. hoc tit.*

DEFINITIO XXXVIII.

An inſinuari debeat donatio jurejurando firmata?

Si quæratur, utrum inſinuationis neceſſitas vigeat, quoties donationi jusjurandum adjectum fuit, diſtinguenda eſt inſinuatio jure Romano præſcripta ab ea, quæ ſtatuto, vel lege municipali inducta eſt. Prior remittitur, ſi jusjurandum intercesserit (✠1); quia jusjurandum, ex communi pragmaticorum placito actuum ſolemnitates ſupplet: non autem poſterior (✠2); ſententia pragmaticorum, utpote falſo innixa fundamento (3), in eo etiam, quod pertinet ad Romanas leges, juris municipalis ſanctionibus non ſolet accomodari, & merito; cum enim donationis inſinuatio publicam cauſſam admixtam habeat, privatis concedi non debet, ut ementitis artibus, vel perperam quæſitis modis ſanctiſſimas, & publicæ ſecuritati, atque indemnitati neceſſarias leges infringant (4), præterquamquod jurisjurandi adjectio apud nos contractum irritum facit (5).

(✠1) *Fab. eod. de inſinuand. donationib. lib. 8. tit. 40. def. 5. in princip. Theſaur. lib. 3. quæſt. 89. num. 6., Deciſ. 7. ſeptembris 1733. refer. D. Cavalli in caſſa concurſ. Ruffini, §. Itaque nec voluntas.*

(✠2) *Fab. d. def. 5., Deciſ. 23. januarii 1736. refer. D. Dani in cauſſa Aſteſani contra Brunettos, Neque hæc donationum vitia.*

(3) *Videlicet L. 1., & Auth. ſacramenta puberum cod. ſi adverſ. vendition. (2. 28.)*

(✠4) *L. Jus publicum 38. ff. de pact. (2. 14.), L. Neſennius quærit 20. ff. de religioſ. & ſumtib. funer. (11. 7.), L. Quod bonis 15. §. 1. ff. ad leg. falcidiam (35. 2.)*

(5) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 11. §. 14.*

DEFINITIO XXXIX.

Donatio, quæ coram judice celebretur, inſinuationis neceſſitati non ſubeſt.

Donationem, quæ coram judice fiat, inſinuationis ſolemnitati neutiquam ſubeſſe placuit (✠1): nullum in hac ſubeſſe poteſt dubium, quominus libero, & conſtanti animi conſilio celebrata ſit, cum a præſenti judice eo ipſo temporis momento, quo donationis actus conſcribitur, argumenta omnia facillime dignoſci poſſint, quæ perfectum voluntatis conſenſum, & libertatem probant: quare ſupervacaneum videtur aliis adhuc modis animum donatoris explorare, immo plenius probata videtur, donatoris voluntas, cum ipſimet donationis actui, ubi majus ſubeſt periculum, judicis præſentia, & auctoritas intervenit: adeoque per æquipollens legi abunde ſatisfactum eſt, quod plerumque conceditur (2).

(✠1) *Deciſ. 26. januarii 1736. refer. D. Dani in cauſſa Aſteſani contra Brunettos, §. Patet igitur.*

(2) *L. ult. §. ult. ff. mandati (17. 1.), L. Julianus 45. ff. de conditionib., & demonſtrat. (35. 1.)*

Digitized by Google

DEFINITIO XL.

Inſinuationi non ſubſunt donationes rerum mobilium, quæ brevi manu fiunt.

Ab inſinuationis ſolemnitate tum ex natura rei, quæ in alterum liberaliter confertur, tum ex modo, quo liberalitas erogatur, immunes ſunt donationes mobilium rerum, quæ brevi manu fiunt, atque ipſa voluntate, & traditione perficiuntur, quin neceſſaria ſit ſcriptura (✠1); nimis quippe grave futurum eſſet, ſemota fraudis, & ſeductionis ſuſpicione, & a praxi contrarium, pro quaque re mobili, quæ donatur, exigere ſolemnem ſcripturam; eaque deficiente condictionem, & repetitionem dare; cum longe diverſum ſit, ex ſola promiſſione agere, ut illa executioni demandetur, ac condictionem inſtituere, cum traditio ſecuta eſt (✠2); facilius enim retentio, quam actio datur (3). Atque his addi poteſt, in rerum mobilium donatione non æque creditoribus periculum imminere, quod leges avertere voluerunt (4); cum his, quæ facile celari poſſunt, & de loco in locum transferri, vix fidant creditores.

(✠1) *Deciſ.* 7. *ſeptembris* 1772. *refer. D. Cavalli in cauſſa Vaſſalli contra PP. Sancti Philippi*, §. *Receptum eſt num.* 22, *Argum.*, §. *Per traditionem* 40, *& ſeqq. inſtit. de rer. diviſion.* (2. 1.)

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Cavalli*, *& d.* §.

(3) *L. Per retentionem* 4. *cod. de uſuris* (4. 32.), *L. Paulus reſpondit* 14. *ff. de dol. mal. & metus except.* (44. 4.)

(4) *L. Data jam pridem* 27. *cod. hoc tit. de donationib.* (8. 54.)

DEFINITIO XLI.

An inſinuatio neceſſaria ſit, cum remittitur jus plene, vel minus plene quæſitum? Quid ſi remittitur tranſactionis, vel novationis titulo?

Juris non plene quæſiti remiſſionem ſine ſolemnitatibus fieri poſſe, cujuſcumque quantitatis ſit, jure defenditur, veluti hereditatis delatæ, nondum tamen aditæ, vel legati nondum agniti; cum enim alienare non judicetur, qui occaſione acquirendi non utitur (1), ſi proprie loquamur; conſequens eſt, nec donationem factam intelligi, quæ per ſe rei dominium ab uno in alium transfert. Sed aliud dicendum videtur de renunciatione juri jam plene quæſito; vere enim rem ſuam in alium transfert, qui jus ad eam remittit, ſicut capere videtur, qui non ſolvit (2); præterquamquod fraus facile legibus fieret, ſemel probata juris alicui competentis renunciatione, quin neceſſaria ſit inſinuatio, atque creditores in damno hærerent. Ex quo ſequitur, gratuitam liberationem non valere, niſi fuerit inſinuata: contrariam tamen ſententiam tuetur Faber, liberationis favore (3); tum quia proniores eſſe debeamus ad liberandum, quam ad obligandum (4); tum quia valere debeat liberatio hæc ſaltem in vim pacti de non petendo, ex quo profluit exceptio (5). Sane liberatio, quæ gratuita non ſit, ſed mutuæ alicujus præſtationis, aut remiſſionis intuitu facta, valet, quamvis non inſinuata (6); quia tunc potius accedit ad contractum innominatum, quam ad donationem: vel, ſi mavis, donatio remuneratoria eſt, quam ab inſinuatione immunem eſſe ſupra demonſtravimus (Defin. XXXVII.). Exceptionem huic ſententiæ admittit idem auctor, ſi liberatio in vim donationis facta fuerit, atque ita in liberatione expreſſum ſit (7). Sed non ita facile intelligi poteſt, cur

valeat ſine inſinuatione liberatio, vel non valeat, prout expreſſum fuerit, in vim donationis fieri, nec ne; cum regula ſit ab omnibus probata, contractuum naturam non ex verborum cortice, ſed ex contrahentium mente dimetiendam eſſe (8), alioquin enim liber fraudibus aditus pateret, ſi legum vim, verbis callide conquiſitis, effugere ſemel permitteretur. Plane apud omnes conſtat, inſinuationem neceſſariam non eſſe, cum quid remittitur per modum novationis, & tranſactionis, ſi debitum vere illiquidum ſit, ita ut de re dubia novatio, vel tranſactio facta dici poſſit (✠9); longe etenim diſtat contractus novationis, aut tranſactionis a donatione, neque in hac materia, ubi de ſolemnitatibus agitur, legum ſententiam de uno caſu ad alterum protrahere licet, cum immo ſtricta earum interpretatio fieri debeat, ne facultas a natura cuique tributa, libere de re ſua diſponendi, anguſtioribus terminis coerceatur, quos legislatores non poſuerunt (10).

(1) *L. Alienationis* 28. *ff. de verbor. ſignificat.*, *L. Non fraudantur* 133. *ff. de reg. jur.*

(2) *L. In ædibus* 9. *ff. hoc tit. de donat.* (39. 5.)

(3) *Fab. cod. de inſinuand. donat. lib.* 8. *tit.* 40. *def.* 3.

(4) *L. Arianus ait* 47. *ff. de obligat., & actionib.* (44. 7.)

(5) *L. Et heredi* 11., *& L. Seqq.*, *L. Si unus* 27. §. *Pactus*, *ne peteret* 2. *ff. de pactis* (2. 14.)

(6) *Fab. d. defin.* 3. *num.* 5. *in corp.*

(7) *Fab. d. lib.* 8. *tit.* 40. *def.* 3. *in fin.*

(8) *L. In conventionibus* 219. *ff. de verbor. ſignificat.*, *L. Quidam* 5. *cod. de neceſ. ſerv. her. inſtit.* (6. 27.)

(✠9) *Fab. d. lib.* 8. *tit.* 40. *def.* 3. *in fin.*, *Deciſ.* 4. *decembris* 1755. *refer. D. Villata in cauſſa Bonardi contra Goſſium num.* 31.

(10) *Argum. L. In re hypothecæ* 4. *ff. de fide inſtrumentor.* (22. 4.), *L. Quid quid adſtringendæ* 99. *ff. de V. O.* (45. 1.)

DEFINITIO XLII.

In dubio, utrum res ipſa donata ſit, an illius pretium, pro donatore, ejuſque heredibus capienda interpretatio eſt.

Si dubitetur, an res ipſa, puta fundus, donata ſit, an rei pretium, vel alterutrum, prout maluerit donator, vel ipſius heres, cum quæſtio hæc, una, & certa regula definiri nequeat, utpotequæ ex voluntate donantis tota pendet, ad voluntatis indicia confugiendum eſt, atque in dubio favore donatoris reſpondendum ſuadet æquitas (1); ne invitus ex ſua liberalitate damnum patiatur. Hinc, cum Titius Sempronio dediſſet centum aureos (reſervato ſibi uſufructu, quandiu vixerit), qui capi deberent ſuper omnibus bonis ſuis præſentibus & futuris, ſpeciatim ad hunc effectum obligatis, adjecta clauſula conſtituti, cenſuit Senatus, heredem minime cogendum eſſe ad dandam pecuniam, cum defunctus nummos in hereditate non reliquiſſet; donatario tamen electione data, ut capere poſſet, quæcumque vellet bona, juſto pretio æſtimanda (✠2). Heres ab onere dandæ pecuniæ eximendus viſus eſt; quia grave nimis eſſet, eundem cogere ad vendenda bona, ex quibus pecuniam redigeret, adeoque a donantis voluntate alienum; electio tamen donatario conceſſa; quia pecunia ipſa in obligatione, ſeu donatione erat; atque bonorum mentio, & obligatio tantummodo adjecta fuit, ut magis cautum eſſet donatario (✠3).

(1) *Argum. L. Et exheredatum* 49. *in fin. ff. de re judicat.* (42. 1.)

(✠2) *Argum.* §. *Non ſolum autem* 4. *inſtit. de legat.* (2. 20.), *Deciſ.* 4. *januarii* 1647. *refer. D. Barberis in cauſſa Religionis Hyeroſolimitanæ contra Comit. Penſam per tot.*

(✠3) *Argum.* §. *Si generaliter* 22. *in*

Digitized by Google

ſtitut. cod. tit. de legat. d. Deciſ. refer. D. Barberis.

DEFINITIO XLIII.

Heredes donantis rem a defuncto promiſſam dare coguntur.

Donatoris heredes cogi poſſunt, ut rem a defuncto promiſſam, ſed nondum traditam donatario præſtent, quemadmodum tenebatur ipſe defunctus donator (1): prout conſtituit Juſtinianus (2), hæc enim obligatio, utpote ex contractu deſcendens, & in dando poſita, non cohæret perſonæ donatoris: adeoque in heredes transferri debet (✠3), qui in onera (4) æque ac in jura defuncti ſuccedunt (5), prout ſuadet æquitas (6): quæ nec ſinit, ut factum ejus quis præſtare detrectet, ex cujus perſona lucrum ſentit (7), atque ita de conditionali donatione apertiſſime reſpondit Julianus (8).

(1) *L. Si quis argentum 35. §. Sed &, ſi quis 4., & §. ult. cod. hoc tit.* (8.54.)

(2) *Reſque donatas in omnibus ſupradictis caſibus, non ſolum eos, dum ſuperſunt, ſed etiam eorum ſucceſſores reddere compelli, D. L. 35. §. ult. in fin. cod. hoc tit. de donationib.*

(✠3) *Fab. cod. de revocand. donationib. lib. 8. tit. 38. def. 21. in fine, & num. 8. in allegat. ✠, Deciſ. 11. april. 1644. refer. D. Piſcina in cauſſa Patarini contra Camillam Deroſſi per tot.. Non idem omnino tradi videtur in Deciſ. 24. martii 1734. refer. D. Caſſotti in cauſſa conc. Bertoni poſt num. 59., ſed non neceſſario ad rem, adeoque ex Relatoris non Senatus ſententia, L. Ut fundus 18. ff. commun. dividund.* (10. 3.), *V. Abeccleſia obſervat. 22.*

(4) *L. ult. ff. ſi famil. ſurt. feciſ. dicat.* (47. 6.)

(5) *L. Heredem 59., L. Qui in jus 177. ff. de reg. jur.*

(6) *L. Secundum naturam 10. ff. eod. tit.*

(7) *L. Ex qua perſona 149. ff. de reg. jur.*

(8) *L. Si cum filiusfamilias 2. §. Si pecuniam 5. ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

DEFINITIO XLIV.

Donatarius omnium bonorum præfertur heredi in interdicto adipiſcendæ, ſeu potius retinendæ poſſeſſionis, ſi adjecta fuerit, vel tacite ſubintelligatur clauſula conſtituti.

Donatarius univerſalis omnium bonorum præfertur heredi legitimo, vel teſtamentario in interdicto adipiſcendæ, ſeu retinendæ poſſeſſionis, ſi in donatione appoſita fuerit conſtituti clauſula (✠1), prout fieri ſolet, atque apud nos adjecta ſubintelligitur in quocumque contractu, & actibus ultimarum voluntatum, qui publico inſtrumento perficiantur, vel privata ſcriptura, quoties hæc ſufficit (2); quia heres in earum dumtaxat rerum poſſeſſionem immitti debet; quas defunctus ipſe poſſidebat tempore mortis (3): res autem, per conſtituti clauſulam alteri donatæ, a donatario ipſo poſſidentur, non tantum civiliter, ſed & naturaliter (4): adeoque donatarius agens interdicto poſſeſſionis retinendæ præferri debet heredi, qui poſſeſſionem adipiſci contendit (5). Neque aliud dicendum eſſet, tametſi donator, quamdiu viveret, rei donatæ uſumfructum ſibi reſervaſſet (✠6); etenim reſervatio uſusfructus non impedit, quominus vera, & civilis poſſeſſio in donatarium ex clauſula conſtituti transferatur (7).

(✠1) *Fab. cod. uti poſſidet. lib. 8. tit. 4. def. 6., Deciſ. 12. novembris 1683. ref. D. Rolando in cauſſa utrinq. Moyſant, §. Donatarius enim, & ſeqq.*

(2) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 16. §. 8.*

(3) *L. ult. cod. de edict. D. Adriani tollend.* (6. 33).

Digitized by Google

(4) *L. Quod meo* 18. *ff. de acquirend. poſſeſſion.* (41. 2.)

(5) *L. Per retentionem* 4. *cod. de uſur.* (4. 32.), *L. Paulus reſpondit* 14. *ff. de dol. mal.*, *& met. except.* (44. 4.)

(✠6) *Theſaur. quæſtion. forenſ. lib.* 4. *quæſt.* 64. *num.* 3. *D. Deciſ.* 12. *novembr.* 1683. *refer. D. Rolando in cauſſa utrinque Moiſſant*, *& d.* §. *Donatarius enim*, *& ſeqq.*

(7) *D. L.* 18. *ff. de acquir. poſſeſſion.*

DEFINITIO XLV.

Quid ſi præſumtio faveat heredi, & donatio omnino certa non ſit?

Exceptio tamen admitti debet, cum præſumtio favet heredi, & donatio non omnino certa eſt, ſed aliquam patitur dubitationem (✠1); cum enim heres ex noviſſima Juſtiniani conſtitutione legitimus ſit contradictor, atque ceteris præferatur, quorum jura certa, & indubia non ſunt (2), potiori ratione vincere debet donatarium, qui titulo lucrativo, non oneroſo innititur:

(✠1) *Fab. cod. de acquirend. poſſeſſion. lib.* 7. *tit.* 7. *def.* 19. *in med.*, *Deciſ.* 24. *novembris* 1672. *refer. D. Torrini in cauſſa Cornarii contra Botterum*, §. *Contrarium tamen*, *& ſeqq.*

(✠2) *L. ult. cod. de edict. D. Adriani tollend.* (6. 33.)

DEFINITIO XLVI.

Donator gaudet beneficio competentiæ, nec ſolvit uſuras rei donatæ, nondum tamen traditæ.

Cum donator ex ſola liberalitate conveniatur, legiſlatores, æquitate ſuadente, decreverunt, ut in id dumtaxat teneatur, quod facere poteſt (1), ſeu deducto eo, quod donanti ipſi neceſſarium eſt, ne egeat (2): Immo ſingulari ratione hic receptum eſt, ut prius æs alienum deduci debeat, antequam inquiratur, quid, & quantum, ex liberalitate ſua conventus donator præſtare poſſit (3). Atque eadem æquitatis ratio, quæ ſuaſit, ut donatores in id tantum conveniantur, quod facere poſſunt, probare videtur, rei donatæ, ſed nondum traditæ uſuras, neutiquam præſtandas eſſe, quamvis in mora conſtitutus donator proponatur, præterquam a die petitionis, vel motæ litis: quod & in herede probandum eſt (✠4), cum neque ex ſtipulatione, ut ſupponimus, neque ex natura contractus uſuræ in donatione veniant.

(1) *L. Si extraneus* 33. *ff. de jur. dot.* (23. 3.), §. *Sed & ſi quis* 38. *inſtit. de actionib.* (4. 6.), *L. Qui ex donatione* 12. *ff. hoc tit.* (39. 5.)

(2) *L. inter eos* 19. §. 1. *in fin.*, *L. Cum ex cauſſa* 30. *ff. de re judicat.* (42. 1.)

(3) *D. L.* 12. *ff. hoc tit.*, *d. l.* 19. §. 1, *& d. l.* 30. *ff. de re judicat.*

(✠4) *Deciſ.* 21. *junii* 1658 *refer. D. Blancardi Nicienſis donationis in fin.*

DEFINITIO XLVII.

Donatarius omnium bonorum æs alienum a donante prius contractum ſolvere debet.

Donatarius omnium bonorum ad æs alienum utique non tenetur, ſi donator mortuus ſit, atque heres teſtamentarius, vel legitimus hereditatem pure adierit; cum enim donatarius neque heres ſit, neque heredis loco habeatur, ſed ſingularis ſucceſſoris; etiamſi maximam bonorum partem teneat (1), onus hoc ſecundum generalia juris principia in heredem cadere debet (2). Quod ſi donator adhuc vivat: vel mortuus quidem ſit, nullum tamen legitimum, aut teſtamentarium heredem habeat, vel heres beneficio inventarii utatur, donatarius ex juris auctoritate cogi debet, ut ſolvat æs alienum ante peractam donationem contractum (✠3), cum donati

non poſſit, niſi quod ſupereſt, deducto ære alieno, immo præter illud donatori adhuc relinqui debeat, quo vivere poſſit (4), ut modo diximus (Definit. præced.); nec liceat liberalitatem unius favore in alterius diſpendium exercere. Sed ſolvere non tenetur, quod donator poſt donationem contraxit, niſi fraus probetur interveniſſe (5); jus enim plene quæſitum per donationem rite, & legitime peractam, ſuperveniente ære alieno nec tolli, nec imminui poteſt (✠6).

(1) *L. Si poſt motam* 2. *cod. de petition. hereditat.* (3. 31.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *defin.* 4. *in princip.*

(2) *L. Aeris alieni* 15. *cod. hoc tit. de donationib.* (8. 54.)

(✠3) *Deciſ.* 18. *februarii* 1666. *ref. D. Portanerio in cauſſa Mellanæ contra heredit. Robaudi in princip., Deciſ.* 19. *auguſti* 1680. *refer. D. Torrini in cauſſa conc. Barel. contra prætendentes*, §. *Sed data.*

(4) *L. Qui ex donatione* 12. *ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.), *D. L. Inter eos* 19. §. 1. *ff. de re judicat.* (42. 1.)

(5) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *defin.* 5. *num.* 9. *in corp.*

(✠6) *L. Perfecta* 4. *cod. de donationib., quæ ſub mod.* (8. 55.), *L. Si donationem* 5. *cod. de revocand. donat.* (8. 56.), *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 36. *definit.* 5. *num.* 13. *in corp., Deciſ.* 11. *april.* 1702. *refer. D. Cumiana in cauſſa conc. Maſſæ*, §. *Succedit diſcutienda.*

DEFINITIO XLVIII.

Quid ſi donationis tempore cogitatum ſit de creditoribus poſterioribus; ſed donatio ſit ob cauſſam, puta contemplatione matrimonii?

Donatio igitur revocari non poteſt a creditoribus poſterioribus, niſi fraus intervenerit (1). Sed hæc quoque regula exceptionem habet in donatione, quæ ob cauſſam facta ſit, veluti matrimonii contrahendi, quod conſequenter initum ſit, propter aliorum jus, de quorum re agitur, quique a contractu alioquin abſtinuiſſent (✠2). Quod facile recipi debet, cum donantis conſilium in animo adhuc latens, nec extrinſecus, donationis tempore, manifeſtatum, nocere non debeat huic donatario, qui titulum mere lucrativum non habet, ſed reſpectu cauſſæ oneroſum.

(1) *Ut colligunt pragmatici ex Auth., ſed jam neceſſe poſt, L.* 19. *cod. de donat. ante, vel propt. nupt.* (5. 3.)

(✠2) *Deciſ.* 11. *april.* 1702. *refer. D. Cumiana in cauſſa concurſ. Maſſæ*, §. *Quinimo dato, & non conceſſo.*

DEFINITIO XLIX.

Donatarius erga creditores donantis non tenetur ultra id, quod accepit, niſi ſpoponderit, ſe ſoluturum omne æs alienum.

Quoties donatarius ſive juris auctoritate, ſive etiam ſponte actiones creditorum ſuſcipit, non tenetur ultra id, quod accepit (✠1); cum ex ſola æquitatis ratione teneatur, quæ non ſinit, ut cum alterius jactura locupletetur (2); niſi forte indiſtincte promiſerit, ſe ſoluturum omne æs alienum donatoris, quo caſu ſuſcepta obligatio adimplenda eſt, etiamſi donatio inde damnoſa potius, quam lucroſa futura ſit ex gravi ære alieno, quo deinde emerſerit (3); atque juris auctoritate cogitur, non quidem directe, ſed utilibus ceſſis actionibus a debitore favore creditorum (4); ſicut enim donator liberalitatem ſuam alteri lucroſam revocare non poteſt, ita nec donatarius a contractu reſilire, quamvis incommodum potius, quam commodum ex donatione ſentiat (5): ſibi imputet, cur diligentius non inquiſierit: quamquam ex juſta cauſſa poſſet in integrum reſtitui adverſus donationem (6).

(✠1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 36. defin. 1. num. 21. in corp., Deciſ. 6. aprilis 1757. refer. D. Provana in cauſſa concurſ. Bianchis, & Marchion. Albareti, Valperga, & Comit. Maxini, §. Quoad vero contractum, poſt num. 17.*

(2) *L. Nam hoc natura 14. ff. de condiction. indebit.* (12. 6.)

(3) *L. Legem 9. cod. hoc tit. de donationib.* (4. 58.)

(4) *L. Cum res filio 22. cod. hoc tit.*

(5) *D. L. 9., & 22., Fab. cod. de donationib., quæ ſub mod. lib. 8. tit. 37. def. 4.*

(6) *L. 1. §. 1. in fin. ff. ex quib. cauſ. major.* (4. 6.)

DEFINITIO L.

Donatum ex metu vindicari poteſt etiam adverſus tertium poſſeſſorem, qui nec vim intulit.

Actio quod metus cauſſa datur etiam contra tertium poſſeſſorem, qui ex donatione rem habuit, quamvis ipſe metum non intulerit (✠1); hæc enim actio non perſonam vim facientis coercet, ut ait poſt Marcellum Ulpianus, ſed in rem ſcripta eſt: atque prætor auxilium ſuum præſtat, & reſtitutionem indulget adverſus quoſcumque, ut reſcindatur, quod ex metu geſtum eſt (2).

(✠1) *Deciſ. 16. februarii 1644. refer. D. Barberis in cauſſa Dorerii contra Vitonam per 101.*

(2) *L. Metum autem 9. §. ult. ff. quod met. cauſſa* (4. 2.)

TITULUS XXII.

De revocandis donationibus.

DEFINITIO I.

Donatio, niſi ob cauſſam ſit, non irritatur, niſi ex cauſſa læſionis enormiſſimæ, quæ cauſſam finalem tangat.

Donatio læſionis nomine non irritatur, niſi ex cauſſa ſit (1); alioquin donationes omnes hujuſmodi commento, ut ſcite animadvertit Faber, ſubverterentur (2); cum donare nihil aliud ſit, quam perdere (3). Atque hinc colligit Faber, reſtitutionem in integrum denegandam eſſe illi, qui ab ampliſſima donatione, accepto modico pretio, per tranſactionem receſſerat; quia & ipſe donatori ſuo mutuo donaſſe videatur (4). Sed in hac re læſio enormiſſima paſſim requiritur, ita ut neque læſio enormis, ſeu quæ in parte dimidia conſiſtit, ſufficere poſſit (5), quia donatio, etiam ſine cauſſa, hinc quidem permutationis naturam inducere videtur, inde tamen contractus lucrativi indolem non omnino amittit; adeoque gravior læſio neceſſaria eſt, ut fiat locus reſciſſioni, quam in venditione (✠6). Atque inſuper inſpiciendum eſt, utrum cauſſa finalis ſit, an impulſiva, qualis in dubio præſumitur; cum donationes ex mera liberalitate plerumque profluant, quamvis donator extrinſeca aliqua cauſſa ad facilius donandum moveatur.

(1) *L. 1. cod. ſi adverſ. donat.* (2. 30.)

(2) *Fab. cod. ſi adverſ. tranſact. lib. 2. tit. 21. def. 1. num. 4. in corp.*

(3) *L. Filiusfamilias 7. ff. hoc tit. de donationib.* (39. 5.)

(4) *Fab. d. def. 1. in princip. cod. ſi adverſ. tranſact.*

(5) *L. Si voluntate* 8. *cod. de reſcindend. vendit.* (4. 44.)

(✠6) *Deciſ.* 28. *januar.* 1658. *refer. D. Paſtoris in cauſſa Garinæ contra filium*, §. *Præcipuum fundamentum in fin. deciſ.*

DEFINITIO II.

Quibus conjecturis donandi cauſſa impulſiva potius, quam finalis judicetur?

Cauſſa impulſiva, non finalis, ex indiciis, atque conjecturis dignoſci poteſt: potiſſimum ex clauſulis enixam donandi voluntatem præſeferentibus (✠1): ex perſonarum intima conjunctione, veluti ſi mater filio donet (✠2); præcipue vero, ſi donans expreſſerit, ſe liberaliter, & ſponte donare, quod excedit; atque adjecta ſit renunciatio cuicumque læſioni (3).

(✠1) *Sola ad decret. Malitiis gloſ.* 1. *num.* 14. *pag. mihi* 164., *D. Deciſ. (definit. præced.) refer. D. Paſtoris*, §. 3. *Tanto magis*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Paſtoris*, §. 4. *Quia agitur.*

(3) *Poteſ. enim quilibet pro arbitrio juri ſuo renunciare, L. Si quis in conſcribendo* 29. *cod. de pactis* (2. 3.)

DEFINITIO III.

Donatio ſimplex ex cauſſa ingrati animi, atque ob liberos donatori ſupervenientes irritatur, non vero remuneratoria.

Ex cauſſa ingrati animi, nec non propter liberos, qui donatori ſupervenerint, donatio ſimplex inter vivos revocatur (1), quamvis jurejurando firmata fuerit (2); cum jusjurandum, utpote acceſſorium, eaſdem recipiat conditiones, ac ipſe contractus (3). Remuneratoriam tamen donationem ex hiſce cauſſis non irritari, communis eſt interpretum, atque pragmaticorum ſententia (✠4); quatenus enim meritis commenſuratur, non tam donatio, quam permutatio eſt; atque reddere potius videtur, qui ob merita donat, quam liberalitatem exercere. Quare ſuperius diximus, donationem hanc, niſi longe excedat merita, inſinuationi obnoxiam non eſſe (5). Onus autem probandi donationem meritis æqualem, vel fere æqualem eſſe, incumbere videtur donatario; ita ut neque ex mutua, & unanimi donantis, & donatarii aſſeveratione ſatis probata merita videantur, quoties actus ſuſpectus eſt ratione perſonæ, puta mulieris donantis, aut alia quacumque ratione (6); ne ſub quæſitæ remunerationis colore fraus fiat legi; maxime in diſpendium filiorum.

(1) *L. ult. cod. hoc tit. de revocand. donat.* (8. 56.)

(2) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 38. *def.* 17. *num.* 4. *in corp.*

(3) *L. ult. cod. de non numerat. pecun.* (4. 30)

(✠4) *Voet in pandect. hoc tit. lib.* 39. *tit.* 5. *num.* 25. *in princip.*, *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 38. *defint,* 3, *Deciſ.* 19. *decembris* 1654. *refer. D. Filippa in cauſſa Ferreriæ Appianæ contra confraternitat. SS. Sudarii in fin. princip.*

(5) *V. Tit. præced. XXI. de donationibus defin. XXXVII.*

(6) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 38. *d. defin.* 3. *num.* 6. *in allegat.*

DEFINITIO IV.

Donatio ob cauſſam firma manet, licet donatarius ingratus ſit, vel liberos deinde ſuſceperit.

Eadem ac donationis reciprocæ conditio eſt, ejus quæ ob cauſſam facta fuerit (✠1): puta ſi donatarius ex parte ſua quædam onera habeat, quæ rei donatæ æſtimationi ex communi hominum ſenſu fere reſpondeant; hæc enim reciproca donatio eſt, quæ revocationis pœnæ non ſubeſt. Hinc donationem, con-

Digitized by Google

templatione matrimonii factam, ex ſolo ingrati animi vitio minime revocari poſt alios tradit Faber (1); non tantum, quia cauſſam oneroſam habet, videlicet matrimonii, quod alias contractum non fuiſſet; ſed etiam, quia præter donatarii favorem vertitur quoque commodum prolis ex eo matrimonio ſuſceptæ, vel ſuſcipiendæ, quæ damnum ſubire non debet ex culpa parentum, vel favore liberorum, qui donanti ſupervenerint (3).

(✠1) *Fab. cod. hoc t., lib. 8 tit. 38. definit. 1. num. 1. in allegat. Deciſ. 4. decembris 1755. refer. D. Villata in cauſſa Bonardi contra Goſium, §. Porro certi, n. 31.*

(2) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 38. d. def. 1.*

(3) *L. Si quis ſuo 33. §. 1. cod. de inoffic. teſtam.* (3. 28.)

DEFINITIO V.

An donatarii heredes donationem ex capite non ſecuti implementi revocare poſſint?

Conſtitutum quidem, atque receptum eſt, ut donantis heredes ex capite non ſecuti implementi per negligentiam donatarii collatam in hunc liberalitatem revocare poſſint (1), ſaltem ſi donatoris heres agat, non ex crimine ingrati animi propter non ſecutum implementum (2), ſed ex capite cauſſæ non ſecutæ (3); cum ea ſit condictionis natura, ut tranſeat ad heredes illius, qui condicere potuit (4), atque convenerit inter donantem, & donatarium, ut donatio reſolveretur, ſi placita obſervata non eſſent, de qua ſpecie loquitur Imperator Alexander (5): alioquin plures ſolam actionem donatori heredibus competere exiſtimant, ex qua donatarium cogant, ut modum donationi adjectum impleat. Fatentur omnes, heredi donatoris permittendum non eſſe, ut donationem revocet ex cauſa non ſecuti implementi, ſi donator aliquo voluntatis indicio demonſtraverit, ſe donatario culpam, illatamque ſibi injuriam remiſiſſe (6): puta ſi petierit eum condemnari ad fidem implendam (✠7), cum unuſquiſque poſſit juribus ſibi competentibus renunciare (8); atque alterius conditionem in priſtinum ſtatum, unde per culpam deciderat, inſtaurare (9).

(1) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 38. defin. 14.*

(2) *Ex d. L. ult. cod. hoc tit. de revocand. donationib.* (8. 56.)

(3) *Fab. cod. hoc tit. d. defin. 14. allegat. 5 ✠.*

(4) *L. Si, ut proponis 2, L. Cum ancillam 6. cod. de condict. ob cauſſ. dator.* (4. 6.)

(5) *In d. L. 2. cod. de condict. ob cauſ. dator.*

(6) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8. tit. 38. defin. 13.*

(✠7) *Deciſ. 28. januarii 1658. refer. D. Paſtoris in cauſſa Piſcinæ contra Garinum, §. 2. Quia donans receperat, L. Poſt diem 8. ff. de lege commiſſor.* (18. 3.)

(8) *L. Si quis in conſcribendo 29. cod. de pact.* (2. 3.)

(9) *L. De lege 6. §. ult. ff. de leg. commiſſor.*

DEFINITIO VI.

Donatio revocari poteſt ob denegata donanti alimenta; ſaltem ſi ſub hac conditione donatio fuerit celebrata.

Quamquam donatio ex communi ſententia revocari non poteſt ob leviora delicta, ſeu ingrati animi vitia; ne vix ullus ſit donatarius ab hoc judicio immunis; cum publica utilitas, reipublicæ pax, & ſecuritas poſtulent, ut leviora quædam delicta extra legum pœnam ſint (1). Non dubium tamen, quin ſimilia, nec minus atrocia ingrati animi crimina præter ea, quæ commemorat Juſtinianus (2), juſtam revocandæ donationis cauſſam præbere poſſint, ita ſua-

dente æquitate, quibus legum ſententia in hoc potiſſimum argumento innititur. Atque hinc vulgo docent pragmatici, poſſe donationem revocari, ſi donatarius alimenta donatori, gravi neceſſitate preſſo, cum facile præbere poſſet, impie denegaverit (3); quippequia necare exiſtimatur, qui alimenta denegat (4). Quod tamen de eo tantum donatario accipiendum eſt, qui egregiam bonorum quantitatem acceperit, inſpecta tum ſua, tum donantis conditione. Profecto, ſi donatio ea lege facta ſit, ut donanti alimenta præſtet donatarius, atque hic datam fidem implere detrectet, non tantum condictio ad res donatas repetendas, ſed utilis quoque earum vindicatio, perinde ac ſi dominium nunquam a donatore receſſiſſet, danda eſt (✠5). Neque intereſt, utrum jurejurando firmata donatio ſit, nec ne; jusjurandum enim, utpote acceſſorium, recipit conditiones actus, cui adjectum fuit (✠6).

(1) *L. Scio* 4. *ff. de in integr. reſtitut.* (4. 1.), *L. Res bona fide* 54. *ff. de contrahend. emtion.* (18. 1.)

(2) *D. L. ult. cod. hoc tit. de revocand. donationib.* (8. 56.)

(3) *Voet in pandect. lib.* 39. *tit.* 5. *num.* 22. *in prope fin.*, *poſt Grotium Manuduct. ad juriſprud. Holland. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 30. *ad* 33, *Fab cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 38. *def.* 17. *num.* 2.

(4) *L. Necare* 4. *ff. de agnoſcend.*, & *alend. liber.* (25. 3.)

(✠5) *L.* 1. *cod. de donat.*, *quæ ſub modo &c.* (8. 55.), *Deciſ.* 8. *junii* 1654. *refer. D. Dalmazzono in cauſſa fratr. de Loſcis in princip.*, *Deciſ.* 14. *decembris* 1672. *refer. D. Valgrana in cauſſa de Faciis contra heredes Culatos in fine.*

(✠6) *L. ult. cod. de non numerat. pecun.* (4. 30.), *D. Deciſ. refer. D. Dalmazzono in princip.*

DEFINITIO VII.

Donatio facta liberis ex reſcripto Principis legitimatis non revocatur, tametſi donatori deinceps naſcantur filii ex juſtis nuptiis.

Cum de jure revocandæ donationis propter ſupervenientes donatori liberos quæritur, interpretes pragmaticis non conſentiunt: illi uno tantum caſu permittendam eſſe revocationem contendunt, quo patronus liberto donavit, atque deinceps filios ſuſcepit (1), & ſingulari quidem ratione; quod ad alios etiam ſimiles caſus protrahi non ſinant genuinæ interpretationis regulæ (2), ab ipſis pragmaticis paſſim in ceteris quæſtionibus probatæ. Uno hoc quidem caſu hujuſmodi revocatio permittitur ab Imperatoribus Conſtantino, & Conſtantio (3); atque ita ſuaſit, ajunt interpretes, & ſingulare hoc jus extorſit præcipuus patroni favor, & arctiſſimum beneficii vinculum, quo libertus patrono adſtringitur. Præterquamquod nullibi datur revocandæ, ex hujuſmodi cauſſa donationis facultas: immo in jure canonico contraria plane ſententia apertiſſime traditur, dum Sanctus Auguſtinus factum commemorans Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi res ſibi donatas ab eo, qui liberos tempore donationis non habebat, ſed deinde ſuſcepit, reſtituentis, addit, potuiſſe epiſcopum non reddere; ſed jure fori, non jure poli (4). Hiſce tamen non obſtantibus, uſu fori apud pleraſque gentes, exemplo ducto a donatione patroni erga libertum ſuum (5), invaluit, ut donatio quævis ex ſupervenientibus donatori liberis poſſit revocari (6); tum ex præſumta donantis voluntate, tum ita ſuadente parentum erga liberos charitate: quæ ſententia non omni legum auctoritate deſtituta eſt (7). Sed dubium eſt, qui veniant in hoc argumento filiorum nomine: ob legitimos utique filios donationem revocari

Digitized by Google

poſſe, apud omnes in confeſſo eſt: non vero ob ſpurios. aut naturales (8): quod vero pertinet ad filios legitimatos, non una opus eſt diſtinctione, quas alibi fuſe expendimus (9): hic unum tradendum eſt, donationem factam filio, qui reſcripto Principis legitimatus ſit, non revocari propter liberos poſtea ex legitimis nuptiis donatori natos (✠10); hic enim tractatur de jure poſterioribus liberis nondum quæſito, ſed donatario ipſi. Cum ergo filius a Principe legitimatus juris fictione inter legitimos connumeretur quoad civiles effectus, præterquam ubi alterius favore, cui jus plene quæſitum eſt, alia præſumitur Principis legitimantis voluntas, ceſſare debet legis diſpoſitio, quæ in eo tantum caſu locum habet, quo donator liberos non habebat donationis tempore (11).

(1) *L. Si unquam* 8. *cod. hoc tit. de revocand. donationib.* (8. 56.)

(2) *L. Quod vero* 14. *cum duab. ſeqq. ff. de legib.* (1. 3.)

(3) *D. L.* 8. *cod. hoc tit. de revoc. donat.*

(4) *Cap. ult. cauſſa* 17. *quæſt.* 4.

(5) *D. L. ult. cod. hoc tit. de revoc. donat.*

(6) *Theſaur. deciſ.* 121. *in principio. Fab. cod. hoc tit. lib.* 8. *tit.* 38. *def.* 2, *& paſſim, Voet. in pandect. hoc tit. lib.* 39. *tit.* 5. *num.* 26, *Perez. in cod. hoc tit. num.* 15.

(7) *V. L. Cum avus* 102. *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 2.), *L. Cum acutiſſimi* 30. *cod. de fideicommiſ.* (6. 42.)

(8) *Argum. L. Quæret aliquis* 135. *ff. de V. S.*

(9) *V. Juriſprud. Tom.* 4. §. 668., *& ſeqq. pag.* 161.

(✠10) *Deciſ.* 11. *ſeptembris* 1739. *ref. D. Granella in cauſſa utrinq. Juglaris*, §. *Data igitur num.* 77, *&* §. *Ulterius ratio num* 78.

(11) *L. Si unquam* 8. *cod. hoc tit. de revocand. donationib.*

DEFINITIO VIII.

Donator, cui poſt donationem liberi ſupervenerint, pro arbitrio poteſt donationem revocare, & ratam habere.

Cum revocandæ ex ſupervenientibus poſt peractam donationem liberis facultas patris donantis favore directe, & primario inducta ſit (1), qui præſumitur de liberis tempore donationis non cogitaſſe; ut vel ex eo patet, quod non prohibeatur pater, qui filios habet, donare, dummodo ſalva ſit liberis legitima, quam alioquin, inſtituta inofficioſæ donationis querela, conſequerentur (2); unuſquiſque autem juribus pro ſe latis pro arbitrio renunciet (3), conſequens eſt, licere patri, qui poſt donationem liberos ſuſcepit, jus ſibi competens donatario remittere, atque donationem, nullatenus obſtante filiorum nativitate, firmare (✠4).

(1) *D. L. Si unquam* 8. *cod. hoc tit. de revocand. donat.* (8. 56.)

(2) *L.* 1., *& paſſim cod. de inofficioſ. donat.* (3. 29.)

(3) *L. penult. cod. de pactis* (2. 3.)

(✠4) *Theſaur. deciſ.* 121. *num.* 3., *Deciſ.* 19. *junii* 1745. *refer. D. Nomis. in cauſſa fratr. Clerici*, §. *Secundo Validius, in fine deciſ.*

DEFINITIO IX.

Donatio ex liberis deinde donanti natis ipſo jure non revocatur; ſed arbitrio patris, qui poteſt eam expreſſe, vel tacite confirmare.

Hinc quoque ſequitur, jus revocandæ donationis ex cauſſa liberorum per ſe non transferri in filios, niſi de expreſſa, vel ſaltem tacita patris voluntate conſtet; cum enim hujuſmodi revocatio potius favore patris, quam liberorum (Definit. præced.), indulgeatur,

inquam, non ita ut ipſo jure fiat, ſed a patre implorato judicis officio obtinenda ſit (1): cum pater hanc reſcindendæ donationis voluntatem non declarat, filii, qui ex propria perſona jus non habent, uti nequeunt beneficio, cui pater renunciaſſe videtur, ex quo ſiluit, nec in judicio expertus eſt. (2). Non tamen expreſſa in omni caſu patris voluntas requirenda eſt; ſed ſufficere poteſt tacita: veluti ſi pater rem donatam penes ſe ſemper retinuerit, ejuſque poſſeſſionem in filios deinde procreatos transferat, potiſſimum ſi ruſticus ſit, legum ignarus, & tempore donationis nullam procreandorum liberorum ſpem haberet; res autem donata non exigui valoris ſit. Sed hæc a judicis arbitrio maxima ex parte pendent (✠3).

(1) *Ajunt quidem Imperatores in D. L. Si unquam* 8 *cod. hoc tit. de revocand. donat. donatum reverti; ſed hæc loquendi formula ſolam indicat conditionem, prout in donatione inofficioſa, quæ etiam reverti dicitur in L. Si totæ* 5 *cod. de inofficioſ. donat.* (3.·29)*, attamen querela inofficioſæ donationis neceſſaria eſt, & judicis officio opus L.* 1*, &* 2 *cod. eod. tit.*

(2) *Theſaur. Deciſ.* 121 *num.* 6 ✠.

(✠3) *Theſaur. D. Deciſ.* 121 *in addit. litera B* ✠*, Deciſ.* 11 *april.* 1644 *refer. D. Barberis in cauſſa Pupini contra Caligaris per tot.*

DEFINITIO X

Ex liberis ſupervenientibus donatio non revocatur, niſi donationis tempore pater nullos habuerit liberos, & de futuris filiis non cogitaverit.

Duplex vulgo requiri ſolet conditio ad revocandam ex cauſſa ſupervenientium liberorum legitime inter vivos celebratam donationem: nimirum 1. Ut pater tempore donationis nullos habuerit liberos: altera, ut de liberis futuris tunc minime cogitaverit (1); quare in primo caſu ex ſupervenientibus liberis non revocatur donatio, præterquam ſi appateat inofficioſa, quatenus illis ſalva debet eſſe legitima in bonis paternis (2). Neque intereſt, quod poſt ſecutam donationem plures filios naſci contingat, apertiſſima enim ſunt legis verba (3). neque ſub ſpecie æquitatis lex ſingularis, & donatario odioſa extra ſuos limites trahenda eſt (4): niſi forte liberi tempore donationis exiſtentes ingrati eſſent, & odioſi, qui vero deinceps geniti ſunt, eodem vitio non laborent (5). Altera conditio in eo poſita eſt, ut pater, filios non habens, de futuris tamen non cogitaverit (✠6). Cogitaſſe autem de liberis futuris creditur, non tantum, qui huic beneficio renunciavit, etiam in eo caſu, quo liberos forte ſuſciperet, & in ea adhuc ætate, & conditione poſitus eſſet, ut probabilis ſpes affulgeret liberorum ſuſcipiendorum; ſed ille etiam, qui matrimonium contracturus in alterum conjugem liberalis fuit (7); quia ſpe potiſſimum ſuſcipiendæ prolis matrimonia contrahi ſolent. Non tamen de liberis cogitaſſe præſumitur, quiſquis probabilem habet ſpem ſuſcipiendæ prolis: alioquin vix ullæ donationes ex ſupervenientibus liberis revocarentur, præterquam ab iis factæ, qui eo tempore aut nullam uxorem haberent, aut ſenem, & ſterilem, quod vulgo improbatur (8): nam lex nititur præſumpta donantis voluntate, qui non cenſetur, liberalitatem in extraneum conferre velle in diſpendium prolis, ita ut a donando abſtineret, ſi proles, cujus ſpem habet, nata fuiſſet. Porro non omnes, qui gignendis liberis idonei ſunt, idcirco ſuſcipiendæ prolis ſpem, aut voluntatem habent.

(1) *L. Si unquam* 8 *cod. tit. de revocan. donationib.* (8. 56).

(2) *L.* 1*, &* 2 *cod. de inoffic. donat.* (3. 29).

(3) *Si unquam libertis patronus filios non habens, D. L.* 8 *cod. hoc tit.*

Digitized by Google

(4) *L. Quod vero 14 cum duab. ſeqq. ff. de legib.* (1. 3).

(5) *Fab. cod. hoc tit. de revocand. donationib. lib. 8 tit. 38 def. 8, Voct. in pandect. lib. 39 tit. 5 num. 30.*

(✠6) *Theſaur. Deciſ. 121 num. 5, Fab. cod. hoc tit. lib. 8 tit. 38 def. 2, & 6, Voct. in pandect. lib. 39 tit. 5 num. 30, Deciſ. 19 junii 1745 refer. D. Nomis in cauſa Fratr. Clerici in fine.*

(7) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8 tit. 38. def. 2 in princip.*

(8) *Fab. cod. D. lib. 8 tit. 38. def. 7*

DEFINITIO XI.

Donatio facta contemplatione matrimonii ſive proprii, ſive alieni non poteſt ob ſupervenientes donatori liberos revocari.

Donationem factam contemplatione proprii matrimonii contrahendi, dotis, donationis propter nuptias, aliove nomine neutiquam revocari poſſe, tametſi donator deinceps liberos ſuſceperit, vulgo receptum eſt (1); quia de liberis cogitaſſe præſumitur, qui matrimonium contrahere voluit: ſed dubitari non inepte poteſt, an idem ferendum ſit judicium de donatione facta ab extraneo, adeoque contemplatione alienarum nuptiarum, videlicet an, natis deinceps donanti liberis, poſſit revocari, nec ne. Quidquid vero alii ſentiant, placuit apud nos, eam irrevocabilem habere (✠2); & juſta quidem ratione; hæc enim ſimplex donatio non eſt, ſed potius ad contractus innominati naturam accedit *do, ut facias*: cum donator ideo donaverit, ut nuptiæ contraherentur; quare, impleto, ex parte donatarii contractu, ſeu nuptiis celebratis, pœnitentiæ, aut revocationi locus amplius eſſe nequit (3); ne alioquin ſequatur abſurdum, quod legibus, ac naturali æquitati adverſatur, ut una pars contractus ſubſiſtat, altera corruente (4). Neque maritus dotem ex cauſſa lucrativa habere intelligitur, ſed ex oneroſa propter graviſſima matrimonii onera (5); atque ideo extraneus, qui mulieri donandi cauſſa promiſerit dotem ſupra vires facultatum ſuarum, atque ex ea promiſſione conveniatur, beneficio competentiæ non gaudet; quamvis donatori generatim hujuſmodi beneficium tributum ſit (6). Neque vim facit, quod aliqui objiciunt, revocationem ideo permittendam eſſe; quia tum donatarius, tum donatarii uxor prævidere debuerunt, futurum, ut donatio ipſo jure revocaretur, ſi forte donator ſuſciperet liberos (7); nam potius dicendum eſt, donatorem huic revocationis beneficio tacite renunciaſſe, rem ex cauſſa matrimonii tradendo; quippequi ſcire debebat, contractus ultro citroque obligatoris non poſſe pro parte reſcindi, aut pœnitentiam admittere, invito altero contrahente, qui contractum ex ſui parte adimplevit (8).

(1) *V. Juriſprud. tom. IV* § *711, & ſeqq. pag. 170.*

(✠2) *Deciſ. 8 junii 1726 refer. D. Guillier in cauſſa Equit. Robii contra de Advocatis* §. *Eo fortius, cum ſimus, Voct in ff. hoc tit. lib. 39 tit. 5 num. 35.*

(3) *L. Sicut initio 5 cod. de obligat., & actionib.* (4. 10).

(4) *L. Cum te fundum 6 cod. de pact. inter emtor. & venditor.* (4. 54), *L. Utrum 7* §. *ult. ff. de reb. dubiis* (34. 5).

(5) *L. Ult.* §. *1 in fin. ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8).

(6) *L. Si de dote 84 ff. de jure dot.* (23. 3), *L. Neſennius 41 ff. de re judicat.* (42. 1).

(7) *Fab. cod. hoc tit. lib. 8 tit. 38. def. 2 in med.*

(8) *D. L. Sicut initio 5 cod. de obligat. & actionib.*

DEFINITIO XII.

Neque revocationi ex ſupervenientibus liberis ſubeſt donatio facta favore agnationis, ejus conſervandæ, & amplificandæ cauſſa.

Eodem favore digna eſt donatio, quæ in gratiam agnationis, ejus conſervandæ, & amplificandæ cauſſa facta ſit (✠1); quia neque hæc mera liberalitas eſt, & propria donatio, ſed impropria ob cauſſam; in qua non ſolius donatarii, ſed etiam liberorum favor verſatur; adeoque ab odioſa, & parum legibus conſentanea retractatione excipi debet (1).

(✠1) *Fab. cod. d. lib. 8. tit. 38. definit. 1., D. Deciſ. (definit. præced.) ref. D. Guillier, & d. §., & ſeqq., Deciſ. 19. junii 1745. refer. D. Nomis in cauſſa fratr. Clerici, §. Verum multifariam num. 25.*

(1) *Argum. L. Quod vero 14, & ſeqq. ff. de legib. (1. 3.)*

DEFINITIO XIII.

Donatione propter liberos a donante poſtea genitos revocata, non reſtituuntur res bona fide alienatæ, nec fructus, niſi pactum hoc expreſſe adjectum fuerit.

Revocata ex liberis ſupervenientibus donatione, totum, quidquid largitus fuerat donator, revertatur, ajunt Imperatores, *in* ejuſdem donatoris arbitrio, ac ditione manſurum (1): quod quidem de illis dumtaxat rebus accipiendum eſt, quæ ſuperſunt tempore motæ litis, non quæ bona fide alienata prius fuerunt: neque fructus ante litem mota percepti (2): niſi expreſſe adjectum fuerit pactum in donatione, ut liberis ſupervenientibus donatio ita fiat irrita, quaſi nunquam fuerit celebrata: cum contractus ex conventione legem accipiant (3); tum pactum hoc nec legibus, aut bonis moribus adverſetur (4), non dubium, quin adjici poſſit donationi, & caſu eveniente effectum ſortiri debeat (✠5).

(1) *L. Si unquam 8. cod. hoc tit. de revocand. donat. (8. 56.)*

(2) *V. Juriſprud. Tom. IV, §. 717., & ſeqq. pag. 171.*

(3) *L. Legem 10. cod. de pactis (2. 3.)*

(4) *L. Juris gentium 7. §. Ait prætor 7. ff. eod. tit. (2. 14.)*

(✠5) *Deciſ. 11. decembris 1642. ref. D. Appiano in cauſſa Forneriæ contra Vibertum, §. Secundo allegabat.*

TITULUS XXIII.

De inofficioſis donationibus.

DEFINITIO I.

Donationis inofficioſæ querela competit Filiis, parentibus, & fratribus turpi perſonæ poſtpoſitis: niſi fraudis ſuſpicio adſit.

Quamquam revocandæ tamquam inofficioſæ donationis querela, ſtricto jure inſpecto, competit ſolis liberis, parentibus, & fratribus turpi perſonæ poſtpoſitis, exemplo querelæ inofficioſi teſtamenti (1), non ceteris conſanguineis, licet arctiſſimo ſanguinis vinculo conjunctis: quia tamen frater in dubio alteri fratri dilectus præſumitur, atque pietatis imago reperitur in proximis agnatis, potiſſimum qui parentum locum tenent, veluti patrui erga nepotes (2), idcirco fraudis, & ſeductionis ſuſpicio facilius admittitur in eo, qui plures fratres, & nepotes habens, alteri ex his univerſa bona relinquit; quo fit, ut donatio probari non debeat, ſi vel minimum deſit ex ſolemnibus (✠3).

(1) *L. Si filius 4, & ſeqq. cod. hoc tit. de inofficioſ. donat. (3. 29.), §. 1. inſtit. de inofficioſ. teſtament. (2. 18.)*

(2) §. *Fratris vero* 3, §. *Item amitam* 5. *inſtit. de nupt.* (1. 10.), *L. Sororis* 39. *ff. de ritu nuptiar.* (23. 2.)

(✠3) *Argum. L. non eſt neceſſe* 11. *ff. de probationib.* (23. 3.), *Decif.* 13. *ſeptembris* 1763. *ref. D. Selarandi in cauſ. utrinq. Vico*, §. *Id vero ſat erat.*

DEFINITIO II.

Donatio ſimplex in legitimam filii donatarii non imputatur.

Donatio ſimplex, ut obiter dicamus, a patre in filium collata in legitimam non imputatur (✠1), cum neque collationi plerumque ſubjaceat (2).

(✠1) *Decif.* 11. *ſeptembris* 1739. *ref. D. Granella in cauſſa utrinq. Jugularis*, §. *Tranſeundo, num.* 80, *& ſeqq.*, *Decif.* 15. *februar.* 1731. *ref. D. Demorra in cauſſa Fontanaros, & Bertarioni*, §. *Quo vero ad petitam.*

(2) *L. Illud ſine ratione* 20. §. 1. *cod. de collationib.* (6. 20.), *Fab. cod. de inoffic. teſtam. lib.* 3. *tit.* 19. *def.* 30. *in princip.*

TITULUS XXIV.

De donationibus cauſſa mortis.

DEFINITIO I.

Reſervata facultate diſponendi de tota re donata, vel ejus parte, donatio non ideo abit in donationem cauſſa mortis.

Quamvis donator reſervaverit ſibi facultatem diſponendi de tota re donata, vel ejus parte, non ideo donatio inter vivos celebrata naturam induit donationis cauſſa mortis; ſed tantum facta intelligitur ſub conditione (✠1); non quæ vim donationis ſuſpendat, ſed quæ donanti permittat, ut rem donatam, vel ejus partem donatario auferre, & alteri concedere poſſit, ſi malit, & ita expreſſe ſtatuerit (2), prout ſupra expendimus (3).

(✠1) *L.* 1. *ff. de donationib.* (39. 5.), *Decif.* 7. *ſeptembris* 1772. *refer. D. Cavalli in cauſſa Vaſſalli contra PP. Sancti Philippi*, §. *Nec donationi num.* 27., *& ſeqq.*

(2) *V. Theſaur. decif.* 97.

(3) *V. Supra tit. XXI. de donationib. definit. XVI.*

DEFINITIO II.

Filiusfamilias donare cauſſa mortis poteſt peculium caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, & adventitium irregulare; non regulare, nec profectitium, niſi ex conſenſu patris.

Donare quidem cauſſa mortis poteſt filiusfamilias bona peculii caſtrenſis, vel quaſi caſtrenſis, quemadmodum de eo teſtari poteſt (1); atque inter vivos pro arbitrio uti, cum in utroque velut paterfamilias habeatur. Eadem videtur eſſe ratio peculii adventitii irregularis, ſeu cujus uſusfructus patri non competit; leges enim filiofamilias facultatem conceſſerunt, ut eo, quocumque voluerit modo, libere utatur (2). Sed adventitii regularis peculii diverſa eſt conditio; cum Juſtinianus indiſtincte prohibuerit, ne filius de hoc peculio ullo modo diſponat, invito patre (3). Hæc autem potiori ratione obtinent in peculio profectitio, videlicet ne filius, niſi ex patris conſenſu, cauſſa mortis donare poſſit (✠4): conſenſus autem patris in hac re ex generali donandi facultate datus non præſumitur; ſed ſpecialis ejus mentio neceſſaria eſt (5); quia donatio cauſſa mortis teſtamenti imaginem præſefert, atque effuſæ prodigalitatis periculum magis ex ea imminet.

(1) *L. Filiusfamilias* 7. §. *ult. ff. de donationib.* (39. 5.)

Digitized by Google

(2) *Novel.* 117. *cap.* 1. §. 1. *Theſaur. deciſ.* 150. *num.* 15.

(3) *L. ult.* §. *Ipſum autem* 5. *in med. cod. de bon. quæ liber.* (6. 61.), *Theſaur. d. deciſ.* 150. *num* 16.

(✠4) *L. Filiusfamilias* 7. §. *Pari autem* 4. *ff. de donationib. L. Tam is* 25. §. 1. *ff. hoc tit. de donationib. cauſ. mort.* (39. 6.), *Deciſ.* 5. *idus jun.* 1732. *refer. D. Cavalli in cauſſa utrinq. Barberis in fine.*

(5) *D. L.* 7. §. *Sed enim* 5. *ff. de donationib.* (39. 5.)

DEFINITIO III.

Donare cauſſa mortis ex patris conſenſu poteſt filiusfamilias quamcumque rem, & quamcumque quantitatem peculii profectitii.

Si pater conſentiat, ut filius peculium profectitium cauſſa mortis donet, valet cujuſcumque rei, & quantitatis donatio; leges enim indiſtincte loquuntur (1): quare filiafamilias ex patris voluntate poteſt dotem profectitiam, ſeu quam a patre habuit alteri cauſſa mortis donare (✠2).

(1) *D. L. Filiusfamilias* 7. *ff. de donat.* (39. 5.), *L. Tam is* 25. §. 1. *ff. hoc tit.* (39. 6.)

(✠2) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 37. *num.* 1., *& Deciſ.* 150. *in addit. litera A*✠, *Deciſ.* 31. *martii* 1662. *refer. D. de Gubernatis in cauſſa Baralis,* §. *Habuit, & ſeqq. ita in Deciſ.* 12. *junii* 1758. *refer. D. A Valle in cauſſa Delbecchi contra Amedeum,* §. *Sed Nicienſis, ubi traditur ita pronunciatum in deciſ. præced. refer. D. de Gubernatis.*

DEFINITIO IV.

Filiafamilias, patre licet conſentiente, donare mortis cauſſa non poteſt dotem profectitiam patri ipſi.

Non tamen probare poteſt pater, ut filiafamilias dotem profectitiam cauſſa mortis ſibi ipſi donet (✠1); tum quia nemo in rem ſuam auctor fieri permittitur (2); tum quia magis timendum eſſet, ne filia in propriæ ſobolis diſpendium de dote diſponeret, ſi patri ipſi rem donationis titulo habere liceret; cum tamen conſenſum ſuum non ita facile, nec niſi ex graviſſima cauſſa pater accommodaturus præſumatur filiæ, quæ extraneo donare velit (3).

(✠1) *D. Deciſ.* (*defin. præced.*) *refer. D. A Valle, & d.* §., *D. Deciſ. refer. D. Cavalli V. idus jun.* 1732. *in cauſſa utrinque Barberis in fine, Sentent. Senat.* 20. *novembris* 1772. *refer. D. Bruno in cauſſa Botalla, & Guidone.*

(2) *L.* 1. *ff. de auctoritat., & conſenſu tutor.* (26. 8.)

(3) *Theſaur. d. lib.* 2. *quæſt.* 37. *n.* 3.

TITULUS XXV.

De donationibus, quæ ſub modo, vel ſub conditione, vel ex certo tempore conficiuntur.

DEFINITIO I.

Donatio inter vivos ſub ea conditione facta, ut donatarius rem donatam alteri aliquando reſtituere debeat, continet ſubſtitutionem fideicommiſſariam.

Donatio alicui facta ſub ea conditione, ut res donatas alteri reſtituere teneatur, fideicommiſſariam ſubſtitu-

Digitized by Google

tionem continet, non vulgarem: vulgaris enim ſubſtitutio in iis tantum caſibus intervenit, in quibus primo inſtitutus, vel non vult, vel non poteſt rem habere (1): hæc autem donationi inter vivos non conveniunt, ex qua res priori donatario ſtatim traditur, & quæritur. Cum ergo vulgaris eſſe nequeat, ſequitur fideicommiſſi jure ſuſtinendam eſſe (✠2).

(1) *L. Poſt aditam 5. cod. de impuber. & aliis ſubſtitut.* (*6. 26.*)

(✠2) *Fab. cod. de impuber., & aliis ſubſtitut. lib. 8. tit. 6. defin. 8. num. 18. in corp., Deciſ. 17. julii 1730. refer. D. Cavalli in cauſſa Comitiſſæ Frichignonæ Gianatiæ a Pamparato contra Comit. Frichignonum a Caſtellengo, §. Verum quoad primum, num. 11.*

DEFINITIO II.

An, donatione pluribus ſucceſſive facta, poſterioribus donatariis quæratur actio realis ad rem donatam perſequendam, an perſonalis tantum?

Non conſentiunt interpretes, & pragmatici, utrum ex donatione pluribus ſucceſſive facta, ſive uni ea lege, ut poſt certum, vel incertum tempus eandem aliis, puta liberis ſuis, reſtituere teneatur, ſequentibus donatariis quæratur actio in rem utilis, an perſonalis tantum (1). Intereſt autem ſcire, utrum actio utilis, de qua meminerunt Imperatores (2), in rem ſit, an in perſonam; inde enim pendet donatarii jus, utrum etiam a tertio poſſeſſore rem, a priore donatario contra voluntatem donantis alienatam, petere poſſit, an unice perſequi a priore donatario rem, & id, quod intereſt. Perſonalem exiſtimant aliqui, inter quos Voetius (3); in eoque diſtare contendit fideicommiſſa per donationem, vel contractum inſtituta ab iis, quæ ultima voluntate relinquuntur: eandem ſententiam defendit Perezius (4); rationem adjiciens; quia poſterioribus donatariis ex ſola prioris ſtipulatione dominium quæri non potuerit; utpotequod ſine traditione non transfertur (5): ſine dominio autem actio realis ſubſiſtere non poſſit, neque directa, neque utilis (6). Hiſce tamen non obſtantibus cenſuit olim Senatus utilem hanc actionem (7) realem eſſe (✠8), tum quia vix aliquod exemplum ſuppeditant leges, in quibus utilis actionis nomen perſonali accommodetur; quin immo in hac donationis materia utilis rei vindicatio competere dicitur donatori adverſus donatarium, qui promiſſa alimenta præbere detrectaverit (9); tum etiam, quia Scævola donatarium, fideicommiſſi nomine ab his, quorum intereſt, conveniri poſſe tradit, maxime poſt conſtitutionem Divi Pii (10): actionem vero fideicommiſſario tributam realem eſſe, cum teſtamento injunctum eſt fideicommiſſum, omnes norunt (11). Sane cum pater pro filio ſtipulari, & donationem acceptare poſſit, ita ut donatio irrevocabilis fiat (12), recipi quoque poteſt, ut traditio patri facta filio proſit, ut rei utile dominium adeptus videatur.

(1) *Utilem actionem dicimus; omnes enim fatentur, directam non accommodari, cum ſtipulati non ſint.*

(2) *L. Quoties donatio 3. cod. hoc tit. de donat., quæ ſub modo &c.* (*8. 55.*)

(3) *Voet. in pandect. ad ſenat. conſult. Trebellian. lib. 36. tit. 1. num. 9, poſt Vinnium tractat. de pact. cap. 15. num. 11, & 12.*

(4) *Perez. in cod. hoc tit. lib. 8. tit. 55. num. 6.*

(5) *L. Traditionibus 20. cod. de pactis* (*2. 3.*)

(6) *§. 1. inſtit. de actionib.* (*4. 6.*)

(7) *De qua in d. L. 3. cod. hoc tit. de donat., quæ ſub modo.*

(✠8) *Deciſ. 13. auguſti 1646. refer. D. Juliano in cauſſa Leonæ contra Bennam, per tot.*

Digitized by Google

(9) *L. 1. cod. hoc tit. de donat., quæ ſub modo.*

(10) *L. Cum quis decedens 37. §. Pater 3. in fin. ff. de legat. 3.* (32. 1.)

(11) *L. 1, & 2. cod. commun. de legat., & de fideicommiſſ.* (6. 43.)

(12) *V. ſupra tit. XXI. de donationib. defin. XXIX.*

DEFINITIO III.

Donatio pluribus ſucceſſive facta contemplatione matrimonii, & favore agnationis revocari non poteſt, quamvis poſteriores donatarii eam nondum ratam habuerint.

Quamquam donatio pluribus ſucceſſive facta regulariter poteſt a donante revocari odio poſteriorum donatariorum, antequam ipſi eandem ratam habuerint, ſtipulatione notarii pro abſente licet interpoſita (1); aliud tamen receptum eſt in donatione, quæ contemplatione, & favore agnationis facta ſit (✠2); nimis enim grave, immo ridiculum eſſet, liberorum nondum exiſtentium conſenſum expoſtulare, antequam irrevocabilis fiat donatio. De hoc ergo fideicommiſſo donatione inſtituto idem ferri debet judicium, ac de eo, quod teſtamento injunctum eſt, ut perpetuum fiat ex primi donatarii acceptatione (3): potiſſimum ſi donatio in conjunctiſſimam perſonam collata fuerit, veluti in filium, vel nepotem, alioſque deſcendentes.

(1) *V. ſupra tit. XXI. de donationib. fin. XXVIII.*

(✠2) *Deciſ. 12. maii 1732. refer. D. Cavalli in cauſſa Galli contra neptem, §. Poſito rerum ſtatu, ubi de fideicommiſſo reciproco inter filios donatoris in donatione inſtituto, ad eorum deſcendentes perventuro.*

(3) *L. Peto 69. §. Fratre herede 3. ff. de legat. 2.* (31. 1.)

DEFINITIO IV.

Donator poſt donationem abſolutam nec modum, nec conditionem adjicere poteſt, quæ in diſpendium donatarii cedat; utique vero donationis ambigua verba explicare.

Poteſt utique donator quemcumque modum, aut quam malit conditionem adjicere liberalitati, quam in alterum confert (1); cum ex vulgari effato legem rei ſuæ, quam malit, unuſquiſque dicere poſſit (2): ſed, ea abſoluta, neque donationem revocare, neque modum, aut conditionem adjicere licet, quæ in diſpendium cedat donatarii, cui jus plene quæſitum eſt (3); niſi hic ſponte conſentiat; contractus enim ab initio quidem libere ineuntur, ſemel autem conſtitutæ obligationi renunciare, adverſario non conſentiente, nemo poteſt (4). Non tamen denegatur facultas explicandæ donationis, ſi qua forte ſit in verbis ambiguitas (✠5): immo modi quoque, & conditionis adjectio permittitur, quamvis matrimonii contemplatione donatum ſit; dummodo nec filio, nec nurui, neque filiis ex eo naſcituris damnum immineat (✠6); in hac enim ſpecie jus donatariis quæſitum neque aufertur, neque imminuitur.

(1) *L. penult. cod. de pact. int. emtor. & venditor.* (4. 54.)

(2) *L. Ob res donatas 20. §. 1. ff. de pact. dotalib.* (23. 4.)

(3) *L. Perfecta donatio 4. cod. hoc tit. de donat., quæ ſub modo* (8. 56.)

(4) *L. Sicut initio 5. cod. de obligat., & actionib.* (4. 10.)

(✠5) *Sentent. Senat. 9. decembris 1749. refer. D. Nomis in cauſſa utrinque Ranucci.*

(✠6) *D. L. 4. cod. hoc tit. in illis verbis* officere hoc nepotibus ejus fratris tui filiis, minime poſſe, non du-

bium eſt, *Deciſ. 24. martii 1734. ref. D. Caſſoti in cauſſa concurſ. Bertoni*, §. *His addebatur*, *poſt num. 60.*

DEFINITIO V.

Revocandæ donationis ſub modo celebratæ, modo non impleto, jus habet, qui expreſſe, vel tacite hanc legem donando dixit.

Revocandæ donationis jure prædium eſſe donatorem, qui pacto incontinenti adjecto ita ſibi proſpexerit, ut, modo non impleto, donatio reſolvatur (1) nemo eſt, qui inficietur; quia nemo prohibetur, legem, quam malit, rebus ſuis dicere (defin. præced.): ea que implenda eſt ab altero contrahente; niſi turpem, aut impoſſibilem cauſſam contineat (2). Nihil autem intereſt, utrum conditio hæc verbis expreſſis concepta ſit, an tacite ex mente contrahentium inſit (✠3): puta ſi donatio facta ſit titulo tranſactionis (✠4): taciti, ac expreſſi eadem plerumque vis eſt (5). Atque idem dicendum videtur, cum modus donationi adjectus ita certo tempori, vel rerum adjunctis connexus eſt, ut ſemel omiſſus amplius impleri nequeat (6), vel ſi modus in omittendo poſitus ſit (7); quod enim ſemel factum eſt, ex trito axiomate, infectum eſſe nequit (8). Neque aliud ferendum eſt judicium, cum donatarius pertinaciter detrectat legem donationis exequi (9); in hoc enim caſu obtinere debet Pauli ſententia, fidem frangenti, fidem non eſſe ſervandam (10). Si autem nec expreſſe, nec tacite convenerit de revocanda donatione ex cauſſa modi non adimpleti; atque poſſit adhuc donantis voluntati ſatisfieri, nec donatarius ſatisfacere detrectet, revocationi locus fieri non videtur, ſed tantum actio competit donatori, ejuſque heredibus, qua donatarium, implorato judicis officio, cogant, ut pactum donationi adjectum exequatur (11), venditionis exemplo (12).

(1) *L. Si, ut proponis 2. cod. de condict. ob cauſſ. dator.* (4. 6.)

(2) *L. Dictam legem 8. cod. eod. tit.*

(✠3) *Deciſ. 18. martii 1649. refer. D. Barberis in cauſſa Salvay, & Raymondi, in med., ubi de conditione donationi adjecta agi videtur.*

(✠4) *L. Qui fidem 16. ff. de tranſactionib.* (2. 15.), *Deciſ.* 4. *junii 1730. refer. D. Cavalli in cauſſa Carelli contra fratr. de Maſſena*, §. *Conſideravit Senatus.*

(5) *L. Cum quid mutuum 3. ff. de reb. credit.* (12. 1.)

(6) *L. Si Cum exiguum 4. cod. de condict. ob cauſſ. dator.*

(7) *L. Ea lege 3. cod. eod. tit.*

(8) *L. In bello 12. §. Facti 2. ff. de captiv., & poſtlimin. reverſis* (49. 15.), *L. Verum eſt 31. ff. de reg. jur.*

(9) *D. L. 8. cod. de condict. ob cauſſ. dator.*

(10) *D. L. Qui fidem 16. ff. de tranſ.*

(11) *Perez. in cod. lib. 8. tit. 55. num.* 4.

(12) *L. Ea conditione 14. cod. de reſcind. vendit.* (4. 44.)

DEFINITIO VI.

Donatarius, modo etiam non impleto, ex quo donatio revocatur, poteſt ex donantis voluntate manere in rerum donatarum poſſeſſione.

Quamvis ex ſpeciali pacto ſive expreſſo, ſive tacito donationis vis pendeat a modo; ita ut, eo non impleto, revocandi facultas competat, immo ipſo jure reſoluta donatio videatur; ſi tamen ex conjecturis appareat, donantem noluiſſe uti jure ſuo, donatio firma manet, nec heredis donatoris a donatario moleſtiam inferre (1); poteſt enim quiſque juri ſuo renunciare (2). Conjecturæ autem deſumi

poſſunt ex eo, quod donatarius, donatore ſciente, & patiente, ſemper perſeveraverit in poſſeſſione rerum donatarum; quod pater, qui filio donavit, eundem quamvis benemeritum, in ſuo teſtamento inæqualiter inſtituerit, & maxima inæqualitate, ſi bona donata ab eo auferrentur: maxime ſi ex parte in teſtamento relicta, teſtator declaraverit, quandam ſummam detrahendam eſſe, nulla tamen facta rerum donatarum mentione (✠3).

(1) *L. ult. cod. de revocand. donation.* (8. 56.)

(2) *L. penult. cod. de pactis* (2. 3.)

(✠3) *Decif. 12. aprilis 1669. refer. D. Garetti in cauſſa fratr. de Bertrandis, §. Conjecturæ vero, prope fin. decif., ubi agebatur de donatione filio a patre facta ad ſuſcipiendos ſacros ordines, filius autem uxorem duxerat, vivente patre.*

TITULUS XXVI.

De jure dotium. Quid, & quotuplex ſit dos: qui dotem dare teneantur.

DEFINITIO I.

Rerum, quæ in dotem æſtimatæ datæ ſint, dominium plerumque in maritum transfertur. Quid ſi res extent, & maritus ſolvendo non ſit?

Rerum, quæ æſtimatæ in dotem traditæ ſint, dominium plerumque in virum transfertur; æſtimatio enim efficit, ut venditio celebrata videatur (✠1): niſi appareat æſtimationem alio conſilio peractam fuiſſe; veluti ſi convenerit, ut eædem res, quantumvis æſtimatæ, ſoluto matrimonio, reſtituantur; vel ſaltem, ut mulieris ſit electio, utrum res, an pretium repetere velit (✠2): ſed, quamvis æſtimatio venditioni æquiparetur, ſi tamen maritus ſolvendo non ſit, & res extent, earum vindicatio mulieri permittitur (✠3); ne alioquin mulier fiat indotata (4).

(✠1) *L. Plerumque intereſt 10. §. Si ante matrimonium 4., & §. ſeq. 5., L. Rem æſtimatam 14, & ſeq. ff. hoc tit. de jure dot.* (23. 3.), *Decif. 11. ſeptembris 1650. refer. D. Patarini in cauſſa Regis contra univerſitatem loci Sanctæ Margaritæ, per tot.*

(✠2) *D. L. 10. §. ult., L. Cum poſt divortium 69. §. Cum res in dotem 7. ff. hoc tit. de jure dot., Decif. 17. auguſti 1661. refer. D. Leone in cauſſa Jordanæ contra Marchion. Cevæ, §. His tamen non obſtantibus.*

(✠3) *L. In rebus dotalibus 30. cod. hoc tit. de jure dot.* (5. 12.), *Quare traditur in d. Decif. refer. D. Patarini, fundum datum æſtimatum alienari non poſſe, ſi maritus aliud non habeat, quo mulieri cautum ſit.*

(4) *L. 1. ff. ſolut. matrim.* (24. 3.)

DEFINITIO II.

An pater dotem filiæ vere, & actu diviti dare teneatur?

Filiæ, quæ inops ſit, dotem a patre congruam dandam eſſe, apud omnes conſtat; apertiſſima ſunt legum verba (1), quibus ſuffragatur naturalis pietas parentum in liberos (2). Sed acriter diſputatur, utrum idem onus immineat patri dandi dotem filiæ, quæ vere, & actu dives ſit: negant aliqui, ſed alii paſſim affirmant, atque affirmantium ſententiam non ſemel amplexus eſt Senatus Pedemontanus (✠3); tamquam æquitati, & paternæ pietati magis conſentaneam, nec a Romano jure alienam; dos enim a patre datur, ut paternæ pietatis officium erga filiam impleat (4); hujuſmodi vero officium æquale eſſe debet

Digitized by Google

pro filia divite, ac pro inope; quippe quod deſcendit tum ex naturali parentum in liberos charitate, quæ æqualis eſt in omnibus, tum ex arctiſſima parentes inter, & liberos conjunctione, quæ nec inopia augetur, nec divitiis filiorum minuitur; atque Juſtinianus nullum agnoſcit diſcrimen inter locupletes, & inopes filias; ſed indiſtincte tradit, paternum eſſe officium, dotem pro ſua dare progenie (5); generalis quoque eſt Celſi ſententia (6); quibus conſonat Papinianus, ex qua incerta pollicitatio dotis genero facta a ſocero vim habet: quia certitudo facile haberi poteſt, pro modo facultatum patris, & inſpecta dignitate mariti (7). Addi poteſt legitimæ exemplum, quæ filiæ diviti juxta Romanas leges æque debetur, ac inopi, prout omnes fatentur; quia naturalis ratio, quaſi tacita quædam lex, liberis parentum hereditatem addicit, ut ſcite ait Paulus (8). Cum ergo dos ad legitimam accedat; prout ex eo patet, quod dos ipſa in legitimam imputatur (9); atque naturalem æque præſtationem habet (10), ac legitima, nulla apparet ſufficiens ratio, cur filiæ locupleti ſit deneganda dos.

(1) *L. Capite 19 ff. de ritu nuptiar.* (23. 2)., *L. ult. cod. de dot. promiſſion.* (5. 11).

(2) *L. Cum ratio naturalis 7 ff. de bon. damnator.* (48. 20).

(✠3) *Sent. Senat. 3 junii 1740 refer. D. Celebrino in cauſſa utr. Annæ, qua Senatus cenſuit, ſorori conſanguineæ dandam eſſe dotem ex bonis patris, quamvis ex dote materna, quam ſola conſecuta fuerat, ll. 4000 haberet Deciſ. 14 ſeptembris 1713 refer. D. Beltramo in cauſſa Marchioniſſæ Birago Abeccleſia contra Marchion. Abeccleſia de Rodo, §. De tribus igitur, Deciſ. 3 decembris 1643 refer. D. Filippa in cauſſa Jugal. de Pelle contra Malianum, §. Quo vero ad dotem.*

(4) *D. L. ult. cod de dot. promiſ.*

(5) *D. L. ult. cod. de dot. promiſ.*

(6) *L. Dotem 6 ff. de collation.* (37.6).

(7) *L. Cum poſt divortium 69, §. Gener a ſocero 4 ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3).

(8) *D. L. 7 ff. de bonis damnator.* (48. 20).

(9) *L. Quoniam novella 29. cod. de inoffic. teſtam.* (3. 28).

(10) *L. Eas obligationes* 8. *ff. de capit. minut.* (4. 5).

DEFINITIO III.

Filiæ emancipatæ dotem dare debet pater æque ac filiæ in poteſtate retentæ.

Emancipatæ filiæ eadem in hac re conditio eſt, ac in poteſtate retentæ; ſeu dotem pater dare tenetur filiæ licet emancipatæ (✠1); paternæ pietatis officium, quod dotis tribuendæ neceſſitatem inducit (defin. præced.), æque viget in filia emancipata, ac in ea, quæ in poteſtate retenta ſit; atque ideo Juſtinianus de liberis ſuis, & emancipatis ſimul agens (2), generaliter, & indiſtincte ſubjicit, incognitas non eſſe leges, quibus cavetur, paternum eſſe officium, dotem, vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie (3). Addi poteſt argumentum a legitima deſumptum cui dos æquiparatur (defin. præced.) legitima enim non tantum liberis in poteſtate conſtitutis, ſed emancipatis quoque debetur (4); prout ut fatentur omnes. Neque movet, ſanctionem legis Juliæ, nec non Severi, & Antonini de liberis tantum in poteſtate conſtitutis conceptam eſſe (5); tum quia non ex ſola lege Julia, vel edicto Imperatorum dotandi neceſſitatem probamus, ſed ex aliis quoque juris textibus, ex Juſtiniano (6), & Celſo (7), & potiſſimum ex naturali æquitate, quæ ſuadet, ut pater omnibus filiabus ſuis dotem tribuat, quo nubere poſſint; ne alioquin graviſſima ſequantur mala in familiæ dedecus, & totius reipublicæ diſpendium (8); tum quia, ut vulgatum fert axioma, incluſio unius

Digitized by Google

non eſt excluſio alterius; adeoque, etiamſi lex Julia, & Imperatores tantum commemorent filias in poteſtate conſtitutas, non tamen emancipatas excludunt; ſed quod huic legi deeſt, ex aliis ſuppleri convenit, quæ generaliter, & indiſtincte loquuntur (9); imo de emancipatis ſpecialem mentionem habent (10).

(✠1) *D. Deciſ. (defin. præced.) 1 ſeptembris 1713 Refer. D. Beltramo, & d. §. , Voet. in pandect. hoc tit. num. 12*

(2) *D. L. ult. in princip. cod. de dot. promiſſion.* (5. 11).

(3) *D. L. ult. in fin.*

(4) *§. ult. inſtit. de exheredat liberor.* (2. 13), *L. Quemadmodum 7 ff. de inoſ. teſtam.* (5. 2).

(5) *Capite trigeſimo quinto legis Juliæ, qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxorem, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt., D. L. 19 ff. de ritu nuptiar.* (23. 2).

(6) *In d. L. ult. cod. de dot. promiſ.*

(7) *In d. L. Dotem 6 ff. de collation.* (37. 6).

(8) *L. 1 ff. ſolut. matrimon.* (24. 3).

(9) *D. L. 6 ff. de collat.*

(10) *D. L. ult. cod de dot. promiſſion.*

DEFINITIO IV.

Avus paternus, ſi pater defunctus ſit, aut inops, dotem nepti dare tenetur.

Si pater vita functus, aut inops ſit, onus dotandi incumbit avo paterno (✠1); atque ita de avo, qui orthodoxam religionem non profiteatur, conſtituit Juſtinianus, ut & nepti orthodoxæ dotem dare debeat, atque nepotibus donationem propter nuptias (2). Præterquamquod liberorum nomine, quoties de eorum commodo agitur, non tantum filii primi gradus, ſed nepotes quoque juſta interpretatione continentur (3).

(✠1) *L. Dotem 6 ff. de collation.* (37. 6). *D. Deciſ. 1 ſeptembris 1713 refer. D. Beltramo in cauſſa Marchioniſſæ Birago Abecleſia contra Marchion. de Rodo, §. Quia igitur.*

(2) *L. Cognovimus 19 § 1 cod. de hæretic., & Maniehæis* (1. 5).

(3) *L. Liberorum 120 ff. de verbor. ſignificat., L. Cognoſcere 36 §. 1 in fin. ff. eod. tit.*

DEFINITIO V.

Avus paternus, nonniſi in ſubſidium patris dotem nepti debet.

Quamquam non una eſt omnium opinio in ea quæſtione, utrum avus ex propria perſona, & proprio officio, an ex perſona patris dotem nepti dare debeat, vulgo tamen recepta, atque apud nos probata ſententia eorum eſt, qui nonniſi in ſubſidium, ſeu in eo caſu, quo pater dotem dare filiæ nequeat, dotem ab avo dandam eſſe defendunt (✠1); quippequæ tum juris auctoritate nititur, tum ratione; auctoritate quidem juris; nam Celſus officium avi erga neptem, ut ei dotem conſtituat, ex patris officio repetit, ita ut dos ab avo data, ab ipſo patre profecta videatur (2), atque ad patrem, ſoluto matrimonio, per filiæ, ſeu nepotis mortem, reverti debeat (3): quod in ipſo quoque filio exheredato ex æquitate admittit, ſeu ut ex bonis paternis habere intelligatur, quod propter ipſum datum eſt (4). Si ergo dotem ab avo nepti traditam pater ipſe dediſſe cenſetur, etiam quoad civiles profectitiæ dotis effectus (5), conſequens eſt, nonniſi in patris ſubſidium dotandæ neptis onus avo incumbere.

(✠1) *D. Deciſ. 1 ſeptembris 1713. refer. D. Beltramo in cauſſa Marchioniſſæ Birago Abecleſia contra March. de Rodo §. Receptior tamen opinio, Deluca de dote diſcurſ. 142 num. 3.*

(2) *L. Dotem 6 ff. de collation.* (37. 6).

(3) *D. L. 6 in princip.*

(4) *D. L. 6. in fin.*

(5) *L. Jure ſuccurſum 6 ff. h. tit.* (23. 3)

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

Dotem nepti in patris ſubſidium dare tenetur avus, quamvis ſui juris per emancipationem neptis ſacta ſit.

Nihil porro intereſt, quoad avi onus dotandæ neptis, an hæc ſub avi poteſtate conſtituta ſit, an vinculo avitæ poteſtatis ſoluta; ſicut enim in patre officium paternæ pietatis attenditur (defin. III), quod emancipatio non aufert, utpotequæ civilia quidem jura corrumpere poteſt, non autem naturalia (1), ita eedem ratio efficere debet, ut avo dotandæ neptis incumbat onus, quamvis, patre emancipato, ea ſui juris ſit, vel ſub patris ſui poteſtate conſtituta (✠2).

(1) *L. Eas obligationes* 8 *ff. de capit. minut.* (4. 5).

(2✠) *D. Deciſ.* 1 *ſeptembris* 1713. *refer. D. Beltramo* (*defin. præced.*) §. *Verum diſtincti*, & §. *Sed redeundo*. *V. quæ diximus ſupra definit. III.*

DEFINITIO VII.

Mater dotem in ſubſidium patris dare debet filiæ: poteſt autem, licet dives ſit pater, dotem filiæ dare etiam ex bonis ſuis dotalibus.

Mater quoque, ſi pater inops ſit, ad dotem filiabus dandam teneri, fatentur omnes; quemadmodum de alimentis alibi tradidimus (1). Cum vero pater ſolvendæ doti idoneus eſt, non quidem tenetur mater ad dotem conſtituendam, præterquamſi hæreſi infecta ſit mater, orthodoxa autem filia (2); ſed ſi ſponte velit, poteſt non tantum de paraphernis, ſeu extradotalibus bonis dotem filiæ dare, cum de his pro arbitrio diſponat (✠3), ſed etiam de propria dote (✠4), quæ tamen nonniſi ipſa defuncta ſolvi debet, quin ullæ interim uſuræ præſtentur: neque quartam maternæ dotis partem excedat, ſi quatuor, aut pauciores ſint filiæ, tertiam vero ſi plures (5). Neque ulla ſolemnitas ex iis, quæ generatim præſcribuntur in donationibus, quæ fiunt a perſonis imbecillis conſilii (6), obſervandæ ſunt, ſingulari contrahendi matrimonii favore (7.)

(1) *V. Juriſprud. tom.* 1 §. 539, & *ſeq. pag.* 88.

(2) *L. Cognovimus* 19 §. 1 *cod. de hæretic.*, & *manichæis* (1. 5).

(✠3) *L. Si donare* 12, *L. ult. cod. ad Senat. conſult. Vellejan.* (4. 29.), *L. promittendo* 4 *ff. hoc tit. de jur. dot.* (23 3) *Deciſ.* 28 *martii* 1731 *refer. D. Bianchis in cauſſa concurſ. Beltrami*, §. *Secundæ quoque dubitanonis*, *Deciſ.* 5 *decembris* 1674 *refer. D. Beraudi in cauſſa com. Zublena contra Marchion. Bentium*, §. *Neque obſtant*, & *ſeqq.*

(✠4) *Theſaur. lib.* 4 *quæſt.* 80 *num. ult.* ✠, *Deciſ.* 26 *februar.* 1673 *refer. D. Viliono in cauſſa Jugal. de Loehis contra Bergas in princip.*, *Deciſ.* 23 *novembris* 1648 *refer. D. Barberis in cauſſa Parachiæ contra Muſſam*, *Deciſ.* 13 *ſeptembris* 1683 *refer. D. Torrini in cauſſa Conc. Alpæ* §. *Principaliter*, *Deciſ.* 19 *ſeptembris* 1650 *refer. D. Beccaria in cauſſa Maynæ contra Maynam* §. *Et domini communi voto.*

(5) *Reg. conſtit. lib.* 5 *tit.* 11 §. 12.

(6) *Reg. conſtit. lib.* 5 *tit.* 14 §. 14.

(7) *Reg. conſtit. d. lib.* 5 *tit.* 11 §. 12.

DEFINITIO VIII.

Quid obtineat in hac re ex juris Romani praſcripto? Quid ſi mulier pro extranea dotis nomine bona ſua dotalia conferre velit?

Si autem quæſtio hæc ad Romanas leges exigatur, poteſt quidem tum mater (1), tum quælibet alia mulier, non tantum pro altero dotem promittente ſe obligare, ſed & ipſa dotem conſtituere (2), quin ab obligatione ſemel ſuſcepta

ſe eximere poſſit, Vellejani auxilium implorando, cujus auctoritas, ut ait Juſtinianus, in hac cauſſa ceſſat (3) ſingulari contrahendi matrimonii favore, & mariti utilitate ſuadente, qui alioquin non fuiſſet matrimonium contracturus (✠4); dummodo non remaneat indotata, nec ultra dimidium dotis lædatur (5): ſi qua tamen ſolemnitas municipali jure in alienationibus bonorum, quæ ad mulieres pertinent, ſtatuta ſit, ea profecto ſervanda eſſet, niſi nominatim quoque addatur exceptio. Proinde, cum jure noſtro generatim remittantur ſolemnitates, quoties de dote, vel argumento dotali agitur (✠6), conſequens eſt, neque præſcriptas ſolemnitates adhibendas eſſe, ſi mulier pro extranea dotem conſtituit, ſive bona ipſa dotalia ex hac cauſſa alienare velit (7); ſive alterius generis bona donationis titulo in puellam nuptui tradendam conferre (✠8); quemadmodum jam animadvertimus (9).

(1) *L. Si dotare 12 cod. ad Senat. conſult. Vellejan.* (4. 29).

(2) *Promittendo dotem omnes obligantur, cujuſcumque ſexus, conditioniſque ſint. L. Promittendo 41 ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3).

(3) *L. ult. cod. ad Senat. conſult. Vellejan.*

(✠4) *D. L. ult., Fab. cod. ad Senatus conſult. Vellejan. lib. 4 tit. 21 defin. 14 Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 4 quæſt. 80 num. 5, Deciſ. 14 junii 1677 refer. D. Raſini in cauſſa jugal. de Agandis contra Audinam, Decif. 13 ſeptembris 1683. refe. D. Torrini in cauſſa conc. Aipæ contra P.P. Sancti Philippi, §. Unde principaliter, & ſequent., Decif. 20 martii 1730. refer. D. Sclarandi inter fratr. Motinos contra Annam Catharinam a Sancta Cruce per tot.*

(5) *Theſaur. Decif. 225 num. 13* ✠.

(✠6) *Decif. 17 jun. 1734 ref. D. Grondana in cauſſ. Com. Graſſi C. de Bruna, Grua, & Fauſonum, §. Quod Iſabellam, poſt num. 3, Reg. conſt. D. lib. 5 tit. 11 §. 12.*

(7) *Reg. conſtit. lib. 5 tit. 14 §. ult.*

(✠8) *Reg. conſtit. d. lib. 5. tit. 14. §. ult., Senten. Senat. 28 februarii 1749 refer. D. Boggio in cauſſa Zabulo contra Butini, ubi de materteta promittente agebatur, atque reus excipiebat, neptem ex paternis, & maternis bonis dotem habere.*

(9) *V. ſupra tit. XXI de donationib. definit. VI.*

DEFINITIO IX.

Avus paternus primo loco præ matre dotem nepti dare tenetur.

In ea quæſtione, utrum avo paterno, qui in patris ſubſidium dotem nepti dare tenetur (defin. IV), primo loco dotandæ neptis onus incumbat, an vero matri, quæ ſubſidiaria quoque actione, patre deficiente, conveniri poteſt (defin. VII.), non una eſt omnium opinio. Quidam avo favendum putant, alii potius matri: atque poſterior ſententia magis placuit Senatui, quæ etiam receptior eſt; videlicet avum præ matre ad dotem teneri, eaque tantum deficiente, matrem (✠1), prout etiam in alimentis ſervatur (2); quamvis enim magis conjuncta filio ſit mater, quam avus, tamen præcipuum eſt avi officium, utpote qui totius familiæ caput eſt, in eo, quod pertinet ad vitæ ſubſidia liberis præſtanda (3).

(✠1) *Argum. L. dotem 6 ff. de collation.* (37. 6), *junct. L. Neque mater 14 cod. hoc tit. de jur. dot.* (5. 16) *D. Decif. 14. ſeptembris 1713. refer. D. Beltrami in cauſ. Marchioniſſæ Birago Abeccleſia cont. Marchion. de Rodo, §. Receptior tamen opinio, Decif. 24 janu. 1700 refer. D. Marelli in cauſſa fratr. de Nigri contra Jugales de Moretta, & de Mareonis, §. Unde applicando num. 64.*

(2) *V. lib. 1 tit. VI de alend. liber., ac parentib. defin. XVI.*

(3) *D. defin. XVI.*

Digitized by Google

DEFINITIO X.

Dos puellæ nupturæ congrua dari debet, nec non corredum. Quæ dos congrua exiſtimetur?

Cum dos præſtari debeat, ut filia virum inveniat, cui nubere poſſit (1), nubere, inquam, honeſte, & juxta ſuam conditionem, conſequens eſt, patrem, alioſque munere ſuo rite functos non cenſeri, niſi congruam dotem nupturis mulieribus tradant (2): immo & mundum muliebrem, quem pragmatici fardellum, & corredum vocant; ita ut etiam non promiſſum ſtatui debeat boni viri, vel judicis arbitrio, inſpecta dotis quantitate. & qualitate perſonarum, ut ad decimam dotis partem fere accedat, niſi egregia ſit dos, quo caſu minor æſtimatur mundi muliebris quantitas (3). Dotis vero modum ex facultatibus, & dignitate mulieris, atque mariti ſtatuendum, quantum fieri poteſt, unanimes tradunt Jureconſulti (4), ſeu inſpectis facultatibus, & conditione patris, tum etiam conditione mariti (5); ita tamen, ut etiam ratio habeatur liberorum, quos pater ſuperſtites habet (✠6), ut ſingulorum neceſſitatibus conſuli poſſit. Quibus addi debet conſuetudo aliarum mulierum tum in regione, tum in eadem familia (7).

(1) *L. ult. §. 1. in fin. ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8.)

(2) *L. Cum poſt divortium 69. §. Gener. ſocero 4, & ſeqq. ff. hoc tit. de jure dot.* (23.3.) *Theſaur. deciſ.* 192. *num.* 2. *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 7. §. 6.

(3) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 3. *quæſt.* 62. *per tot.*

(4) *L. Quæro 60. ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3.)

(5) *L. Cum poſt divortium 69. §. Gener a ſocero 4, & ſeqq. ff. hoc tit.*

(✠6) *L. Si filiæ 43. ff. de legat.* 3, *Deciſ.* 28. *januar.* 1673. *refer. D. Leone in cauſſa de Sicardis contra Comites Urſinos, §. Verum eum, in fin.*

(7) *Theſaur. deciſ.* 192. *num.* 1.

DEFINITIO XI.

An dos legitimæ æqualis, vel fere æqualis eſſe debeat?

Quoties de quantitate dotis filiabus a ſucceſſione inteſtata ſtatuto excluſis (1) danda diſceptatur, regulæ generalis inſtar ſtatui poteſt, legitimæ fere æqualem eſſe debere (✠2); cum enim legitima naturali jure debita reputetur, quatenus alimentorum loco eſt; atque ſuadet naturalis ratio, ut pater, qui filios genuit, iiſdem ex bonis ſuis partem aliquam tradat, qua vitam ſuſtentare poſſint, quo fit, ut quaſi non ſanæ mentis videatur pater, qui minus legitima portione filiis relinquit (3), ſtatuta, quæ filias congruenter dotatas, vel etiam ſimpliciter, quæ dotem acceperint, excludunt a ſucceſſione, ita interpretanda ſunt, ut naturali huic æquitati conſentiant, quantum fieri poteſt: niſi expreſſis verbis aliud cautum ſit. Legitima fere æqualem dotem dandam eſſe diximus, non tamen per omnia par deſideratur; cum filiæ a ſucceſſione excluſæ etiam ab ipſa legitima excluſæ judicentur, ſaltem ſi, dote conſtituta, excludantur (4); id unum ergo ſignificamus, dotis quantitatem ex legitimæ comparatione æſtimandam eſſe, ne ab ea nimium recedat, ſimul habita ratione conditionis puellæ, & ſponſi: illis tamen non aſſentimur, qui putant, filiam, quæ a patre modicam dotem habuit, agere non poſſe ad dotem congruam, niſi enormiſſime læſa proponatur (5); cum enormis læſionis, quæ dolo fere æquiparatur, rationem habendam eſſe inter perſonas arctiſſima neceſſitudine conjunctas, æquitas ipſa naturalis demonſtret, ne alioquin impietatis arguatur pater (6). Severius utique aliquantulum agi poſſe

Digitized by Google

videtur adverſus filiam, quæ nuptias jam inierit juxta conditionem ſuam (7); cum enim dos dari debeat, ut mulier virum invenire poſſit, cui honeſte nubat (8); quia plerumque matrimonia ſine dote non contrahuntur; neque honeſte contrahuntur, niſi mulier congruam dotem viro tradat, cujus ope graviſſima matrimonii onera facilius ſuſtinere poſſit (9), juſtam æque conquerendi cauſſam habere non videtur filia, quæ viro juxta conditionem ſuam nupſit: atque ideo apud nos congrua intelligitur dos, cujus ope mulier honeſte nupſerit (10); quia tamen mariti facultates inopinatis caſibus imminui poſſunt, ut proinde amplior dos neceſſaria ſit, tum mulieri ipſi, tum familiæ; immo, ſoluto per prioris viri mortem matrimonio, non ita facile mulier alium virum inveniet, cui honeſte nubat, ſi exiguam habeat dotem, præciſa lege municipali, quæ ita expreſſe ſtatuat, vix eſt, ut congrua dos per ſe exiſtimari debeat illa, ex qua honeſte in matrimonium collocata eſt mulier, cum reipublicæ interſit, congrue dotatas eſſe feminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem (11).

(1) *Plura ſunt hujuſmodi ſtatuta potiſſimum in Italia, atque ita etiam apud nos jure regio cautum eſt. Reg. conſtit. lib.* 5 *tit.* 7 §. 1, *& ſeqq.*

(✠2) *Fab. cod. de inofficioſ. teſtam. lib.* 3 *tit.* 19 *def.* 17 *num.* 4 *in allegationib., & defin.* 20 *num.* 11, *Deciſ.* 16 *februarii* 1760 *refer. D. Scala in cauſſa utr. Angellino in fin.*

(3) *L. Hoc colore* 2., *L. Non eſt enim* 4 *ff. de inoffic. teſtam.* (5. 2).

(4) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 2 *quæſt.* 68 *num.* 1. ✠ *Vide ſupra lib.* 1. *tit.* 11 *de ſtatut. definit. XL, Reg. conſtit. lib.* 5 *tit.* 7 §. 1, & 2.

(5) *Theſaur. deciſ.* 192 *num.* 2 *in fine.*

(6) *Fab. cod. de inoffic. teſtament. lib.* 3 *tit.* 19 *defin.* 18 *in fin.*

(7) *Theſaur. d. Deciſ.* 192. *num.* 2. *in fin.*

(8) *L. ult.* §. 1 *ff. quæ in fraud. creditor.* (42. 8).

(9) *L. Dotis fructum* 7 *ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3).

(10) *Reg. conſtitut. lib.* 5 *tit.* 7. §. 6. *in fin.*

(11) *L.* 1 *ff. ſolut. matrimon.* (24. 3).

DEFINITIO XII.

Quæ fuerint diverſis temporibus latæ apud nos de dote congrua leges?

Quod pertinet ad jus filiabus competens congruæ dotis, jus municipale Romano non omnino conſentit, ſed nec penitus diſſentit: nec idem omnino diverſis temporibus placuit; ſed quædam, mutatis rerum adjunctis, mutare placuit. Si quæſtio hæc ex poſtremis Regiis ſanctionibus (1) dijudicanda ſit, vel iis etiam, quæ proxime latæ fuerunt (2); quippequæ invicem conſentiunt (3), mulier, quæ honeſte nupſit, neque ad congruam dotem agere poteſt, neque ad legitimam, ejuſve ſupplementum, ſub cujuſcumque læſionis ſpecie; cum in omni caſu congrua pro mulieribus nuptis ea decernatur habenda dos, cujus ope honeſto matrimonio juncta fuerit (4): aliunde vero mulier congrue dotata ab omni ſucceſſione, legitima, ejuſque ſupplemento excludatur (5). Verum, quia priores Regiæ ſanctiones (6), quæ primum hiſce quæſtionibus de dote filiabus danda, atque jure ſucceſſionis filiabus competente ſingularia quædam jura induxerunt, neque cum mediis (7), neque cum noviſſimis (8) omnino conſentiunt, tum in eo, quod ad dotes ſpectat, tum in ſucceſſionis materia, atque incidere poſſunt controverſiæ, quæ ex veteribus legibus dirimi debeant; tum de dote congrua, tum de ſucceſſione inteſtata, vel ſaltem legitima, ejuſque ſupplemento; idcirco

Digitized by Google

tria diſtingui debent tempora: quorum primum antiquiores (9), Regias ſanctiones præceſſit: alterum ab his incipit, & deſinit ad poſteriores (10): tertii vero initium eſt a poſterioribus, & deinceps; cum, ut modo diximus, noviſſimæ municipales leges a mediis in hoc argumento non differant. Ergo, ſi de dote congrua filiarum quæratur, inſpecto tempore, quod antiquiores Regias ſanctiones præceſſit, diſtingui debet, utrum pater, qui dotem conſtituit, mortuus quoque ſit antequam illæ publice ederentur; an dos quidem tradita fuerit, iis nondum editis, ſed pater deceſſerit poſtquam vigere jam cœperunt. In prima ſpecie ad juris Romani normam tota hæc quæſtio dirimenda eſt; cum nihil præter illud adhuc conſtitutum eſſet (✠11): præterquam in iis locis, in quibus peculiaria ſtatuta aliud decernebant (12). Quod ſi dos quidem tradita filiæ fuerit ante id tempus, pater vero vita functus ſit, poſtquam priores ſanctiones prodierant, cum quæſtiones de dotis congruitate, & filiarum renunciationibus, nondum tranſactæ, aut deciſæ ex ipſarum ſanctione dirimi debeant (13), quo dos congrua reputatur ea, ex qua honeſte nupſit filia, niſi tamen pactis dotalibus conventum ſit, ut dos ad dotantem redeat: pacto autem adjecto, ut dos ad patrem revertatur, reſtituitur filia adverſus renunciationem, ſi læſio intervenerit enormiſſima, ſeu ultra beſſem legitimæ, quæ filiæ danda fuiſſet eo tempore, quo dotem habuit (14), res eſt extra difficultatem: nec filia amplius petere poteſt, niſi pater juri ſuitatis eam reſtituerit, prout poteſt (✠15).

(1) *Reg. Conſtit. Latis anno* 1770. *d. lib.* 5. *tit.* 7. §. 1.

(2) *Videlicet anno* 1729.

(3) *V. d. lib.* 5. *tit.* 7. §. 1. *Reg. conſtit. anni* 1770., *& lib.* 5. *tit.* 14 §. *Reg. conſtit. anni* 1729.

(4) *Reg. conſtit. anno* 1770. *lib.* 5. *tit.* 7. §. 6, *Reg. conſtit. anni* 1729. *lib.* 5. *tit.* 7. §. 3.

(5) *Reg. conſtit. anno* 1770. *ibid.* §. 1, *& Reg. conſtit. ann.* 1729. *lib.* 5. *tit.* 14. §. 1.

(6) *Quæ prodierunt anno* 1723.

(7) *Videlicet anno* 1729.

(8) *Latis anno* 1770.

(9) *Ann.* 1723.

(10) *Latas anno* 1729.

(✠11) *Reg. conſtit. lib.* 3. *tit.* 22. §. 15., *Deciſ.* 8. *maii* 1751. *refer. D. Capra in cauſſa utrinq. de Borgarellis*, §. *Primum tempus*, *V. & Sentent. Senat.* 11. *junii* 1737. *refer. D. Mazzetti in cauſſa Notæ, & Prælæ, ubi primum Senatus tria tempora diſtinxit*, *Deciſ.* 15. *ſeptembris* 1732. *refer. D. Provana in cauſſa utrinq. de Obertis per tot.*

(12) *Reg. conſtit. d.* §. 15.

(13) *Reg. conſtit. ann.* 1723. *lib.* 5. *tit.* 13. §. 7. *ibi*: Volendo, che le diſpoſizioni compreſe in queſto titolo abbiano luogo anche per quelle proteſte, e rinuncie antecedentemente fatte, che non foſſero ſtate ſin quì tranſatte, o deciſe.

(14) *D. Reg. conſtit. anni* 1723. *lib.* 5. *tit.* 13. §. 2(*ubi ſic.* Nella congruità della dote ſi avrà conſiderazione a' patti della reſtituzione: ſe ſi ſtipuli reſtituirſi al padre, ſi farà luogo alla reſtituzione in intero contro le rinuncie, ſe la leſione eccederà i due terzi della legittima, che ſi ſarebbe dovuta alla rinunciante al tempo della dotazione; quando poi le doti non ſieno reverſibili al dotante, ſaranno ſempre ſtimate ſufficienti, ſe ſieno ſtate congrue a ricapitare oneſtamente la figlia.

(✠15) *Ab inteſtata enim ſucceſſione, non a teſtamentaria excluditur*, *d. Deciſ.* 8. *maii* 1751. *refer. D. Capra in cauſſa utrinq. de Borgarellis*, §. *Sane, niſi edoceas*, *Deciſ.* 31. *auguſt.* 1733. *refer. D. Nomis in cauſſa March. a Puteo contra Marchioniſſam d'Aix*, §. *Verumtamen Senatus*.

Digitized by Google

DEFINITIO XIII.

An filia, quæ læſa in dote reſtitui poteſt, jus habeat petendæ legitimæ?

Melior eſt filiæ conditio, ſi pater fato ceſſerit, poſtquam novæ leges in lucem prodierunt (1); ipſa vero dotem habuerit, neque novis, nec antiquis legibus adhuc latis; cum enim novæ ſanctiones clauſulam non contineant, ex qua ad res ante geſtas extendantur (2), prout veteribus cavebatur (Defin. præced.), conſequens eſt, filiam, tametſi honeſte nuptam, læſam tamen reſtitui, ut dotem congruam accipiat pro perſonarum, locorum, temporum varietate, & paternarum facultatum viribus (3). Hinc tamen inferri nequit, filiæ legitimam, vel ejus ſupplementum deberi in propoſita ſpecie, qua pater dotem conſtituerit ante priores, & poſteriores Regias ſanctiones, defunctus vero ſit, poſterioribus jam vigentibus; quippe cum iſtarum vi filiæ congruenter dotatæ ab omni ſucceſſione, legitima, ejuſque ſupplemento excludantur (4), in ſucceſſionibus autem tempus inſpiciatur, quo eædem deferuntur, conſequenter nullum jus filiæ competit ad patris hereditatem (✠5).

(1) *Videlicet, quæ latæ fuerunt ann.* 1729.

(2) *Reg. conſtit. ann.* 1729. *lib.* 5. *t.* 14. §. 1., *& ſeqq.*

(3) *Videlicet juxta Romanarum legum ſententiam, de qua in L. Quæro* 60, *L. Cum poſt divortium* 69. §. *Gener a ſocero* 4. *ff. de jur. dot.* (23. 3.)

(4) *Reg. conſtit. ann.* 1729. *lib.* 5. *tit.* 14. §. 1.

(✠5) §. 1. *inſtit. de heredib. inſtit.* (2.14), §. *Cum autem* 7., *& ſeqq. inſtit. de hered., quæ ab inteſtat. deferunt.* (3. 1.), *proinde non obſtat d. Deciſ.* 15. *ſeptembr.* 1732. *refer. D. Provana in cauſſa utrinq. de Obertis, quia ibi dos conſtituta erat anno* 1692, *&* 1695, *pater vero deceſſerat anno* 1722, *ut colligi poteſt ex eo, quod ſorores litem cœperant anno* 1721., *tum deſeruerant, deinde anno* 1730. *reſtauraverunt.*

DEFINITIO XIV.

Quid interſit, utrum dos ante priores municipales leges conſtituta fuerit, an poſtea?

Si ergo dos conſtituta fuerit ante veteres Regias ſanctiones, vel poſt eas, & pater eodem tempore, nondum editis poſterioribus, deceſſerit, diſtingui debet, utrum dotalibus tabulis conventum ſit, ut dos ad patrem redeat, nec ne: in priore caſu filia ad legitimæ ſupplementum agere poteſt, non item in poſteriore: neque etiam ad dotem congruam, ſi probum, & ſuæ conditioni convenientem maritum nacta fuerit (✠1), prout jam innuimus (Defin. XII.), damno, quod per excluſionem ſentit, compenſato per lucrum dotis. Quod ſi dos conſtituta fuerit, cum priores (2) Regiæ leges vigerent, mortuus vero ſit pater jam editis poſterioribus, adeoque prioribus abrogatis, cum dos ex poſteriori jure ad filiam ſpectet, niſi aliter conventum ſit (3), nihil intereſt, utrum pater prioribus, an poſterioribus vigentibus fato ceſſerit, cum priorum vi filia honeſte nupta ab omni petitione excluderetur, ſi dos ad dotantem non reverteretur (4). In hac ergo quæſtione utraque lex conſenſit.

(✠1) *Reg. conſtit. anno* 1723. *lib.* 5. *tit.* 13. §. 2. *D. Deciſ.* 8. *maii* 1751. *ref. D. Capra in cauſſa utrinque de Borgarellis*, §. *Secundum tempus*, *V. Deciſ.* 4. *febr.* 1728. *refer. D. Rovelli in cauſſa Martini contra Ballajra*, *Deciſ.* 10 *martii* 1732. *refer. D. Demorra in cauſſa Freylini contra Rombelli*, §. *Quo vero ad Regias ſanctiones.*

(2) *Anno* 1723.

(3) *Reg. conſtit. anno* 1729. *lib.* 5. *tit.* 14. §. 3.

(4) *V. Supra defin. XII.*

DEFINITIO XV.

Succeſſio regitur jure, quod viget, cum eadem defertur.

Retenta autem eadem ſpecie, qua dos conſtituta ſit priorum ſanctionum tempore, pater autem vita functus poſt latas poſteriores; atque dotalibus tabulis conventum fuerit, ut dos ad patrem redeat, utrique juri aliquid dandum videtur: juri quidem veteri, ut dotem congruam petere poſſit filia, ſi ſe læſam demonſtret, cum jus novum in eo, quod pertinet ad dotem, præterita facta non reſpiciat (Defin. XIII.): juri autem novo, quatenus filia a legitima, ejuſque ſupplemento excluditur (✠1), quippe cum de ſucceſſionibus diſputatur, regula deſumi debet ex eo jure, quod viget, cum ſucceſſio defertur (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 8. *maii* 1751. *refer. D. Capra in cauſſa utrinq. de Borgarellis,* §. *Secundum tempus in med.*

(2) *D.* §. 1. *de heredib. inſtit., d.* §. 7, *&* 8. *inſtit. de heredit., quæ ab inteſt. defer.* (3. 1.)

DEFINITIO XVI.

Quomodo ſuccurratur filiæ, quæ minus congruam dotem habuit?

Poſtremo, ſi dos conſtituta fuerit, jam editis novis ſanctionibus (1), atque filia honeſtum ex eo matrimonium, neque a conditione ſua alienum contraxerit, a quacumque petitione excluditur, ſive dotis congruæ, ſive legitimæ ſupplemento, (niſi aliud ſuadeat ob immodicam læſionem æquitas, quæ hic maxime ſpectari debet, cum dos alimentorum loco ſit): cui tamen ſuccurrendum eſſet, ſi minus honeſte nubere coacta fuiſſet, propter modicitatem dotis (✠2). Quod autem ex vi novarum conſtitutionum obtinet, idem ſervatur ex noviſſimarum præſcripto, cum hæ ab illis in hoc argumento non differant (3). Qua vero ratione, & ad quam uſque quantitatem ſuccurrendum ſit filiæ, quæ minus congruam dotem accepit, id a prudentis judicis arbitrio pendet; qui tamen præ oculis habere debet patris facultates, ejuſque conditionem, tum regionis conſuetudinem: cum ex his congrua dos dijudicanda præſcribatur; quoties de puella nuptui tradenda quæſtio eſt (4). Interdum quoque argumentum deſumi poteſt a legitima, quæ filiæ alioqui deberetur (✠5).

(1) *Anno* 1729.

(✠2) *D. Deciſ.* 8 *maii* 1751 *refer. D. Capra in cauſſa utrinque de Borgarellis* §. *Tertium demum tempus. V. Reg. conſtitut. anno* 1729 *lib.* 5 *tit.* 14 §. 3.

(3) *Reg. conſtitut. anno* 1770 *lib.* 5. *tit.* 14 §. 6.

(4) *Reg. conſtitut. lib.* 5 *tit.* 7. §. 6.

(5) *Theſaur. Deciſ.* 192 *num.* 2, *Fab. cod. de inoffic teſtam. lib.* 8 *tit.* 19 *definit.* 23 *in fine, Deciſ.* 16. *febr.* 1760. *refer. D. Scala in cauſſa utr. Angellinoin fin. V. ſupra definit. XI.*

DEFINITIO XVII.

Legatum ab extraneo relictum mulieri, dotis nomine conditionale eſt, nec debetur, niſi nuptiæ contrahantur.

Multum intereſt, utrum legatum dotis, ſeu legatum dotis nomine relictum purum ſit, an conditionale, ita ut non niſi nuptiis ſecutis debeatur; ſi enim purum ſit legatum, mortua muliere ante nuptias, illud ad heredes ſuos tranſmittetur, utpote pleue quæſitum (1); ſi autem conditionale judicetur, innupta mortua muliere, legatum penes heredem permanet (2): legatum quidem, dotis titulo relictum, ea tamen lege, ne

ſolvi debeat, præterquam occaſione matrimonii, aut cum mulier nubet, conditionalis legati naturam habere, ſaltem ſi ab extraneo relictum proponatur, vulgo receptum eſt (✠3): immo, etiamſi conditio hæc adjecta non fuerit, ſed tantum dotis nomine relictum proponatur (4); quia tacite ſubintelligitur ex mentione nuptiarum; incertus etenim dies teſtamento adjectus in conditionem abit (5).

(1) §. *Sed olim* 2. *inſtitut. de legat.* (2. 20.)

(2) *L. Legatum* 4. *cod. de condit. inſert.* (6. 46.)

(✠3) *Theſaur. quæſt. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 43. *num.* 7, *Fab. cod. de conditionib. inſertis lib.* 6. *tit.* 25. *defin.* 9, *Deciſ.* 25. *martii* 1661. *refer. D. Ciprandi in cauſſa Stibaldi contra Almignaceum*, §. *Neque obſtat*, *Deciſ.* 16. *Januarii* 1645. *refer. D. Pergamo in cauſſa Beltrandæ, Mochi, & Rebuffæ*, §. *Circa vero legatum*, *Deciſ.* 21. *junii* 1680. *ref. D. Torrini in cauſſa utrinq. Manaſſerii*, §. *Rurſus hoc loci*, *Deciſ.* 21. *junii* 1680. *refer. D. Caſtelli in cauſſa utrinq. Pelliſon*, §. *Secundo reſpondetur, quod.*

(4) *Fab. d. defin.* 9. *in princip.*

(5) *Dies incertus conditionem in teſtamento facit, L. Dies* 74. *ff. de condit., & demonſtrat.* (35. 1.), *L. Talis ſcriptura* 30. §. *Sed & ſi ſub conditione* 4. *ff. de legat.* 1. (30. 1.)

DEFINITIO XVIII.

Quid ſi pater filiæ dotis nomine legaverit, conditione adjecta, ut nonniſi occaſione nuptiarum præſtetur?

Si autem pater filiæ dotis nomine legaverit, conditione adjecta, ne ſolvi debeat, præterquam occaſione nuptiarum, diſtingui debet, an filia, congrua accepta dote, ab omni ſucceſſione, atque ipſa quoque legitima repellatur, utrum adhuc admittatur. Cum filia, quæ ad ſucceſſionem admittitur una cum maſculis, dummodo legitimam habeat, nihil amplius ſecundum generales juris regulas petere poſſit (1); non dubium, quominus pater in eo, quod legitimam excedit, pro arbitrio poſſit conditionem adjicere, ut nuptiarum dumtaxat occaſione ſolvatur (✠2); Juſtinianus enim ea tantum gravamina reprobat, quæ legitimam portionem reſpiciunt, quæve eandem minuunt, vel deterioris conditionis efficiunt (3). Sed aliud dicendum videtur, ſi filia, congrua accepta dote, neque ſucceſſionis, nec legitimæ jure gaudeat, cum enim filiarum excluſio a ſucceſſione eo fundamento ſuſtineatur, quod dotem habeant (4); ne alioquin filiæ tamquam penitus extraneæ parentibus ſuis videantur, quod ab æquitate naturali plane alienum nemo non videt (5), conſequens eſt, dotem filiæ in hoc caſu a patre relictam pure intelligi, non autem ſub conditione nuptiarum. Hinc jure regio conſtitutum eſt, ut quibus caſibus mulieres congrua relicta, vel debita dote a ſucceſſione excluduntur, ſi innuptæ decedant, eadem tranſmittatur, tamquam res mulieris propria, ad quos jure poteſt pertinere (✠6).

(1) *L. Cum quæritur* 6, *& paſſim cod. de inoffic. teſtam.* (3. 28.)

(✠2) *Fab. d. defin.* 9. *cod. de condit. inſert. lib.* 6. *tit.* 25., *Deciſ.* 27. *februar.* 1547. *refer. D. Vercelli in cauſſa Bellothæ contra Teſeum filium*, §. *Propterea in caſu.*

(3) *L. Quoniam in prioribus* 32. *cod. de inoffic. teſtament.*

(4) *Fab. cod. de inoffic. teſtam. lib.* 3. *tit.* 19. *def.* 19. *num.* 1. *in corp., & num.* 2. *in allegat.*

(5) *L. Cum ratio naturalis* 7. *ff. de bon. damnator* (48. 20.)

(✠6) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 7. §. *ult.*

Digitized by Google

DEFINITIO XIX.

Legatum a patre relictum filiæ dotis titulo purum intelligitur, non conditionale, pendens a conditione nuptiarum, niſi pater aliud inſuper reliquerit.

Cum quæritur, an legatum filiæ relictum a patre dotis nomine, non tamen expreſſim adjecta nuptiarum conditione (videlicet ut occaſione tantum matrimonii ſolvatur), purum ſit, ita ut in omni caſu debeatur, vel conditionale, quod proinde non niſi ſecutis nuptiis ſolvendum ſit, atque, mortua innupta filia, penes heredes patris maneat, non una eſt omnium ſententia. Diſtinguunt aliqui inter legatum, quod legitimam filiæ debitam ſuperet, atque illud, quod intra ejus fines ſit: purum exiſtimant hoc legatum, quatenus legitimæ reſpondet; quæ neque gravamen, neque conditionem patitur (1); conditionale vero in eo, quod legitimam excedit; quod ſane pro arbitrio relinquit pater, vel denegat: recepta tamen paſſim, atque a ſupremis magiſtratibus apud nos probata eſt opinio eorum, qui legatum filiæ relictum a patre dotis nomine purum omnino exiſtimant etiam in eo, quod legitimam excedit; ita ut filiæ etiam ſolvi debeat, antequam nubat, atque, eadem innupta decedente, ad filiæ heredes transmittatur (✠2): etenim dos a patre legata filiæ, cui præter eam nihil relictum ſit, legitimæ locum tenere reputatur (✠3), quæ neque gravamen, neque diem, neque conditionem recipit (4). Exceptionem admittimus in eo caſu, quo pater aliud jam filiæ reliquerit titulo legitimæ, ſeu quod legitimæ locum tenere poſſit in iis locis, ubi filiæ ad inteſtatam ſucceſſionem admittuntur vel dotis; cum filiæ arceantur a ſucceſſione, congruæ dotis jure tantummodo conceſſo; ſi enim pater officio paternæ pietatis functus ſit, aliud relinquendo, tunc extraneo ſimilis eſſe videtur: porro legatum dotis nomine ab extraneo relictum conditionale ex communi ſententia exiſtimatur (definit. XVII.)

(1) *D. L. Quoniam in prioribus* 32. *cod. de inoffic. teſtam.* (3. 28.)

(✠2) *Deciſ.* 21. *junii* 1680. *refer. D. Caſtelli in cauſſa utr. Pellioni, §. Hiſce tamen non refragantibus, Sent. Senat.* 12. *octobr.* 1755. *refer. D. Mazzetti in cauſſa Chiara contra Martam, Deciſ.* 25. *martii* 1661. *refer. D. Ciprandi in cauſſa Stibaldi contra Almignaccum, §. Neque obſtat., Sentent. Senat.* 17. *april.* 1753. *refer. D. Sclarandi in cauſſa Novelli Dalmaſſo contra Dalmaſſo.*

(✠3) *D. deciſ. refer. D. Caſtelli, §. Secundo reſpondetur, quod.*

(4) *D. L. Quoniam in prioribus* 32. *cod. de inoffic. teſtam.*

DEFINITIO XX.

Legatum dotis filiæ relictum a patre purum eſt etiam in eo, quod excedit legitimam.

Si quæratur, an legatum dotis titulo a patre relictum filiæ purum ſit etiam in eo, quod excedit legitimam, quamquam nonnulli ſunt, qui conditionale putant quoad exceſſum, apud nos tamen placuit purum omnino habendum eſſe (✠1); tum ex paternæ pietatis præſumptione, quæ maxima eſt, & vix admittit juris fictionem, ex qua pater tamquam extraneus conſideretur (2): tum ex vulgato apud pragmaticos axiomate, quod non finit, ut voluntas, quæ una, & ſimplex eſt, in partes ſcindatur: ſeu ut una determinatio reſpiciens plura determinabilia ea diverſimode determinet (3). Cum ergo purum ſit legatum a patre, titulo dotis filiæ relictum, in eo, quod legitimæ, vel congruæ dotis quantitati reſpondet, purum quoque exiſtimari debet in eo, quod alterutrum excedit.

(✠1) *D. deciſ.* 21. *junii* 1680. *refer.*

Digitized by Google

D. Caſtelli in cauſſa utrinq. Pellion, §. *Pro reſolutione hujus quæſtionis, Theſaur. quæſt. forenſ.: lib.* 1. *quæſt.* 43. *num.* 6.

(2) *L. Filio, quem* 23. *ff. de liber.*, *& poſthum.* (28. 2.)

(3) *L. Jam hoc jure* 4. *ff. de vulgar.*, *& pupillar. ſubſtitut.* (28. 6.)

DEFINITIO XXI.

Legatum dotis nomine ab extraneo relictum, non niſi ſecutis nuptiis, ſolvi debet: ſtatim vero, quod a patre, niſi conſtet, diem, vel conſuetudinem ineſſe ex patris voluntate.

Quo autem tempore ſolvi debeat legatum dotis titulo relictum, una generali regula definiri non poteſt. Si ab extraneo relictum proponatur, cum legati conditionalis indolem habeat (definit. XVII.), non niſi impleta nuptiarum conditione peti poteſt (1): ſi vero relictum fuerit a patre, quamquam dotis, & nuptiarum mentio innuere videtur, tempus heredi conceſſum, & dilationem ſolvendi (2); cum tamen neque in diem, neque ſub conditione ſit (defin. præced.), ſtatim peti poteſt, tametſi legitimam excedat (3); tum ex paternæ pietatis præſumptione; tum quia legatum hoc a patre relictum legitimæ locum tenere intelligitur, quæ omne gravamen reſpuit (4): nuptiarum autem mentio cauſſam legandi indicat, quæ legato non cohæret (5) ſi tamen ex verbis, quibus pater legando uſus eſt, vel aliis argumentis conſtet, patrem legato dotis nomine conditionem, aut diem adjicere voluiſſe, patris voluntati ſtandum eſt in eo, quod legitimam, vel congruam dotem ex ſtatuto tribuendam excedit (✠6): non autem quatenus legitimæ, vel doti congruæ commenſuratur (✠7), quippe illa nullum onus admittit (8); quemadmodum neque poſterior, utpotequæ ad legitimæ naturam accedit (9).

(1) *L. Cedere diem* 213. *ff. de V. S.*

(2) *L. Quod pure* 6., §. 1. *in fin. ff. quando dies legator.* (36. 2.)

(3) *Theſaur. quæſtion. forenſ. lib.* 1. *quæſt.* 43. *num.* 2.

(4) *L. Quoniam in pluribus* 32. *cod. de inoffic. teſtament.* (3. 28.)

(5) *L. Cum tale* 72., §. *Falſam cauſſam* 6. *ff. de condit.*, *& demonſtrat.* (35. 1.)

(✠6) *Argum. d. L.* 72., §. 6. *ff. de condit.*, *& demonſtrat.*, *d. Deciſ.* 21. *junii* 1680. *refer. D. Caſtelli in cauſſa utrinq. Pellion*, §. *Et pro reſolutione.*

(✠7) *D. Deciſ. refer. D. Caſtelli*, *& d.* §.

(8) *D. L. Quoniam in prioribus* 32. *cod. de inoffic. teſtam.*

(9) *L. Quoniam novel.* 29. *cod. eod. tit.*

DEFINITIO XXII.

In dubio, an legatum dotis legitimam, vel congruæ dotis quantitatem excedat, probandi exceſſus incumbit heredi.

Si dubium ſit, atque heredem inter, & filiam, cui pater dotis titulo certam ſummam legavit, diſceptetur, an legatum dotis ſupra legitimam, vel congruam dotem ſit, heredi probandi exceſſus neceſſitas incumbit: maxime ſi in teſtamento paterno dictum ſit, prout plerumque fieri ſolet, dotem hanc legitimæ vices tenere, ſeu filiam, hac obtenta dote, nihil amplius petere poſſe, neque titulo legitimæ, neque ejuſdem ſupplementi (✠1); hinc enim præſumptio oritur, non amplius legitima, vel congrua dote relictum fuiſſe; adeoque contrarium allegans probare debet (2).

(✠1) *D. Deciſ.* 21. *junii* 1680. *refer. D. Caſtelli in cauſſa utrinq. Pellion*, §. *Et pro reſolutione.*

(2) *L. Ab ea parte* 5. *princ.*, *et* §. 1. *ff. de probationib.* (22. 3.)

DEFINITIO XXIII.

Mulier nomen in dotem dare poteſt, vel ex prævia promiſſione, qua ſe ad pecuniam dandam adſtrinxit, vel principaliter, & directe. Quid interſit inter utrumque caſum?

Poteſt mulier nomina debitorum in dotem dare (1); ſive debitor extraneus ſit, ſive ipſe maritus debeat. Duplici autem modo poteſt in dotem dari, quod extraneus debet: vel ex vi præviæ promiſſionis, qua mulier ad dandam pecuniam ſe obligaverit, atque pro ea nomen marito cedit: vel principaliter, ut loquuntur, cum ipſum nomen dotis titulo promiſſum eſt. Diſcrimen autem eſt inter utrumque caſum: cum mulier pecuniam promiſit, deinde nomen pro ea marito tradit, nomen æſtimatum dari judicatur, ita ut mariti periculo ſit, atque viciſſim de eo libere diſponat (✠2); quia æſtimatio venditionem inducit (3), & periculum æque ac commodum in accipientem transfert (4). Si vero nomen ipſum principaliter viro mulier tradiderit, inæſtimatum dari intelligitur, adeoque non poteſt de eo maritus pro arbitrio diſponere (✠5): quamquam maritus nomen hoc exigere debet, futurum alioquin, ut pecuniam uxori reſtituere teneatur, ſi ipſo perperam moras nec tente debitor non ſolvendo factus ſit (6). Aliud præterea diſcrimen intercedit: videlicet ſi nomen ipſum primario in dotem detur ab ipſa muliere, hæc de evictione non omnimodo tenetur; ſed ſufficit, ſi verum nomen cedat, ſeu vere debeat ille, adverſus quem actio inſtituenda eſt: non autem requiritur, ut vere ſolvendo ſit: niſi aliter convenerit (7): cum autem pecunia promiſſa fuit, atque deinceps pro ea datur nomen, non liberatur mulier, niſi idoneum ex omni parte nomen marito tradiderit, quemadmodum obſervatur in ſimilibus caſibus (8).

(1) *L. Nominibus* 2. *cod. de obligat. & actionib.* (4. 10.), *L. Promittendo* 41., §. *Quod ſi debitor* 3. *ff. hoc tit. de jure dot.* (23. 3.), *L. Mævia* 49. *ff. ſolut. matrimon.* (24. 3.)

(✠2) *Deciſ.* 13. *ſeptembris* 1675. *refer. D. Torrini in cauſſa Vaſſageriæ contra Jordanum*, §. *Nam reſpondetur.*

(3) *L. Plerumque intereſt* 10. §. *Inde quæri* 5., *L. Rem æſtimatam* 14., *& ſeq. ff. hoc tit. de jure dot.*

(4) *D. L.* 10. *in princip.*, *L. Res in dotem* 42., *& paſſim ff. hoc tit. de jure dotium.*

(✠5) *L. In rebus dotalibus* 30. *cod. hoc tit. de jur. dot.* (5. 12.), *d. Deciſ. refer. D. Torrini*, *& d.* §.

(6) *D. L. Mævia* 49. *ff. ſolut. matrim.*

(7) *L. Si nomen* 4. *ff. de heredit.*, *vel action. vendit.* (18. 4.)

(8) *L. Et quidem* 5. *ff. eod. tit.*

DEFINITIO XXIV.

Pater nomen verum, & debitorem ſolvendo præſtare tenetur, licet debitoris nomen primario in dotem dederit.

Si pater pecuniam dotis nomine promiſerit, atque ejus loco ceſſerit debitoris nomen, nemini dubium eſt, quominus nomen verum, & exigibile, ut loquuntur pragmatici, nec non debitorem ſolvendo idoneum præſtare teneatur (✠1). Difficultas eſt in eo caſu, quo nomen primario in dotem filiæ marito pater dederit. Verum, cum dotis debitor ſit pater (2), ab obligatione immunis non ſit, niſi vere debeat ille, cujus nomen ceditur, atque ſolvendo ſit (3); ne filia indotata remaneat, cum immo pater dotem rurſus tradere teneatur filiæ, quæ ſine culpa ſua eandem amiſit (4). Non tamen ipſo jure reſolvitur ceſſio, licet, debitor in ſolutione moras nectat, niſi ita conventum fuerit, atque jure ſuo experiri velint uxor, & maritus; nemo enim jure ſibi competente invitus utitur (5).

(✠1) *L. Et quidem* 5. *ff. de heredit. vel act. vendit.* (18. 5.), *Deciſ.* 10. *ſe-*

Digitized by Google

bruarii 1644. refer. D. Piſcina in cauſſa Pianchæ contra Furnum per tot.

(2) *L. Capite 19. ff. de ritu nuptiar.* (23 2.), *L. ult. cod. de dotis promiſſ.* (5. 11.)

(3) *D. L. 5. ff. de heredit., vel act. vendit.*

(4) *Fab. cod. de dot. promiſſion. lib. 5. tit. 6. defin. 13., Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 4. quæſt. 17. num. 1., & 2.* ✠

(5) *Arg. L. Nam legem 3. ff. de lege commiſſor.* (18. 3.)

DEFINITIO XXV.

Fideicommiſſaria bona alienari non poſſunt, ut dos conſtituatur, vel reſtituatur, niſi in ſubſidium. Quid ſi teſtator alienationem ex quacumque cauſſa prohibuerit? Quæ bonorum quantitas ex hac cauſſa alienari poſſit?

Bona fideicommiſſo obnoxia dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ cauſſa alienari non poſſe, ſi dos ex aliis bonis, nulli vinculo ſuppoſitis, conſtitui, vel reſtitui poſſit, apud omues in confeſſo eſt; ita quippe apertiſſimis verbis cavit Juſtinianus, omnem quocumque titulo alienationem prohibens bonorum, quæ legati, fideicommiſſi, vel ſubſtitutionis jure reſtitui debeant (1): eo dumtaxat excepto caſu, quo liberis portio legitima non ſufficiat ad dotem, vel donationem propter nuptias (2). Atque juriſprudentia hæc apud nos firmata eſt (3). Sed in eo etiam caſu, quo alia detint bona, Romanæ leges non videntur alienationem rerum fideicommiſſo ſuppoſitarum concedere, præterquam ſi a parentibus inſtitutum fuerit (4): illud enim unice commemorant Ulpianus (5): atque Juſtinianus (6): neque ceteris aptatur ratio ab Ulpiano adjecta, ex qua reſpondit, dotem filiæ in generali fideicommiſſo non contineri: *non poſſe dici in everſionem fideicommiſſi factum, quod & mulieris pudicitiæ, & patris voto congruit* (7): quæ ratio cum etiam accommodetur conſanguineis, quibus aliquando dotandi onus incumbit, legis ſententia ad fideicommiſſa ab ipſis inſtituta protrahenda videtur (8). Porro ſubſidiaria hæc rei fideicommiſſariæ alienatio licita eſt, etiamſi teſtator eam ſpeciatim prohibuerit (9), prout paſſim docent pragmatici (✠10); eadem legis auctoritas, qua pater cogitur, dotem congruam filiabus ſuis tradere (11), efficit, ne teſtamento aliter cavere poſſit (12); alioquin inutilis pro arbitrio parentum fieret lex, quæ dotandi neceſſitatem injungit. Regio, quo jampridem utimur jure, hæc firmata ſunt, immo etiam protracta ad fideicommiſſa inſtituta a conſanguineis collateralibus (13).

(1) *L. Si duobus 3., §. Sed quia noſtra 2. cod. commun. de legat.* (6. 43.)

(2) *Auth. Res, quæ ſubjacent cod. eod. tit. Theſaur. deciſ. 192. num. ult.*

(3) *Reg. conſtit. lib. 5. tit. 2., §. 17.*

(4) *Theſaur. deciſ. 192. in additionib. litera B* ✠.

(5) *In L. mulier 22., §. Cum proponeretur 4. ff. ad Senat. conſult. Trebellian.* (36. 1.)

(6) *In d. Auth. Res, quæ ſubjacent cod. commun. de legat.*

(7) *D. L. 22., §. 4. in fin. ad Sen. C. Trebell.*

(8) *Argum. L. Illud quæſitum 32. ff. ad leg. aquil.* (9. 2.)

(9) *Argum. d. L. 22., §. 4. ff. ad SC. Trebell., & d. Auth. Res, quæ ſubjacent cod. commun. de legat.* (6. 43.) *Theſaur. deciſ. 192. num. 11.*

(✠10) *Deciſ. 5. martii 1666. refer. D. Raſini in cauſſa D. D. a Turre contra comit. Bennetarum, §. Sed fuit reſolutum, Deciſ. 14. julii 1645. referen. D. Ab Eccleſia in cauſſa Loſei contra Bertolium per tot.*

(11) *L. Capite 19. ff. de ritu nuptiar.* (23. 2.), *L. ult. cod. de dot. promiſſion.* (5. 11.)

(12) *L. Quod bonis 15., §. 1. ff. ad leg. falcid.* (35. 2.), *L. Neratius 20. ff.*

Digitized by Google

de religioſ., *& ſumptib. funer.* (11. 7.)

(13) *Reg. conſtitut. d. lib.* 5. *tit.* 2. §. 27.

DEFINITIO XXVI.

Quæ bonorum fideicommiſſi vinculo ſuppoſitorum quantitas diſtrahi poſſit ex cauſa dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ?

Quæ autem dotis quantitas ex bonis fideicommiſſo, aliove ſimili vinculo ſuppoſitis conſtitui poſſit, non una certa, & generali regula poteſt definiri: præ oculis habenda eſt conditio perſonarum, necnon numerus, ut ſingulis proſpectum ſit, bonorum quantitas, conſuetudo regionis, & familiæ (✠1); prout obſervatur in congrua dote æſtimanda (2): atque idem fere dicendum de dote reſtituenda, videlicet ut poſſit ea bonorum quantitas alienari, quæ congruæ dori reſpondet, ſingulis rerum, & perſonarum adjunctis penſatis: atque ideo, poſtquam facultas data eſt alienandi, vel oppignorandi bona fideicommiſſaria dotis reſtituendæ cauſſa, vel reſtituendæ, ejuſque augmenti (3), ſtatim ſubjicitur, adeundum eſſe Senatum, a quo alienatio hæc, vel oppignoratio permittenda decernitur, prævia diligenti inquiſitione (4).

(✠1) *V. Concluſ. offic. D. Advocati generalis* 1. *januarii* 1740. *ſubſcripta Dani*, *& ſubſequent. Sententiam Senatus* 9. *januarii eodem anno refer. D. Nomis in in cauſſa Albin, & Sandiliano contra ſoror. Bianco.*

(2) *L. Quæro* 60., *L. Cum poſt divortium* 69., §. *Gener a ſocero* 4., *& ſeqq. ff. hoc tit. de jure dot.* (23. 3.), *L. ſi filiæ* 43. *ff. de legat.* 3. (32. 1.)

(3) *Reg. conſtit. lib.* 5. *tit.* 2. §. 27.

(4) *Reg. conſtit. ibid.*, §. 29., *&* 30.

DEFINITIO XXVII.

Quid ſi fideicommiſſum contractu inter vivos inſtitutum fuerit?

Nihil autem intereſt, quod pertinet ad facultatem alienandi bona fideicommiſſaria, ut dos conſtituatur, vel reſtituatur, an fideicommiſſum teſtamento injunctum, an contractu inter vivos inſtitutum fuerit, dummodo fideicommiſſarius res titulo lucrativo conſecutus ſit (✠1); quia utrobique eadem militat ratio; adeoque eadem juris regula ſervari debet (2): præterquamquod lex municipalis apud nos indiſtincte loquitur (3), nec perperam fingenda diſtinctio eſt (4). Quare nihil probat, quod aliqui objiciunt, Juſtinianum duntaxat loqui de fideicommiſſo per teſtamentum ordinato (5); Imperator enim de eo loquitur, utpotequod frequentius eſt (6): non tamen prohibet, quominus juris extenſio fiat ex identitate rationis (7).

(✠1) *D. Deciſ.* 5. *martii* 1666. *refer. D. Raſini in cauſa D. D. a Turre contra comit. Beynetarum*, §. *Attamen in noſtro caſu*, *& ſeqq.*

(2) *L. Illud quæſitum* 32. *ff. ad leg. Aquil.* (9. 2.)

(3) *Reg. conſtitut. lib.* 5. *tit.* 2., §. 27.

(4) *L. De pretio* 8. *ff. de public. in rem action.* (6. 2.)

(5) *D. Auth. Res, quæ ſubjacent cod. commun. de legat.* (6. 43.)

(6) *L. Neque leges* 10. *ff. de legib.* (1. 3.)

(7) *L. Et ideo* 11. *ff. eod. tit.*

DEFINITIO XXVIII.

Bona primogenio, vel majoratui ſuppoſita ex eadem conſtituendæ, vel reſtituendæ dotis cauſſa poſſunt alienari.

Quæ de bonis per fideicommiſſum præſtandis diximus, eadem obtinent in bonis primogenialibus, vel ma-

Digitized by Google

joratibus, ut loquuntur (✠1), tum quia eadem viget legis ratio, adeoque idem jus vigere debet (2); tum quia primogenia, & majoratus ſub fideicommiſſo, tamquam ſpecies ſub genere, continetur: atque ideo generalibus verbis concepta eſt Juſtiniani noviſſima conſtitutio, quæ dotibus, & donationibus ante nuptias hujuſmodi beneficium indulget (3).

(✠1) *D. Deciſ (defin. præced.) refer. D. Raſini, & d. §., Deciſ. 28. ſeptembris 1643. refer. D. Beccaria in cauſſa de Loſcis contra de Bertoliis in princip.*

(2) *L. Illud quæſitum 32. ff. ad leg. aquil.* (9. 2.)

(3) *V. Novel. 39. cap. 1. unde deſumta eſt d. Auth. Res, quæ ſubjacent cod. commun. de legat., & fideicommiſſis* (6. 43.)

DEFINITIO XXIX.

An bona fideicommiſſaria ex cauſſa dotis conſtituendæ poſſint alienari, ſi alia non ſint bona libera: filia tamen aliunde dotem habeat.

Ardua eſt quæſtio, quæ hic inſtitui poteſt, nimirum an dos filiæ ex bonis fidecommiſſariis danda ſit, ſi pater quidem alia non habeat bona nullo vinculo obſtricta, ſed filia aliunde dotem habeat puta ab extraneo. Pro muliere reſpondendum (✠1) ſuadent verba municipalis ſanctionis, quæ diſtractionem bonorum fideicommiſſariorum, & primogenialium indiſtincte permittit favore filiæ heredis fiduciarii, & fideicommiſſarii, reſtitutione adhuc gravati in ſubſidium, ſeu ſi pater, vel avus alia non habeat (2), cum autem de feudalibus bonis agit, ſubſidiariam feudi obligationem aperte prohibet, ſi filiæ vaſſalli, aut aliæ deſcendentes a primo inveſtito aliunde bona habeant (3): ſuffragatur quoque novella Juſtiniani conſtitutio, qua permittitur alienatio rerum, quæ reſtitutioni per fideicommiſſum ſubjacent, ſi liberi ex bonis paternis dotem, vel donationem propter nuptias conſequi non poſſint (4).

(✠1) *Atque ita definitum dicitur 9. januarii 1737. refer. D. Sclarandi, prævio voto D. Advocati generalis, quamquam aliud placuiſſe fertur 28. junii 1760. refer. D. Dani ex ſpecialibus forte adjunctis.*

(2) *Reg. conſtitut. lib. 5. tit. 2., §. 27.*

(3) *Reg. conſtitut. lib. 6. tit. 13. cap. 6., §. 3.*

(4) *Auth. Res, quæ cod. commun. de legat., & fideicommiſ.* (6. 43.)

DEFINITIO XXX.

Bona feudalia etiam primogenio ſuppoſita ex cauſſa dotis conſtituendæ alienari poſſunt.

Cum jure, quo utimur, ex cauſſa dotis conſtituendæ permittatur alienatio bonorum tum feudalium (1), tum fideicommiſſariorum (2), ſponte ſequitur, bona ex hac cauſſa recte alienari, licet ſimul feudalia ſint, & fideicommiſſo ſuppoſita (✠3).

(1) *Reg. conſtitut. lib. 6. tit. 3. cap. 6. §. 1.*

(2) *Reg. conſtitut. lib. 5. tit. 2. §. 27.*

(✠3) *Deciſ. 5. martii 1665. refer. D. Raſini in cauſſa D. D. a Turre contra comit. Beynetarum, §. Sed fuit reſolutum.*

DEFINITIO XXXI.

Feudalia bona apud nos alienari poſſunt ex cauſſa dotis conſtituendæ. An ſucceſſor in feudo dotem dare teneatur filiabus defuncti Vaſſalli, qui bona allodialia non reliquerit?

Strictior, ſi feudorum leges, ſeu conſuetudines inſpiciamus, eſt bonorum feudalium, quam quæ fideicommiſſi titulo reſtituenda ſunt, natura; quippe feuda indiſtincte alienari, atque hypothecæ ſubjici, ſive in totum, ſive etiam ex parte prohibentur, niſi expreſſe conſentiat dominus, a quo feudum pendet;

Google

ita ut viribus deſtituatur aliter facta alienatio, nec unquam per quodcumque temporis ſpatium convaleſcere poſſit (1): immo expreſſe interdicitur alienatio ex cauſſa dotis (2). Verum huic juris ſeveritati pluribus Principum noſtrorum ſanctionibus derogatum eſt, dotium conſtituendarum favore (3): atque permiſſa alienatio, & oppignoratio feudorum etiam, quæ per ſe alienationem non patiuntur, pro dandis dotibus filiabus ejus, qui feudum poſſidet, aut aliis mulieribus, quæ a primo acquiſitore ortum habeant, quemadmodum etiam pro neceſſariis vaſſalli alimentis, aut melio rationibus; quæ ad feudi tuitionem omnino neceſſariæ ſint (4), prævia tamen obtenta a Principe venia (5). Cum autem lex favore mulierum lata ſit, atque inde bona ipſa feudalia dotis conſtitutioni intra præſcriptos fines ſint obnoxia, ſponte ſequitur, ſucceſſorem in feudo cogi poſſe, quocumque titulo illud habuerit, ut dotem filiæ defuncti Vaſſalli tradat ex bonis feudalibus, ſi hic allodialia non reliquerit; adeoque publice ſub haſta vendenda eſſe, ut ex redacta pecunia dos conſtituatur, niſi feudi poſſeſſor malit ex propriis nummis dotem tradere (✠6); quippe feudum in eos pervenit cum onere ſolvendi dotes, quas defunctus filiabus ſuis debebat (7).

(1) *Feudor. lib. 2. tit. 52. de prohibit. feudi alienat. per Lotharium, & d. lib. 2. tit. 55. de prohibit. feudi alienat. per Fridericum in fin. princip.*

(2) *Feudor. d. lib. 2. tit. 9. Qualiter olim poterat feudum alienari, §. 1.*

(3) *Oſaſc. deciſ. 165. num. 1., & Deciſ. 167. num. 6.*

(4) *Reg. conſtitut. lib. 6. tit. 3. cap. 6., §. 1.*

(5) *Reg. conſtitut. ibid., §. 5.*

(✠6) *Deciſ. 25. aug. 1644. refer. D. Barberis in cauſſa de Taparellis contra Careſanam, §. Et quia non dubitabatur, ubi agebatur de eo, qui feudum habuerat titulo donationis a Principe, D. Deciſ. refer. D. Raſini (defin. præced. ubi quæſtio erat de fratre, Deciſ. 10. ſeptembris 1664. refer. D. Vercelli in cauſſa D. D. de Salutiis a Manta contra commun. Cherii, ubi Senatus cenſuit, a communi Cherii dandam eſſe dotem dictis filiabus, quæ ſupererant ex duabus lineis, quas dictum commune inveſtiverat de quibuſdam bonis feudalibus, ea lege, ut deficientibus maſculis ex una linea filiæ ex eadem linea dotes ſolverentur ab eo, ad quem feudum devolveretur: defecerunt vero ambæ lineæ, atque ideo feudum ad commune redierat, quia paciſcentes de hoc etiam caſu ſenſiſſe viderentur, Deciſ. 16. junii 1657. refer. D. Bellino in cauſſa comitiſs. Theſauræ contra comit. Cumianam, §. Verum, ex quo, ubi traditum, ſucceſſorem in feudo teneri ad dotem dandam, quamvis pater poſt promiſſam dotem bona allodalia perperam conſumpſerit, quia hic agitur de bono publico.*

(7) *Decret. D. Blanchæ apud Solam de feud., §. Item, quia in ſtatuto pag. mihi 119.*

DEFINITIO XXXII.

Cui incumbat probandi onus, cum inter filiam Vaſſalli, & feudi poſſeſſorem controverſia eſt, utrum adſint bona libera, ex quibus dos conſtituatur nec ne?

Cum autem alienatio feudalium bonorum, ut dos detur, non permittatur, niſi deficientibus aliis bonis (1), quæri poteſt, cui probandi onus incumbat: videlicet an mulier probare debeat, alia non eſſe bona, ex quibus dotem conſequatur, an feudi poſſeſſor alia adeſſe bona: mulieris favore pronunciavit ſenatus (✠2) ſecundum generales juris regulas, quæ aſſerenti, non neganti, probationem injungunt (3): præterquam ubi negatio eſt fundamentum intentionis, prout in exceptionibus contingit (4). Sane Vaſſallus, qui ex cauſſa dotis, vel alterius neceſſitatis facultatem aliendi feudi a Principe poſtulat, neceſſitatem probare

debet (5). Sed hanc ſatis pobatam exiſtimat Sola ex precibus Principi porrectis ad facultatem impetrandam (6); ſi in his, prout ſervari ſolet, & debet ſpecialis mentio fiat cauſſæ, exibitis documentis, ſi quæ ſint, niſi de re notoria agatur: ita tamen ut principis reſcriptum ipſo jure viribus careat, ſi preces veritate non nitantur (7).

(1) *Reg. conſtitut. lib. 6. tit. 3. cap. 6. §. 3.*

(✠2) *D. Deciſ. refer. D. Barberis 25. auguſt. 1644. in cauſſa de Taparellis contra Careſanam, §. Neque viſum fuit.*

(3) *L. Quoties operæ 18. ff. de probationib.* (22. 3.)

(4) *L. In exceptionibus 19. princip., & §. 1. ff. eod. tit.*

(5) *Reg. conſtitut. d. lib. 6. tit. 3. cap 6. §. 5.*

(6) *Sola de feudis Gloſ. prima ſecundæ partis num. 5. pag. 92.*

(7) *L. Præſcriptione 2. cod. ſi contra jus, vel utilitat. public.* (1. 22.)

DEFINITIO XXXIII.

Vaſſalli a ſubditis ſuis penſitationes, quæ ſupremæ majeſtati adhærent, exigere non poſſunt, niſi jura hæc legitima acquiſita demonſtrent.

Quamquam certis in locis inductum eſt, ut Vaſſalli a ſubditis ſuis quandam penſitationem exigant in quatuor caſibus, primo pro dote filiæ nupturæ, ſecundo pro itinere tranſmarino ad bellum gerendum contra infideles, tertio ad redimendum vaſſallum, qui ab hoſtibus in bello juſto captus fuerit. Poſtremo quoties Vaſſallus novam militiam, ſive equeſtrem dignitatem a Principe conſequitur (✠1). Hæc tamen jura ex communi, & ſaniori ſententia, utpotequæ vere Regia ſunt, & ſupremæ majeſtati dicata (2), competere privatis nequeunt, etiam Vaſſallis, niſi ex triplici titulo: nempe vel ex principis conceſſione, vel expreſſa ſubditorum conventione, & recognitione: vel ſaltem ex immemoriali præſcriptione (✠3); quæ tituli legitime conſtituti vim habet (4). Quare hujuſmodi jura Vaſſallis adſerenda non ſunt, niſi aperte conſtet, vel de Principis conceſſione, aut conſuetudine, ſeu præſcriptione, quæ hominum memoriam excedat, vel conventione legitime inita; ita ut alioquin in dubio favore ſubditorum pronunciandum ſit (✠5), quippequi præſumptionem pro ſe, ſeu pro libertate habent (6).

(✠1) *Fab. cod. de jure emphyteut., & feudali, lib. 4. tit. 43. defin. 6., Deciſ. 3. februar. 1756. refer. D. Corte in cauſſa comit. de Chailand. contra communitat. Agatii, & Bruzonii Vallis Auguſtæ num. 1. in allegat.*

(2) *L. Vectigalia 10. ff. de publican., & vectigalib.* (39. 3.), *L. unic. cod. de ſuperindicto* (10. 18.), *L. Vectigali 2., & L. ſeq. eod. vectigal. nova inſtit. non poſſe* (4. 62.), *Feudor. lib. 2. tit. 56. Quæ ſint regalia.*

(✠3) *Fab. D. lib. 4. tit. 43. def 6. num. 1. in allegationib., d. Deciſ. refer. D. Corte num. 1. in fin.*

(4) *L. Hoc jure 3., §. Ductus aquæ 4. ff. de aqua quotid., & æſtiv.* (43. 20.)

(✠5) *D. Deciſ. refer. D. Corte, §. Ad rem num. 9. in fin., Theſaur. quæſt. forenſ. lib. 4. quæſt. 69. num. 1.*

(6) *L. Ab ea parte 5. princip.; & §. 1. ff. de probationib.* (22. 3.)

DEFINITIO XXXIV.

Jus Vaſſallis competens penſitationem exigendi pro filiabus nupturis ad normam æquitatis exereeri debet, atque in feudi ſucceſſores tranſit.

Quod ſi legitime quæſitum appareat jus pecuniariam penſitationem exigendi pro Vaſſalli filia nuptura, non tamen pro arbitrio Vaſſalli exerceri poteſt, ſed ad normam juſtitiæ, & æqui-

Digitized by Google

tatis (✠1), ne ſubditi nimis graventur, ut vaſſallo proſint. Hic autem una, & certa regula conſtitui nequit, quæ ſingulis caſibus accommodetur, ſed diverſæ ſervari debent pro dignitate vaſſalli, qui hæc ſubſidia poſtulat, tum inſpecto numero, & facultatibus perſonarum, quæ eadem præſtant, aliiſque adjunctis. Quare cenſuit Senatus Sabaudus, cum quæſtio hæc incidiſſet, ita rem temperare, ut pro filiabus Marchionum, comitum, aliorumque vaſſallorum magnam aliquam dignitatem habentium, in ſingulos caſus pro ſingulis focis quatuor floreni domino pendi deberent, focorum dumtaxat, non etiam capitum, aut facultatum habita ratione (2); in ceteris minoribus feudis ſatis viſum fuit, debita ſubditorum annua duplicare (3). Hinc etiam olim placuit Senatui Pedemontano, pactum, quo ſubditi ſe adſtrinxerint ad quandam pecuniæ ſummam vaſſallo tribuendam, ut filiam nuptui collocet, de una tantum filia intelligendum eſſe; &, ſi plures ſint vaſſalli, de filia primogenita uniuſcuiuſque: ſi autem duo idem feudum pro indiviſo teneant, unum ſit ſubditorum gravamen; niſi verba conventionis, & ſubſecuta obſervantia aliud expreſſe ferant vaſſallorum favore (4). Semel autem conſtituto hoc jure pro vaſſallis, in feudi ſucceſſores tranſit, ſive agnati ſint, ſive extranei (5): non enim vaſſallorum perſonæ cohæret, ſed rei, ſeu feudo, adeoque una cum ipſo in ſucceſſores transferri debet (6); niſi aliud actum appareat inter vaſſallum, ejuſque ſubditos; quod in dubio vix præſumitur.

(✠1) *Fab. cod. de jure emphyteut., & feudal. lib. 4. tit. 43. d. defin. 6. num. 1. in corp., D. Deciſ. (defin. præced.) ref. D. Corte in fin.*

(2) *Fab. d. defin. 6. num. 2. in corp.*

(3) *Fab. d. defin. 6. allegat. 3.* ✠.

(4) *Theſaur. d. lib. 4. quæſt. 69. num. ult.* ✠.

(5) *Theſaur. d. lib. 4. quæſt. 69. num. 6.*

(6) *L. Quia tale 14. ff. ſolut. matrim.* (24. 3.), *L. Ex pluribus 42. de adminiſtrat, & peric. tutor.* (26. 7.), *Argum. L. Privilegia 196. ff. de reg. jur.*

DEFINITIO XXXV.

Res litigioſa dotis, & donationis propter nuptias cauſſa alienari poteſt ab eo, qui alia bona non habet, & dotem, vel donationem propter nuptias dare tenetur.

Quamvis rei litigioſæ alienatio generatim prohibita ſit, quocumque titulo, etiam donationis, fiat; ne adverſarius novis judiciis fatigetur (1), ab hac tamen regula excepit Juſtinianus cauſſam dotis, & donationis propter nuptias (2); quia juſta, imo neceſſaria videtur alienandi cauſſa, ut pater filiæ dotem conſtituat, ex qua nubere poſſit: donationis autem propter nuptias idem eſt favor ex parte viri, ut æqualitas quædam inter virum, & uxorem inducatur (3). Sed, ut exceptioni huic locus ſit ex cauſſa dotis (idem eſt de donatione propter nuptias ex rationis identitate), duplex conditio deſideratur. Inprimis, quod deficiant alia bona, ex quibus dos conſtituatur 2. Quod dos detur ab eo, cui onus dotandi incumbit (✠4), alioquin neceſſaria dici non poteſt alienatio (5); atque ideo licita non eſt, ceſſante legis cauſſa (6).

(1) *L. ult. princip., & §. 1 cod. de litigioſ.* (8. 37).

(2) *D. L. ult. § 1 in fin.*

(3) *Auth. Sed tam neceſſe, poſt L. 19 cod. de donat. ante nupt.* (5. 3).

(✠4) *Deciſ. 24 januarii 1700 refer. D. Marelli in cauſſa Fratr. de Negri contra Iugal. de Moretta, & de Marconis. § Nec obſtat limitatio num. 61, & ſeqq.*

(5) *L. Alienationes 13. ff. famil. erciſcund.* (10. 2).

(6) *L. Quod dictum* 32. *ff. de pact.* (2. 4), *L. Adigere* 6. §. *Quamvis nulla* 2. *ff. de jure patronat.* (37. 14).

DEFINITIO XXXVI.

Pater dotem filiæ ſe daturum generatim promittens intelligitur de ſuis tantum, non maternis, vel filiæ bonis partim promiſiſſe.

Cum pater dotem certæ rei, vel quantitatis nubenti filiæ ſe daturum promiſit, non tamen expreſſe demonſtravit, an dotem hanc integram ex ſuis, an partim quoque ex maternis, vel filiæ bonis ſolvere velit, præſumitur de ſuis tantummodo promiſiſſe, non de maternis potiſſimum ſi adhuc vivat mater, cum de bonis uxoris invitæ maritus dandæ dotis facultatem non habeat (1); neque de bonis filiæ quocumque titulo acquiſitis (✠2) pro ut ſancivit Iuſtinianus; idem ſimul jus protrahens ad donationes obnuptiales (3), rationem adjiciens, paternum eſſe officium, dotem, & donationem propter nuptias pro ſua dare progenie (4).

(1) *L. Neque mater* 14. *cod. hoc tit. de jur. dot.* (5. 12).

(✠2) *Deciſ.* 16. *jun.* 1657 *refer. D. Bellino in cauſſa Comitiſſæ Theſauræ contra Com. Cumianæ in princ.*

(3) *L. ult. in med. cod. de dotis promiſſion.* (5. 11).

(4) *D. L. ult. cod. de dot. promiſ.*

DEFINITIO XXXVII.

Quid ſi pater, & mater ſimul, & in ſolidum promiſerint dotem ſe filiæ daturos?

Neque intereſt, quod pater, & mater ſimul dotem promiſerint, adjecta etiam clauſula, ut eandem ſinguli in ſolidum debeant, immo materna quoque bona in eam rem ſpecialiter ſint obligata (1); hæc enim promiſſio ex ſententia apud pragmaticos recepta eam vim habet, ut a ſolo patre dos conſtituta videatur, matris autem perſona adjecta cenſetur, ut fidejuſſoris locum teneat; eo fundamento, quod pro fidejuſſore ſit ille, ad quem res primario non pertinet, quoties duo correi debendi fiunt pro negotio, quod alterum directe, & principaliter afficit (✠2); quale profecto eſt dotis pro filia præſtatio: cum paternum ſit officium filiæ dotem dare (3): non vero maternum; niſi pater egenus ſit, locuples vero mater (4).

(1) *Fab. cod. de dotis promiſſion. lib.* 5 *tit.* 6. *defin.* 7 *in princip.*

(✠2) *Fab. D. defin.* 7. *num.* 2 *in corp.*, *Deciſ.* 3 *ſeptembris* 1735. *refer. D. Provana in cauſſa Allodii contra Bianchum & Cacheranum* §. *Nec obeſſe poſſe dicebatur*, *Deciſ.* 5 *novembris* 1681 *refer. D. Gabuti in cauſſa utr. Roaſendæ.*

(3) *D. L. ult. cod. eod. tit. de dot. promiſ.* (5. 11).

(4) *D. L. Neque mater* 14. *cod. hoc tit. de jur. dot.* (5. 12).

DEFINITIO XXXVIII.

Dos a patre promiſſa de ſuis, & maternis, vel filiæ bonis tota ſolvi debet ex bonis paternis, niſi conſtet, aliud voluiſſe patrem, cum dotem promiſit.

Ulterius etiam progreſſus eſt Iuſtinianus, atque conſtituit, ut dos, atque donatio propter nuptias ex ſolis paternis bonis ſolvi debeat, quamvis pater ex ſuis, & maternis, vel filiæ, aut filii bonis eam promiſerit, ſi facultates patris ſufficiant (✠1); poterat enim, ſubjicit Imperator, dotem, vel donationem propter nuptias filiæ, aut filio ipſe pater ſecundum facultates ſuas dare, atque conſentire filiis, quando voluerint partem, vel totam ſuam ſubſtantiam, quam habent, paternæ liberalitati pro dote, vel antenuptias donatione ag-

Digitized by Google

gregare, ut manifeſte appareat, quid, & quantum de ſua, vel de filiorum ſubſtantia proficiſcatur (2). Hanc utique legem Leo Imperator abrogavit (3), ſed hæc uſu fori nunquam recepta fuit (4). Cum tamen regula hæc præſumptioni voluntatis nitatur, ſi pater expreſſe aliud declaret, vel certis argumentis conſtet aliud voluiſſe, licet ejus facultates ſufficiant, aliud dicendum eſt (✠5); præſumptio, ut omnes norunt, veritati cedit (6).

(1) *D. L. ult. prop. fin. cod. de dotis promiſ.* (5. 11.), *D. Deciſ.* 16 *junii* 1657 *refer. D. Bellini in cauſſa Comitiſſæ Theſauræ contra Comit. Cumianæ*, §. *Cujus quidem legis*, *Deciſ.* 5 *novembris* 1699. *refer. D. Commoto in cauſſa Vialardi contra Sacerium* §. *Verum re mature perpenſa*

(2) *D. L. ult. in fin. cod. de dot. promiſſion.*

(3) *Novel. Leonis* 21.

(4) *Fab. cod. eod. tit. de dot. promiſ. lib.* 5 *tit.* 6. *d. defin.* 7 *num.* 6, & 7. *in corp.*, & *allegat.* 8.

(✠5) *Deciſ.* 23 *aug.* 1672. *refer. D. Burontio in cauſſa Marchioniſſæ Purpuratæ, & Comitiſſæ Ruffiæ contra Comitiſſas Cravettam, & Taparellam*, §. *Hiſce tamen non obſtantibus.*

(6) *L. Si chyrographum* 24 *ff. de probationib.* (22. 3).

DEFINITIO XXXIX.

Renunciatio maternæ, vel fraternæ ſucceſſioni jam delatæ, cum pater dotem congruam ex ſuis bonis conſtituit, nullius eſt roboris, utpote ſine cauſſa.

Cum dos a patre generatim promiſſa tota de bonis paternis conſtituta præſumatur, ſi patris facultates ſufficiant (defin. præced.), conſequens eſt, renunciationem filiæ ſucceſſioni maternæ, quæ jam delata ſit, viribus deſtitui, utpote ſine cauſſa factam (✠1), ita ut neque jurejurando firmari poſſit (2): doli exceptio ſemper competit ei, qui agit ex ſtipulatione ſine cauſſa, quamvis ab initio, cum ſtipulabatur, nihil dolo malo admiſerit, vel cauſſa ab initio adfuerit, quæ tamen deinde ceſſavit (3); nam ſtipulatio ſine cauſſa non niſi donationis titulo valere poſſet; donatio autem non præſumitur (4): maxime in contractibus, qui ultro citroque obligationem pariunt. Quod autem de materna ſucceſſione dicimus, idem de fraterna affirmandum, ſi hæc filiæ jam delata fuerit; cum eadem vigeat ratio (5).

(✠1) *Deciſ.* 1 *ſeptembris* 1732 *refer. D. Provana in cauſſa Gay contra Gibellum*, §. *Nam attenta & ſeqq.*, *Deciſ.* 21 *junii* 1647 *refer. D. Pergamo in cauſſa conc. Buſſæ num.* 23 §. *Fuit* 2, *D. Deciſ.* 16 *junii* 1657 *refer. D. Bellini in cauſſa Comitiſſæ Theſauræ contra comit. Cumianæ* §. *Cujus quidem legis.*

(2) *Fab. d. defin.* 7. *num.* 16 *in allegationib.* ✠

(3) *L. palam eſt* 2 §. *Circa primam* 3 *ff. de dol. mal.*, & *met. except.* (44. 4).

(4) *L. filiusfamilias* 7. *de donationib.* (39. 5).

(5) *L. Illud quæſitum* 32. *ff. ad leg. aquil.* (9. 2).

DEFINITIO XL.

Quid ſi pater immodicam, ratione habita facultatum ſuarum, dotem promiſerit filiæ, quæ bona aliunde habet?

Si tamen pater egregiam dotis nomine quantitatem promiſerit, quam inſpectis ſuis facultatibus, numero liberorum, ceteriſque adjunctis, quæ in hac re ſpectari debent (1), veroſimile non ſit, patrem de ſuis bonis integram ſolvere voluiſſe, patri ſuccurrendum eſt, ita ut congruam utique dotem præſtet: quod vero excedit ex matris, vel filiæ bonis ſuppleatur (✠2); atque eadem æquitatis ratio, quæ favet filiæ perperam, & ſine cauſſa ſucceſſionibus renuncianti (Defin.

Digitized by Google

præced.), opitulatur patri, ultra vires patrimonii, vel dotis modum ſpondenti. Exceptionem tamen admittit Faber in ea ſpecie, qua pater ſolitus fuerit dotis nomine tantum dare ceteris filiabus, etiam quæ nihil ex propriis bonis habent: niſi inopinatis, & fortuitis cladibus facultates patris intermedio tempore ſint imminutæ (3); tum quia magis idoneus æſtimator, quam pater facultatum ſuarum inquiri non debeat; cum immo frugi patresfamilias æſtimationem ſui patrimonio inire conſueverint (4); tum maxime quia donationis præſumtio in eo, quod excedit, recte capi poteſt a conſuetudine ejuſdem patris (5), adeoque præſumtionem, quæ donationi adverſatur, utpote debiliorem, tollit altera fortior, quæ ex patris conſuetudine eruitur (6).

(1) *L. Quære* 60, *L. Cum poſt divortium* 69. §. *Gener a ſocero* 4, *& ſeqq. ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3.), *L. Si filiæ* 43. *ff. de legat.* 3. (32. 1.)

(✠1) *Deciſ.* 23. *martii* 1673. *refer. D. Demazzettis in cauſſa Barii contra prætendentes*, §. *Verum quia regula*, *D. Deciſ. refer. D. Bellini*, 16. *jun.* 1657. *in cauſſa Comitiſſæ Theſauræ contra Comit. Cumiana*, §. 4. *Dicebatur*, *Deciſ.* 20. *junii* 1666. *refer. D. Portanerio in cauſſa vid. Grognardæ*, §. *Neque obſtat.*

(3) *Fab. lib.* 5. *tit.* 6. *d. defin.* 7. *num.* 11, *& ſeqq. in corp.*

(4) *L. Cum pater* 77. §. *Pater*, *qui filio* 30. *ff. de legat.* 2. (31. 1.)

(5) *L. Quod ſi nolit* 31. §. *Quia aſſidua* 20. *ff. de edilit. edic.* (21. 1.)

(6) *L. Neſennius Apolinaris* 34. *ff. de negot. geſt.* (3. 5.), *L. Alimenta* 11. *cod. eod. tit.* (2. 19.)

DEFINITIO XLI.

Promiſſio dotis facta, præſente filia, valet, licet filia expreſſe non conſenſerit, dummodo non contradixerit, ſi celebratum deinde fuerit matrimonium, cujus intuitu promiſſio facta fuit; licet per aliquod tempus in ſuſpenſo extiterit.

Pater, qui dotem certæ quantitatis ſe daturum promiſerit ſive ſponſo, ſive etiam extraneo, præſente filia, quæ verbis expreſſis ſe conſentire non affirmaverit, nec tamen contradixerit, ſecuto matrimonio, cujus intuitu facta eſt dotis pollicitatio, ad implendam promiſſionem cogi poteſt (✠1); tum quia ex ipſo Romano jure ex nudo pacto dotis promiſſæ actio datur, & tacita ſtipulatio interceſſiſſe fingitur (2); tum quia conſentire videtur filia, quæ tacet, cum de re ſua agitur, atque ipſius favor verſatur (3): neque contrahentes, licet matrimonium ſtatim non celebraverint, immo per aliquod tempus in ſuſpenſo extiterit, videntur receſſiſſe a priori tractatu: immo per ſubſecutum matrimonium firmatus intelligitur tractatus, & viciſſim in poſteriore contractu repetita, quæ in tractatu placuerunt (✠4).

(✠1) *Deciſ.* 15. *martii* 1644. *refer. D. Barberis in cauſſa Comitiſſæ Claretti contra Guerillum ejus patrem*, §. *Ex actis*, *& ſeqq.*, *Deciſ.* 3. *jun.* 1652. *refer. D. Beccaria in cauſſa Griſellæ contra Coppam*, §. *Quæritur ſuper hac.*

(2) *L. Ad exactionem* 6. *cod. de dot. promiſſion.* (5. 11.)

(3) *L. Soluto matrimonio* 2. §. *ult. ff. ſolut. matrim.* (24. 3.), *L. Cum quid mutuum* 3. *ff. de reb. credit.* (12. 1.) *L. Semper*, *qui* 60. *ff. de reg. jur.*

(✠4) *Argum. L. Titia quæ* 134. *ff. de verbor. obligationib.* (45. 1.), *D. Deciſ. refer. D. Barberis*, §. *Nec enim facit.*

Digitized by Google

DEFINITIO XLII.

Quid ſi filia, cui promiſit pater dotem, deinde nubat, ſed alteri viro, quam cujus intuitu promiſſio facta fuit?

Gravior eſt difficultas, an teneat promiſſio dotis facta a patre filiæ intuitu certi matrimonii, ſi matrimonium, cujus favore pater certam dotis nomine quantitatem promiſerat, deinde contractum non fuerit. Si filia nullatenus nubat, fatentur omnes, evaneſcere promiſſionem, ceſſante cauſſa (1), ſeu competere conditionem cauſſa data, cauſſa non ſecuta (2). Sed in diverſa ſcinduntur cum filia deinde nupſit quidem, alii tamen viro, quam illi, cujus intuitu pater dotem promiſerat. Affirmantium ſententiam olim amplexus eſt Senatus noſter eo fundamento, quod ex hac promiſſione filiæ jus quæſitum ſit, quod ipſa invita tolli nequeat (✠3).

(1) *L. Quod dictum* 31. *ff. de pact.* (2. 14.), *L. Adigere* 6. §. *Quamvis nulla* 2. *ff. de jure patronat.* (37. 14.)

(2) *L. Dedi tibi* 3. §. *Sed ſi tibi* 2. *ff. de condict. cauſſa dat. cauſ. non ſecut.* (12. 4.)

(✠3) *D. Deciſ.* 15. *martii* 1644. *ref. D. Barberis in cauſſa Claretti contra Guerillum*, §. *Nec enim facit.*

DEFINITIO XLIII.

Dotem promiſiſſe non intelligitur, qui dixit volo dare: maxime ſi ex eorum numero ſit, quibus dotandi onus non incumbit.

Cum aliud ſit donare, aliud velle donare (1), quemadmodum aliud eſt vendere, aliud velle vendere (2), ita ad dandam dotem ſe obligaſſe non intelligitur mater, quæ tantum dixerit, *ſe velle dotem dare* (✠3): hæc quippe loquendi formula propoſitum quidem, ſeu primum voluntatis actum detegit, non tamen perfectam voluntatem, niſi vera promiſſio interceſſerit.

(1) *Theſaur. deciſ.* 233. *num.* 5.

(2) *L. In bonæ fidei* 7. *ff. de eo, quod certo loco* (13. 4.)

(✠3) *Deciſ.* 13. *auguſt.* 1672. *refer. D. Demazzettis inter jugales de Benna contra jugales Michelotos*, §. *Sed hoc non obſtante.*

DEFINITIO XLIV.

Promiſſio dotis valet, licet filia, cum dos ſponſo promittitur, præſens non ſit: atque pater ſponſi, ſponſo abſente, poteſt dotem acceptare.

Dotis promiſſio vires habet, quamvis abſit filia, cum dos promittitur ſponſo (1), ſive promiſſio hæc a patre fiat (2), ſive etiam ab extraneo (3); ita ſingulari jure receptum eſt tum favore dotis, tum quia conſtante matrimonio dos ad maritum potius pertinere judicatur, quam ad mulierem; cum civile dotis dominium maritus habeat, mulier vero non niſi naturale (4); adeoque marito interim acquiri videtur: quamquam ſub alio reſpectu, quatenus dominium hoc a marito aliquando auſertur, ut ad mulierem, ejuſque heredes revertatur, dos proprium mulieris patrimonium eſſe traditur (5). Cum vero pater pro filio ſtipulari, & donationem acceptare poſſit (6), conſequens eſt, valere promiſſionem dotis, ſponſi patre acceptante, licet neque hic, neque ſponſa præſentes fuerint (✠7).

(1) *Fab. cod. de rei uxor. action. lib.* 5. *tit.* 8. *defin.* 21.

(2) *L. Cum dos filiæ* 7. *ff. de pactis dotalib.* (23. 4.)

(3) *L. Ob res quoque* 20. §. 1. *ff. eod. tit.*

(4) *L. In rebus dotalibus* 30. *cod. hoc tit. de jur. dot.* (5. 12.)

(5) *L. Cum poſt mortem* 43. §. 1. *in*

Digitized by Google

fin. ff. de adminiſtrat., & peric. tutor. (26. 7.)

(6) *V. Supra tit. XXI. de donationib. definit. XXVI, & XXIX.*

(✠7) *Sentent. Senat.* 18. *junii* 1756. *refer. D. Capra in cauſſa Faſciola contra Scarzellam Gazzam.*

DEFINITIO XLV.

Dos conſtituta in priore matrimonio repetita præſumitur ex ſententia pragmaticorum in poſteriore, quod cum alio viro contractum fuerit.

In ea quæſtione, an dos conſtituta in priore matrimonio tacite repetita intelligatur in poſteriore, pragmatici interpretibus juris Romani non conſentiunt: omnes quidem admittunt tacitam hanc dotis repetitionem, quando matrimonium poſterius cum eodem viro poſt divortium redintegratur, ex tacita mulieris voluntate, quæ non præſumitur indotata redire in matrimonium (1). Neque intereſt, quod intermedio tempore alteri viro nupſerit; quia ſemper eadem viget voluntatis præſumtio (2): quæ tamen veritati cedere debet, ſi contrariæ voluntatis indicia ſuppetent (3). Quod ſi de binuba muliere agatur, quæ, priore marito defuncto, alteri nubat, negant interpretes, huic tacitæ dotis conſtitutioni locum fieri; atque, ſi jus Romanum inſpiciamus, veritati conſentanea eſt eorum ſententia; leges enim, quæ de hac dotis repetitione loquuntur, de matrimonio cum eodem viro poſt divortium redintegrato agunt (4): uno excepto Pauli fragmento, quod generale eſt (5); ſed ex Papiniani reſponſo, quod ſtatim ſubſequitur, uni divortii caſui accommodari conſtat (6). In foro tamen invaluit paſſim contraria opinio, ut dos a muliere tradita in priore matrimonio repetita exiſtimetur in poſteriore, niſi contrariæ voluntatis indicia ſuppetant (✠7); tum quia mutatio voluntatis non præſumatur, immo ex actu præcedenti interpretatio ſequentis fieri debeat (8); tum quia, ait Menochius, mulier ſecundum virum æque dignum judicans, cui ſe jungat, eandem dotem ad onera matrimonii ſuſtinenda dare præſumitur (9); tum quia viduæ difficilius nubere conſueverunt, quam virgines; atque ideo opulentiorem potius dotem tradere debent, atque tradere velle judicantur (10).

(1) *L. Divus Severus* 40. *ff. hoc tit. de jur. dot.* (23. 3.)

(2) *L. Poſt divortium* 64. *ff. hoc tit. de jur. dot.*

(3) *L. Dotem* 30. *ff. hoc tit. de jur. dot.*

(4) *D. L. Divus Severus* 40, *D. L. Poſt divortium* 64. *ff. hoc tit. de jur. dot.*

(5) *D. L. Dotem* 30. *ff. hoc tit. de jur. dot.*

(6) *L. Quod ſi non* 31. *ff. hoc tit.*

(✠7) *Fab. cod. hoc tit. lib.* 5. *tit.* 7. *definit.* 18. *num.* 11. *in corp.*, *Menoch. de præſumt. lib.* 3. *præſumt.* 6. *num.* 12, & 13., *Deciſ.* 30. *auguſt.* 1672. *refer. D. Raſini in cauſſa ſoror. de Martinis contra Comit. Naſini de Trana*, §. *Primo quod tempore*, *in fine Sentent. Senat.* 7. *ſeptembris* 1757. *refer. D. Calza in cauſſa Vimercati contra Ferrero*, *Deciſ.* 21. *junii* 1675. *refer. D. Manaſſerio in cauſſa Jugal. de Gattinara contra Lambertum*, §. *Secundo dicebant*, *Sentent. Senat.* 9. *januar.* 1732. *refer. D. Laurenti in cauſſa utrinque Rhò, ubi traditum, tacitam hanc dotis conſtitutionem non præſumi, ſi mulier fruatur bonis tamquam paraphernalibus, & ad ipſam ſpectantibus.*

(8) *Fab. cod. hoc tit. definit.* 37. *lib.* 5. *tit.* 7.

(9) *Menoch. d. num.* 12.

(10) *Menoch. d. num.* 13., & *num.* 30.

DEFINITIO XLVI.

Dos conſtituta in priore matrimonio cenſetur repetita in poſteriore, licet mulier ex prioribus nuptiis liberos ſuſceperit.

Sed adhuc dubitari poteſt, utrum tacita hæc dotis repetitio locum habeat in eo etiam caſu, quo mulier ex priore matrimonio liberos ſuſceperit. Sunt, qui putant, liberis extantibus, integram dotem repetitam non exiſtimari, ſed eam tantummodo quantitatem, ex qua poſterior maritus virilem partem habeat cum liberis ſuſceptis ex priore conjugio: ſaltem ſi omnia bona ſua mulier dotis nomine primo marito tradiderit; ita ſuadet, ajunt, matris pietas erga filios; quæ alioquin filiorum charitatem negligere videretur, ut ſecundo marito plus æquo faveret (1); alii tamen, quorum ſententiam amplexus non ſemel eſt Senatus Pedemontanus, diſtinctionem hanc rejiciunt, atque generatim tradunt, dotem in poſterioribus nuptiis repetitam ſemper præſumi, ſive adſint priorum nuptiarum filii, ſive non (+2); tum quia etiam in hoc caſu aſſiſtant voluntatis indicia, quæ in altero favent marito (Defin. præced.); tum quia voluntatis ea capi non debeat interpretatio, quæ liberis quidem ex priore matrimonio ſuſceptis proſpicit, ſed proli ex poſteriori conjugio ſuſcipiendæ damnum eſt allatura.

(1) *Menoch. d. lib. 3. præſumt. 6. num. 33.*

(+2) *Oſaſch. deciſ. 21. in princip., & num. 1., D. Deciſ. 30. auguſt. 1672. refer. D. Raſini in cauſſa de Martinis contra Comit. Orſini de Trana, & d. §. Primo, quod temere, d. Sentent. Senat. 7. julii 1757. refer. D. Calza in cauſſa Vimercati, & Ferreri.*

DEFINITIO XLVII.

An dos prioris matrimonii cenſeatur repetita in poſteriore etiam quoad lucrum dimidiæ dotis marito datum, cum mulier ſine liberis decedit?

Quia tamen voluntas præſumta trahi non debet in contemtum legum, quibus nec per voluntatem expreſſam derogari poteſt (1), idcirco recte placuit, tacitam hanc integræ dotis repetitionem non admittere in lucro dimidiæ dotis, quod paſſim ex ſtatutis, vel conſuetudine apud nos viro defertur, cum mulier decedit ſine liberis ex eodem matrimonio ſuſceptis; ſed eatenus tantummodo, ut virilem portionem ſecundus maritus ex bonis defunctæ conjugis conſequatur cum liberis a muliere ex priore matrimonio ſuſceptis (+2); ne alioquin fraus fiat legis ſanctioni, quæ non ſinit, ut ſecundus conjux plus habeat ex bonis binubi conjugis, quam unus ex liberis priorum nuptiarum, qui minimum conſecutus ſit (3).

(1) *L. Jus publicum 38. ff. de pactis (2. 14.), L. Neratius 20. ff. de religioſ., & ſumtib. funer. (11. 7.), L. Quod bonis 15. §. 1. ff. ad leg. Falcid. (35. 2.)*

(+2) *Oſaſc. deciſ. 21. num. ult. +, d. Sentent. Senat. 7. julii 1757. refer. D. Calza in cauſſa Vimercati, & Ferreri, qua & traditum eſt, impenſarum funeris partem a liberis ferendam eſſe.*

(3) *L. Hac edictali 6. cod. de ſecund. nupt. (5. 9.)*

DEFINITIO XLVIII.

Dos priorum nuptiarum non cenſetur in poſterioribus repetita, ſi maritus primam dotis conſtitutionem ignoraverit.

Quinimmo tacita mulieris voluntas ejuſdem ſibi conſtituendæ dotis in

poſteriore matrimonio, quam in primo habuit, non admittitur, niſi maritus ſciverit primam dotis conſtitutionem (✠1); qui enim ignorat, tacite convenire non poteſt; adeoque nullum jus adipiſci. An autem requiratur, ut maritus non tantum ſciverit, mulierem in patrimonio dotem ſibi conſtituiſſe, ſed ejus quantitatem ſimul perſpectam habuerit, diſputant pragmatici; ſed probabilius defenditur, ſufficere generalem conſtitutæ dotis notitiam, nec ſpecialem quantitatis deſiderari; ſatis conſentit maritus in dotis quantitatem, etſi eam ignoret, dummodo ſcientia aliunde haberi poſſit.

(1) *D. Deciſ. 30. auguſt. refer. D. Raſini in cauſſa ſoror. de Martinis contra Comit. Orſini de Trana*, §. 2. *Et validior*, & *D. Deciſ. 21. junii 1673. ref. D. Manaſſerio in cauſſa jugal. de Gattinara contra Lambertum*, §. *Dictam tamen reconſtitutionem*.

DEFINITIO XLIX.

Si dos mulieri reſtituta fuerit, antequam ad ſecundas nuptias tranſiret, dos conſtituta in priore matrimonio non cenſetur repetita in ſecundo.

Cum dos reſtituta dos eſſe deſinat, & fiat mulieris patrimonium (1), hinc placuit, ceſſare præſumtionem repetitæ dotis in ſecundo matrimonio, quoties mulier poſt ſolutas priores nuptias, antequam ad ſecunda vota tranſiret, ejus reſtitutionem obtinuit (✠2): niſi forte ſecundus maritus conſtitutus reperiatur in poſſeſſione bonorum, quæ ad binubam uxorem ſpectant (3).

(1) *L. ult. cod. commun. utriuſque judic.* (3. 38.), *L. Fundus* 3. §. 1. *ff. de fundo dotal.* (23. 5.)

(✠2) *Oſaſc. Deciſ.* 21. *num.* 18, & 20. ✠, *D. Deciſ. 30. auguſti 1672. ref. D. Raſini in cauſſa ſoror. de Martinis contra Comit. Orſini de Trana in fine.*

(3) *Oſaſc. d. deciſ.* 21. *num.* 20 ✠.

Cod. Tom. I.

DEFINITIO L.

Dos conſtante matrimonio augeri poteſt, augmentum autem iiſdem legibus regitur, ac dos ipſa, cujus acceſſio, & pars reputatur.

Dos quidem ſemel a patre conſtituta, & tradita filiæ primo nubenti, minui non poteſt, ſi filia, mortuo priore viro, iterum nubere velit, niſi intermedio tempore fortuitis cladibus imminuta ſit patris ſubſtantia (1); poteſt tamen dos, conſtante matrimonio augeri (✠2): atque id, quod conſtitutæ jam doti accedit, omnia dotis privilegia conſequitur, iiſdemque legibus regitur, ac prior dos (3), cujus acceſſio reputatur (4): adhibita tamen diſtinctione, de qua Juſtinianus inter res mobiles, & immobiles, ut omnis fraudi aditus præcludatur (5).

(1) *Auth. Sed quamvis cod. de re rei uxor. action* (5. 13.)

(✠2) *Deciſ.* 13. *martii* 1674. *ref. D. Torrini in cauſſa Comit. Maſſani contra Comitiſſam Truchi in princip.*, *Sentent. Senat.* 28. *junii* 1766. *refer. D. Bruno in cauſſa Bovio contra Guallam Cavallero Deciſ* 23. *januar.* 1635. *refer. D. Nomis Carinianenſis graduatoriæ*, §. *Prima difficultas*.

(3) *L. inter ſocerum* 26. §. *Cum inter patrem* 2. *ff. de pactis dotalibus* (23. 4.)

(4) *L. Nihil dolo* 129. §. 1. *ff. de reg. jur.*, *cap. Acceſſorium* 41. *extra de regul. jur. in* 6.

(5) *Auth. Sed jam neceſſe, poſt l.* 19. *cod. de donat. ant. nupt.* (5. 3.), *Novel.* 97. *cap. Aliud quoque* 2.

Quum nihil in hoc volumine, quod mandante Reverendiſſimo P. Magiſtro Carras Vic. Gen. S. Officii Taurini attente perlegi Catholicæ Fidei, & bonis moribus adverſum offenderim propterea ut typis mandetur utillimum cenſeo ſi ita &c. Dat. Taurini hac die 10 junii 1783.

Fr. Franciscus Maria a S. Petro Carm. Excalceat. S. T. L., & S. Officii Qualificator.

Attenta ſupradicta atteſtatione

Imprimatur.

F. Vincentius Maria Carras Ord. Prædic. S. T. Magiſter, Vicarius Gen. S. Officii Taurini.

V. Nizzati a Boyon Juriſconſult. Collegii Præſes.

V. Se ne permette la ſtampa.

Garretti di Ferrere per la gran Cancellaria.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ in hoc libro continentur.

A

Abſens quo tempore in dubio mortuus judicetur lib. 1. tit. 17. def. 12. pag. 105
Abſenti donatio facta, & a notario, tamquam publica perſona abſentis nomine acceptata, utrum ante ratihabitionem abſentis revocari poſſit? 2. 21. 28. 390
Abſentibus ex juſta cauſſa, & militibus in expeditione occupatis non currit interim præſcriptio longi temporis, utique vero longiſſimi. 2. 20. 19. 372
Actiones ad res mobiles mobilibus, ad res immobiles immobilibus accenſentur. 1. 23. 9 123
Actiones medicorum, & ſimilium ex cauſſa curationis, nec non ſalaria familiarium, & famulorum biennio præſcribuutur. 2. 20. 22. 375
Actiones in judicium deductæ, atque deinceps intermiſſæ quo-tempore præſcribantur? 2. 20 28. 377
Actor univerſitatis a conſilio eligi poteſt, quin judicis auctoritas requiratur. 2. 4. 2. 265
Actuariæ bancus inter immobilia computatur. 1. 23. 11. 124
Adminiſtrator pecuniam univerſitatis nomine mutuam accipiens, eamque reſtituere promittens, univerſitatis nomine ſpondere cenſetur. 2. 2. 30. 242
Adminiſtrator univerſitatis poteſt ſe obligare proprio nomine, eoque nomine in ſolidum conveniri. 2. 2. 23. 239
Adminiſtrator univerſitatis quibus caſibus proprio nomine ſe ſe obligare judicetur? 2. 2. 31. 242
Adminiſtratores univerſitatum finito officio conveniri nequeunt, ſed eorum ſucceſſores conveniendi ſunt. 2. 2. 34. 244
Adminiſtratores univerſitatum quibus caſibus officio etiam finito conveniri poſſint? 2. 2. 35. 244
Adminiſtratores univerſitatum bona vendere non poſſunt ſine ſpeciali mandato. An verſio pretii præſumatur? 2. 3. 25. 259.
Adminiſtratores univerſitatum rationes reddunt. An cogi ad eas reddendas poſſint, nec dum finito officio. 2. 5. 1. 267
Adminiſtratores univerſitatum pecuniam a debitoribus exigere tenentur. An modicam dilationem aliquando indulgere poſſint? 2. 2. 37. 245
Adminiſtratorum officium commune eſt, & commune periculum habent, niſi aliud inductum, vel receptum ſit. 2. 2. 39. 246
Adoptionis, vel adrogationis, quæ ſint requiſita. 1. 10. 1. 79
Adrogatio, prætermiſſa cauſſæ cognitione, non valet. 1. 10. 2. 79
Ædificare licet uni ſocio, invito altero, ſuper pariete ad id deſtinato: ita tamen, ut cautelæ adhibeantur, ſi grave damnum alteri immineat. 2. 12. 12. 323
Ædificare licet ſupra viam vicinalem, ſi nullum, vel leve damnum inferatur vicinis ea via utentibus. 2. 12. 18. 326
Ædificare ſocius poteſt ſuper parietem communem pro diviſo, vel ſecus illum, recta linea pro medietate illius; vel etiam pro diviſo, ſi talis conſuetudo vigeat. 2. 12. 11. 323
Ædificia pro arbitrio extollere licet, quamvis vicino noceatur, dummodo non fiat ad æmulationem. 2. 11. 1. 315
Ædificium parieti ad id deſtinato impoſitum commune fit, atque ſcalæ etiam concedi debent. 2. 12. 13. 324
ad Æqualitatem quocumque tempore, mutatis rerum adjunctis, reduci poſſunt contractus, qui uno tempore non perficiuntur, ſed progreſſum temporis habent. 2. 20. 24. 376
Æquitatem contra jus ſcriptum judices ſequi pro arbitrio non poſſunt. 1. 1. 7. 11
Æs alienum a donante prius contractum ſolvere debet donatarius omnium bonorum. 2. 21. 47. 400
Æſtimatio fructuum, qui ex tutoris negligentia minime percepti allegentur, quomodo fiat? 1. 31. 3. 179

Æſtimatio prævia bonorum minoris an neceſſaria ſit, cum eædem alienari debent? 1. 23. 33. 133
Ætas minor quibus modis probetur? 1. 35. 2. 190
Ætatem minorem, ſeu contractum in minori ætate celebratum fuiſſe probare debet, qui in integrum reſtitui vult. 1. 45. 1. 190
Affines an debeant alimenta affinibus? 1. 6. 8. 51
Affinitas jure civili ex illicito concubitu non contrahitur: ſecus jure canonico? 1. 8. 1. 59
Agere ſine mandato pro univerſitate non licet, utique eam defendere. 2. 4. 2. 265
Agros inter limitatos, & illimitatos quoad jus alluvionis hodiernis moribus nulla diſtinctio ſit. 2. 8. 2. 279
Albini. V. Alienigenæ.
Ali debent filii naturales a parentibus. 1. 6. 9. 51
Ali an debeat filius a patre gravis criminis reus. 1. 6. 11. 52
Alienanda, vel oppignoranda eſt ea tantum portio bonorum immobilium minus utilium quæ æri alieno diſſolvendo neceſſaria eſt. 1. 23. 18. 126
in Alienandis bonis immobilibus eccleſiæ, vel alterius loci pii eædem requiruntur ſolemnitates, ac in bonis civilium communitatum. 2. 3. 26. 259
in Alienandis bonis immobilibus univerſitatum, an ſufficiat auctoritas conſilii ordinarii 2. 3. 18. 255
Alienare prohibitus non poteſt confirmare alienationem. 1. 1. 9. 12
Alienare, vel hypothecæ dare prohibitus an tamquam ſuſpectus a tutela, vel cura removeri debeat? 1. 29. 4. 161
Alienari poſſunt bona immobilia minorum ob æs alienum, quod urgeat? 1. 23. 14. 125
Alienari non poſſunt bona immobilia minorum ob æs alienum, quod aliunde diſſolvi poſſit. 1. 23. 16. 125
Alienari prius debent res mobiles minorum, quam immobiles ad æs alienum diſſolvendum. 1. 23. 17. 126
Alienari ſine ſolemnibus poſſunt res exigui valoris. An ſenatus ſolemnia alienationum remittere poſſit. 1. 24. 11. 137
Alienari poſſunt res immobiles minorum, ut parentes a captivitate liberentur, ſolemnia tamen adhibenda ſunt. 1. 24. 4. 138
Alienari quæ res immobiles univerſitatum ſine ſolemnibus poſſint? An res modici valoris? 2. 3. 12. 252
Alienari ſine ſolemnibus nequeunt bona unico momento acquiſita univerſitati. 2. 5. 14. 254
Alienari poſſunt res univerſitatum ex ſola utilitate, licet nulla adſit neceſſitas. 2. 3. 16. 254
Alienari non poſſunt univerſitatum bona, niſi ſervatis legum ſolemnitatibus. 2. 3. 1. 242
Alienata perperam vindicari poteſt una cum fructibus res minoris. 1. 23. 35. 133
Alienatio rei immobilis, vel pretioſæ ad minorem ſpectantis nonniſi ex neceſſitate, & judicis auctoritate fieri ex jure Romano poteſt. 1. 23. 13. 124
Alienatio bonorum immobilium pupilli permitti poteſt, quoties pupillo utilis eſt. 1. 23. 20. 127
Alienatio non valet, ſi judicis decretum interpoſitum non fuerit, vel male interpoſitum, vel ſi ejus forma ſervata non ſit. 1. 23. 25. 129
Alienatio non jure facta ſuſtinetur, ſi minor velit, eique utilis ſit. 1. 23. 34. 129
Alienatio rei immobilis titulo lucrativo perperam facta a minore ratihabitione non confirmatur, niſi conſueto decennii, vel vicennii lapſu. 1. 25. 14. 145
Alienatio perperam facta nullos parit effectus. Quid de fructibus, & melioramentis? 2. 3. 28. 261
Alienatio non rite facta poſteriore ratihabitione expreſſa, vel tacita convaleſcit. 2. 3. 31. 263
Alienatio bonorum pupilli deſiderat interventum tutoris. 1. 23. 21. 257
Alienatione reſciſſa, minor pecuniam in rem ipſius verſam reſtituere debet cum uſuris. 1. 23. 38. 134
Alienationem permittere non debet judex, niſi cauſſa diligenter cognita. 1. 23. 23. 128
Alienationis vitium regulariter non poteſt allegari a tertio, ſed tantum ab univerſitate, quæ urgeatur ad implementum contractus. 2. 3. 33. 264
Alienigenæ, ſeu albini an, & quibus caſibus juribus civium gaudeant. 1. 5. 6. 44
Alienigenarum loco habentur, qui alio ſe transferunt ſine animo revertendi. An paternæ originis ratio ſufficiat. 1. 5. 7. 45
Alimenta liberis debent aſcendentes, ſervato ordine, & gradu conjunctionis. Mater primo triennio partum alit. 1. 6. 2. 48
Alimenta ſuppeditare debent liberi aſcendentibus utriuſque ſexus. 1. 6. 5. 49
Alimenta conſanguineis præſtare non eoguntur conſanguinei ultra fratres. 1. 6. 7. 50
Alimenta pendente lite præſtanda ſunt ei, qui bona ſua eſſe contendit. Quid de herede? 1. 6. 15. 54

Alimenta alteri præſtare non tenetur, qui ſe ipſnm alere vix poteſt. 1. 6. 21. 56
Alimenta non præſumuntur donata; niſi donationis conjecturæ aliud ſuadeant. 1. 6. 23. 56
Alimenta an debeat donatarius omninm bonorum liberis donatoris? 1. 6. 4. 49
ad Alimenta an mater, an avns paternus primo loco teneantur? 1. 6. 16. 54
Alimenta pater non debet filio, qui aliunde habet, quo ſibi proſpiciat. An teneatur reſtituere alimenta præterita? 1. 6. 20. 55
Alimenta a tutore accepiſſe præſumitur pupillus, qui cum eo habitavit. 1. 21. 2. 115
in Alimentis an impendi poſſit ultra pupilli reditus. 1. 21. 3. 115
de Alimentis præſtitis leviores ſufficiunt probationes. 1. 6. 22. 56
Alimentorum nomine, aut cibariorum quæ veniant? 1. 6. 1. 47
Alimentorum quantitas præſtanda eſt, quam exigit neceſſitas alimentarii, & patiuntur facultates ejns, qui alere tenetur. 1. 6. 17. 54
Alimentorum quantitas quæ præſtari pupillo debeat? 1. 21. 1. 114
Alimentorum in decernenda quantitate ratio habenda eſt ætatis, conditionis, & conſuetudinis regionis, necnon pretii cibariorum. 1. 21. 4. 115
Alimentorum quantitas quibus modis æſtimetur? 1. 6. 18. 55
Altius tollere licet ædes pro lubitu, quamvis vicino noceatur, dummodo non fiat ad æmnlationem. 2. 11. 1. 315
Alluvionis incrementum fundi domino, cui pars adjecta eſt, acquiritur. 2. 8. 1. 279
Alluvionis incrementum ejnſdem naturæ reputatur, ac fundus, cui acceſſit. 2. 8. 4. 280
Alveus fluminis pars eſt, nec immutari, aut diverti poteſt ſine Principis voluntate. 2. 1. 22. 222
Alveus fluminis eorum fit, qui prope ripam prædia poſſident, ſi flumen alveum mutet. 2. 8. 7. 281
Alveus a flumine per ſaltum, vel aquarum impetu derelictus non ſtatim fit eorum, qui prope ripas prædia poſſident: nec confinia univerſitatum mutat. 2. 8. 9. 282
Amens donare non poteſt: fatuitas autem ſatis probatur ex teſtibus, qui deponant de publica voce, & fama. 2. 21. 12. 383
Aqua vere indigens cogere poteſt vicinnm, ut aquæ tranſitum in ſuis prædiis permittat. 2. 1. 16. 220
Aqua ſi plures indigeant, præfertur ille, cujus gravior eſt neceſſitas, & cujus magis intereſt. 2. 13. 15. 333
Aqua utendi modns ſervari debet, nec novus, licet forte magis conveniens, fieri poteſt, niſi omnes conſentiant. 2. 13. 19 334
Aqnæ ductus locum plerumque immutare non poteſt is, cui ſervitus debetur: atque ita conſtitui debet, ut quanto minus ſervienti fundo noceatur. 2. 13. 10. 330
Aquæ ductus præſcriptione acquiritur, ſi opus ad hoc manufactum ſuerit, atque vicinus illud ſubſiſtere paſſus ſit. 2. 13. 12. 331
Aquæ ductus ſervitus tranſit in ſucceſſorem ſingularem. Quid ſi aqua amiſſa ſit, ſuperſint tamen fiſtulæ, & canales. 2. 13. 20. 334
Aquæ ductus ſervitus non extinguitur, licet aqua rivi ad tempus deficiat, niſi nova aqua indncatur, vel flumen alveum mutaverit. 2. 13. 21. 334
Aqnæ hauſtum concedere nemo tenetur, niſi ex gravi neceſſitate. Poſſeſſio aquæ haurienddæ titulo familiaritatis nullum jns tribuit. 2. 13. 25. 336
Aquæ hauriendæ e flumine quid ſi diverſis perſonis facultas conceſſa fuerit? 2. 1. 4. 214
Aquæ hauriendæ jus vaſſallus de fluminibus inveſtitus an poſſit inferiori concedere in præjudicium ſuperioris. 2. 1. 5. 215
Aquæ ducendæ jus e flumine, vel molendina habendi non uſu amittitur, dummodo ſimul adſit prohibitio alterius, & non utentis patientia. Quid ſi licentia ſemel, aut bis petita fuerit? 2. 1. 11. 217
Aquæ extrahendæ jus e flumine, vel molendini conſtruendi præoccupatione acquiri poteſt. Quis præoccupaſſe intelligatur? 2. 1. 12. 218
Aqnæ ductus jus an amittatur, ſi flumen ita alveum mutet, ut fluere deſinat prope prædium ſerviens? 2. 13. 22. 335
Aquæ hauſtum habenti competit quoque iter ad hauriendam aquam, & viceverſa. 2. 13. 23. 335
Aquam per alienum prædinm, invito ejus domino, ducere non conceditur, niſi urgeat neceſſitas, & grave damnum prædii domino non inferatur. 2. 13. 9. 330
Aquam in ſuo ſcaturientem, vel quæ per prædium ſnum tranſit, fundi dominns retinere poteſt, eaque pro arbitrio uti. 2. 13. 11. 331
Aquam diſtribuit ſenatus per œconomum, ſi neuter poſſeſſionem probet, vel utriuſque pares ſint probationes, atque ſcandala timeantur. 2. 13. 18. 334
Augmentum dotale, ſeu obnuptiale in filialem ſecundi conjugis portionem non imputatur. 1. 8. 27. 71
Avulſio jus dominii non mutat, niſi pars terræ avulſa alteri prædio coaluerit. 2. 8. 5. 280

Avunculus donatarii inſinuationis decretum interponere non poteſt. 2. 21. 23. 388
Avus paternus, ſi pater defunctus ſit, aut inops, dotem nepti dare tenetur. 2. 26. 4. 417
Avus paternus primo loco præ matre dotem nepti dare tenetur. 2. 26. 9. 208
Avus dotem nepti in patris ſubſidium dare tenetur, quamvis ſui juris per emancipationem facta ſit. 2. 26. 6. 414

B

Belli, & peſtis tempora in præſcriptione deducuntur. 2, 20. 18. 372
Beneficio competentiæ donator gaudet, nec ſolvit uſuras rei donatæ nondum tamen traditæ. 2. 21. 46. 400
Binubus amittit proprietatem bonorum, quæ quovis titulo a primo conjuge habuit, tum quæ ab inteſtato a filiis acquiſivit. 1. 8. 4. 60
Binubus parens plenam habet proprietatem bonorum, quæ aliunde, quam a patre ad filium ab inteſtatato defunctum profecta ſunt. 1. 8. 5. 60
Binubus conjux non poteſt plus relinquere ſecundo conjugi, quam uni ex liberis primi matrimonii, licet patri heredes extiterint. 1. 8. 17. 66
Binubus parens poteſt plus relinquere filiis poſterioris matrimonii, quam uni ex filiis prioris thori, dummodo non fiat in fraudem legis. 1. 8. 21. 68
Binubus conjux ex voluntate defuncti conjugis retinere poteſt proprietatem bonorum libere relictorum. An conſenſus tacitus ſufficiat? 1. 8. 11., & 12. 63
Bona adventitia filii, nonniſi mortuo patre longiſſimi temporis præſcriptione acquiri poſſunt. 2. 20. 6. 367
Bonam fidem habere poteſt, qui rem a non domino emit. An qui dubitat, in bona fide ſit? 2. 8. 11. 282
Bonorum demanialium interinatio omnino neceſſaria eſt, cum agitur de conceſſionibus Principis. 1. 1. 2. 9

C

Caſuum fortuitorum rationem habere debet judex in æſtimandis fructibus. 2. 8. 23. 288
Cauſſa donandi quibus conjecturis impulſiva potius, quam finalis judicetur? 2. 22. 2. 403
Cautio juratoria etiam cum hypotheca bonorum in uſufructu non admittitur, ſi uſufructuarius, convenienti adhibita diligentia, fidejuſſores invenire poſſit. 2. 17. 6. 361
Cautio juratoria in matre tutrice aliquando recipitur. 1. 18. 2. 107
Cenſum pecunia acquiſitum an ſine ſolemnibus univerſitas alienare poſſit, vel novum vendere, ſeu conſtituere? 2. 3. 7. 250
Cenſus annui inter immobilia recenſentur a minoribus ſine decreto alienari prohibita. 1. 23. 10. 123
Cenſus ſors, & reditus annui an ſubſint præſcriptioni, & cujus temporis? 2. 10. 23. 378
Ceſſionarius eodem jure utitur, ac conſtituens, ſi ceſſio ſpecialis facta ſit, & incontinenti. 2. 9. 17. 300
Clauſula conſtituti transfert veram poſſeſſionem tum civilem, tum naturalem. 2. 9 7. 296
Clauſula conſtituti utpote acceſſoria contractus ejus qualitates recipit: atque tum pure, tum ſub conditione, vel in diem ei adjici poteſt. 2. 9. 8. 296
Clauſula conſtituti appoſita in inſtitutione fideicommiſſi, vel juris patronatus quid operetur? Quid ſi adjecta fuerit in donatione, venditione, & emphyteuſi. 2. 9. 10., & 11. 297
Clauſulæ geminatæ enixam Principis voluntatem demonſtrant. 1. 1 18. 16
Clerici (exceptis epiſcopis, & monachis) tutelam conſanguineorum gerere poſſunt. 1. 12. 11. 85
Clerici bona tituli eccleſiaſtici donare nequeunt, niſi aliunde habeant, ex quo honeſte vivere poſſint. 2. 21. 14. 384
Clericus tutor an a judice laico compelli poſſit ad ſolutionem? 1. 30. 18. 171
Cognati hodie æque, ac agnati ad tutelam vocantur. Quo ordine? 1. 12. 16. 87
Columbarii jus habens vaſſallus non immodicum columbarum numerum tenere poteſt. 2. 7. 10. 276
Communi re ſocius uti non poteſt ad uſum, ad quem non fuit deſtinata, niſi alter conſentiat. 2. 12. 14. 324
Communionis intermedii parietis ſigna quæ veroſimiliora ſint? 2. 12. 4. 320

Confeſſio tutoris, vel curatoris pupillo, vel minori non nocet. 1. 22. 11. 119

Cooſeſſio ſiodici non nocet communitati. Quid de oppoſitione contractui: vel promiſſa indemnitate? 2. 2. 18. 236

Confeſſio eorum, quorum iotereſt, an probet filiationem? 1. 5. 8. 45

Confeſſioni mariti, qui aſſeruerit exiguam dotem uxori ſuæ conſtitutam fuiſſe, creditur, ut qoarta ei debeatur, donec aliud demonſtretur. 2. 16. 9. 349

Confirmatio tutoris. V. in v. Tutor.

Confraternitates an recenſeaotur inter univerſitates civiles? 2. 2. 1. 227

Congregatio legitimæ univerſitatis requiritur ad ſtatuta condenda. 1. 2. 5. 21

Conjugi ſecondo, quod plos relictum eſt, dividitur inter liberos primi matrimonii, licet patri heredes extiteriot. 1. 8. 17. 66

Conſanguineus an teſtis ſimul, & conſangnioei jure regio vices gerere poſſit? 1. 23. 30. 131

Conſenſus tacitus filiorum ſecundis parentis nuptiis unde colligatur. 1. 8. 14. 65

Conſenſus tacitus prædefuncti conjogis ſufficit, ut binubus retineat proprietatem bonorum libere relictorum. 1. 8. 12. 64

Conſiliariorum ſufficit duas ex tribus partibus intereſſe conſiliis univerſitatum. 2. 2. 9. 230

Conſilii ordinarii auctoritas regulariter ſufficit, aliquando tamen congregatio fit per capita domorum, vel ſuperadduotur conſiliarii. 2. 2. 16. 234

Conſilii ordinarii auctoritas ao ſufficiat in alienandis boois immobilibus univerſitatum? 2. 3. 18. 255

Conſtitutarius habet interdicta retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis. 2. 9. 9. 297

Conſtituti vis tranſit in heredes tum conſtituentis, tum conſtitutarii. 2. 9. 16. 300

Conſtituti beneficium ſpecifice implorandum eſt, & probanda identitas bonorum. 2. 9. 23. 302

Conſtituti beneficiom amittit, qui intra decennium rei poſſeſſionem adeptos non eſt, ſi alius interim eam invaſerit; nec peoes conſtituentem permanſerit. 2. 9. 24. 303

Conſtitutum non operatur, niſi adjectum ſit contractui licito, cujos conditiones ſequitur. 2. 9. 18. 301

Conſtitutum non valet, niſi conſtitutarius ſit præſens, vel, re integra, ratum habeat, quod geſtum fuit. 2. 9. 22. 302

per Conſtitutum poſſeſſio non transfertur, niſi conſtituens eo tempore poſſederit, vel nominatim aliud actum ſit. 2. 9. 19. 301

Conſuetudo immoderata ad rationis limites reducenda eſt. 1. 3. 1. 36

Conſuetudo potiſſimum juri contraria legitime inducta probari debet. 1. 3. 2. 36

Conſuetudo localis eſt, nec forenſes complectitur niſi io rem ſit. 1. 3. 4. 37

Cooſuetudo Bulgari, ex qua uſusfructus oxori relictus, liberis extantibus, reſtringitur ad alimenta, exceptionem habet, cum teſtator juſſit, mulierem immunem eſſe ab inventario, & ab obligatione reddendi rationes. 2. 16. 19. 353

Conſuetudine induci poteſt, ut major pars decurionum deſideretur in conventibus univerſitatum. 2. 2. 10 231

Cooſuetudinis eadem vis eſt, ac legis. 1. 3. 3. 36

Contractus geſti cum prodigo notorio, antequam publica auctoritate bonis ei interdictum ſit, an valeant? 1. 16. 4. 97

Contractus ab initio nullus utrum poſteriore tranſactione, vel veoditione firmetur? 1. 25. 3. 139

Contractus non reſcinditur, licet venditor ſervitutes a fuodo debitas per dolum celaverit. 2. 10. 4. 310

Contractus, qui noo tempore non perficiuntur, ſed progreſſum temporis habent, quocumque tempore ad æqualitatem, mutatis rerum adjunctis, reduci poſſunt. 2. 20. 24. 376

Creditor, & debitor tutelam gerere non poſſunt, excepta matre, & avia, nec oon tutore teſtamentario. 1. 12. 14. 86

Creditor an poſſit agere, ut ſibi rationes tutelæ reddantur. 1. 30. 8. 167

Creditores hypothecarii, oſufructuarii, & ſi miles naturaliter quidem, non tamen civiliter poſſidere iotelliguntur. 2. 9. 1. 294

Culpam levem præſtant tutores, præterquam in negotiis odioſis, vel arduis. 1. 31. 4, & 5. 180

Cura bonorum abſentis datur etiam feminæ, & Infanti ad ſuccedeodum proximiori. 1. 12. 13. 85

Cura bonorum muti, ſurdi, & ſimilium defertur proximioribos conſanguineis. 1. 16. 2. 96

Cura booorum abſentis defertur proximis io ſucceſſione conſanguineis. 1. 17. 5. 102

Cnra bonorum abſentis datur etiam feminæ, & infanti. 1. 17. 6. 102

Cora bonorum cum de abſentis vita dobitatur datur illi, qui potiore jore ioſtructus eſt, vel bona poſſidet. 1. 17. 7. 103

Curator ad lites an omnes cauſſas agere poſſit? 1. 15. 7. 95

Curator dandus eſt pupillo, qui judicio cum totore agere debeat. 1. 15. 8. 95

Digitized by Google

Curator bonorum abſentis datus quæ facere poſſit. 1. 17. 8. 103
Curator abſentis an hereditatem abſenti delatam adire poſſit? 1. 17. 9. 104
Curator abſentis poteſt jurare de calumnia, reſpondere poſitionibus, fateri aditionem hereditatis. 1. 17. 10. 104
Curator abſentis bonus datus ſatisdare debet, ſe diligenter, & fideliter adminiſtraturum. 1. 17. 11. 105
Curator ad lites datur minori invito, ſive ille actor ſit, ſive reus. 1. 15. 1. 93
Curatorem ad lites minori judex originis, vel domicilii plerumque dat, non judicii. 1. 16. 4. 94
Curatores furioſis, & ſimilibus dantur a judice originis, vel domicilii. 1. 16. 1. 96
Curatorum, qui pupillis aliquando dantur quale ſit officium? 1. 15. 9. 96

D

Datio in ſolutum bonorum immobilium univerſitatis regulariter fieri non poteſt, niſi adhibitis ſolemnitatibus alienationum. 2. 3. 3. 248
Deciſiones ſupremorum Magiſtratuum vim legis habent tantum in parte deciſiva, & in ratione decidendi non in ceteris. 1. 1. 27. 19
Delicti capax eſt univerſitas. 2. 2. 5. 229
Denunciationes privatæ extra judicium factæ an, & quibus caſibus valeant ad interrumpendam præſcriptionem. 2. 20. 16. 372
Diſtantia, quæ relinqui debeat inter unum, & alium parietem, vel inter duo ædificia? 2. 12. 17. 322
Diviſio rerum cum majore communium, majore ad diviſionem provocante, ſine decreto fieri poteſt. 1. 23. 4. 121
Diviſio rerum communium minori, & majori hoc ad diviſionem provocante, valere poteſt, licet tutor præſens non fuerit, ſi conſanguinei adſtiterint. 1. 23. 5. 122
Dominii origo non inſpicitur in ſtatuto feminas agnatorum favore a ſucceſſione domorum excludente: nec defuncti perſona. 1. 2. 25. 28
Dominium plerumque in maritum transfertur rerum, quæ in dotem æſtimatæ datæ ſint. Quid ſi res exteat, & maritus ſolvendo non ſit. 2. 26. 1. 413
Domus parte vendita cum omnibus juribus eidem annexis retentam partem pro arbitrio in diſpendium emtoris tollere non poteſt. Quid de errore? 2. 11. 2. 316
Donandi cauſſa impulſiva potius, quam finalis quibus conjecturis judicetur? 2. 22. 2. 403
Donantis heredes rem a defuncto promiſſam dare coguntur. 2. 21. 43. 399
Donare cauſſa mortis ex patris conſenſu poteſt, quamcumque rem, & quamcumque quantitatem peculii profectitii. 2. 24. 3. 411
Donare non poteſt dotem profectitiam patri ipſi filiafamilias, patre licet conſentiente. 2. 24. 4. 411
Donari non poteſt res litigioſa, nec quæ donare licet in diſpendium creditoris. 2. 21, 20. 387
Donatarii conſenſus neceſſarius eſt, ut valeat liberalitas in ipſum collata: ſufficit tamen quocumque modo præſtetur, atque etiam tacitus. 2. 21. 23. 388
Donatarii avunculus inſinuationis decretum interponere non poteſt. 2. 21. 33. 393
Donatarii heredes an donationem ex capite non ſecuti implementi revocare poſſint? 2. 22. 5. 404
Donatarius omnium bonorum an alimenta debeat liberis donatoris. 1. 6. 4. 49
Donatarius omnium bonorum præfertur heredi in interdicto adipiſcendæ, ſeu potius retinendæ poſſeſſionis, ſi adjecta fuerit, vel tacite ſubintelligatur clauſula conſtituti. 2. 21. 44. 399
an Donatarios omnium bonorum æs alienum a donante prius contractum ſolvere debeat? 2. 21. 47. 400
Donatarius erga creditores donantis non tenetur ultra id, quod accepit, niſi reſponderit, ſe ſoluturum omne æs alienum. 2. 21. 49. 401
Donatarius, modo etiam non impleto, ex quo donatio revocatur, poteſt ex donantis voluntate manere in rerum donatarum poſſeſſione. 2. 25. 6. 414
Donatio propria inter vivos eſſe poteſt, licet ejus executio, ſive effectus poſt mortem donantis deferatur. 2. 21. 1. 378
Donatio facta filio contemplatione matrimonii non præſumitur ſucceſſiva, ſed ſimultanea. 2. 21. 4. 380
Donatio facta filio contemplatione matrimonii ex conjecturis ſucceſſiva dici poteſt. 2. 21. 5. 381
Donatio facta a muliere de ſuis dotibus filiæ nupturæ an ex cauſſa ſupervenientium donanti liberorum revocetur. 2. 21. 7. 382
Donatio facta a patre liberis in poteſtate conſtitutis, valet dummodo merita non excedat. 2. 21. 8. 382
Donatio facta a patre liberis in poteſtate conſtitutis ratihabitione expreſſa, vel tacita con-

firmatur. Quid ſit expreſſæ ratihabitionis effectus? 2. 21. 9. 382
Donatio bonorum omnium tum præſentium, tum futurorum an valeat? Quid ſi donatio bonorum uſumfructum ſibi exceperit? 2. 21. 15. 385
Donatio non perficitur, niſi ex donatarii, & donantis potiſſimum voluntate libera, & ſimulationis experte. 2. 21. 21. 387
Donatio regulariter non præſumitur; interdum tamen ex conjecturis admittitur, maxime inter conjunctos. 2. 21. 22. 388
Donatio pluribus facta ſimultanee, vel ſucceſſive an omnium conſenſum requirat. 2. 21. 24. 388
Donatio propter nuptias, vel jurejurando firmata valere poteſt antequam donatarius in eam conſenſerit. 2. 21. 25. 389
Donatio abſenti facta, & a notario tamquam publica perſona, abſentis nomine acceptata, utrum ante ratihabitionem abſentis revocari poſſit? 2. 21. 28. 390
Donatio abſenti facta, ſi præter notarium pater ipſe ſtipuletur, revocari amplius nequit, etiam nec dum ſecuta ratihabitione. 2. 21. 29. 391
Donatio omnino inſinuanda eſt apud acta judicis, nec remitti poteſt a donatore, aut prætermitti ex partium conſenſu. 2. 21. 30. 392
Donatio minime inſinuata non nocet creditoribus, neque anterioribus, neque etiam poſterioribus. 2. 21. 31. 991
Donatio remuneratoria, reciproca, vel ob cauſſam inſinuationi non ſubeſt. 2. 21. 37. 395
Donatio favore matrimonii inſinuatione non indiget, ſive filio, ſive filiæ fiat, ſive dotis, ſive paraphernorum nomine, 2. 21. 36. 394
Donatio, quæ coram judice celebretur, inſinuationis neceſſitati non ſubeſt. 2. 21. 39. 396
Donatio niſi ob cauſſam ſit, non irritatur, niſi ex cauſſa læſionis enormiſſimæ, quæ cauſſam finalem tangat. 2. 22. 1. 402
Donatio ſimplex ex cauſſa ingrati animi, atque ob liberos donatori ſupervenientes irritatur, non vero remuneratoria. 2. 22. 3. 403
Donatio ob cauſſa firma manet, licet donatarius ingratus ſit, vel liberos deinde ſuſceperit. 2. 22. 4. 403
Donatio revocari poteſt ob denegata donanti alimenta; ſaltem ſi ſub hac conditione donatio fuerit celebrata. 2. 22. 6. 404
Donatio liberis ex reſcripto Principis legitimatis non revocatur, tametſi donatori deinceps naſcantur filii ex juſtis nuptiis. 2. 22. 7. 405
Donatio ex liberis deinde donanti natis ipſo jure non revocatur; ſed arbitrio patris, qui poteſt eam expreſſe, vel tacite confirmare. 2. 22. 9. 406
Donatio ex liberis ſupervenientibus non revocatur, niſi donationis tempore pater nullos habuerit liberos, & de futuris filiis non cogitaverit. 2. 22. 10. 407
Donatio facta contemplatione matrimonii ſive proprii, ſive alieni non poteſt ob ſupervenientes donatori liberos revocari. 2. 22. 11. 408
Donatio facta favore agnationis, ejus conſervandæ, & amplificandæ cauſſa revocationi ex ſupervenientibus liberis non ſubeſt 2. 22. 12. 409
Donatio ſimplex in legitimam filii donatarii non imputatur. 2. 23. 2. 410
Donatio non abit in donationem cauſſa mortis reſervata facultate diſponendi de tota re donata, vel ejus parte. 2. 24. 1. 410
Donatio inter vivos ſub ea conditione facta, ut donatarius rem donatam alteri aliquando reſtituere debeat, continet ſubſtitutionem fideicommiſſariam. 2. 25. 1. 411
Donatio pluribus ſucceſſive facta contemplatione matrimonii, & favore agnationis revocari non poteſt, quamvis poſteriores donatarii eam nondum ratam habuerint. 2. 25. 3. 412
Donatio inſinuanda eſt a parentibus in liberos, vel a liberis in parentibus collata. 2. 21. 25. 389
Donatione propter liberos a donatore poſtea genitos revocata, non reſtituuntur res bona fide alienatæ, nec fructus, niſi pactum hoc expreſſe adjectum fuerit. 2. 22. 13. 409
Donatione pluribus ſucceſſive facta an poſterioribus donatariis quæratur actio realis ad rem donatam perſequendam, an perſonalis tantum? 2. 25. 2. 412
Donationem infanti factam pater probare, ſeu acceptare poteſt. 2. 21. 26. 390
Donationes modicæ, tum quæ fiunt occaſione nuptiarum pupillis, & minoribus permittuntur ſine decreto. 1. 22. 9. 119
Donationes factæ ante patratum ſcelus, quod bonorum publicatione coerceatur in fraudem fiſci factæ revocantur. 2. 21. 2. 379
Donationis inſinuatio repeti poteſt per procuratorem ſpeciali mandato inſtructum, non tamen per donationem. 2. 21. 32. 393

Donationis inſinuatio Romano jure remittitur, ſi illa facta ſit in piam cauſſam. An hæc apud nos vigeant? Quid de donationibus contemplatione matrimonii? 2. 21. 34. 393
Donationis inſinuatio inofficioſæ querela competit filiis parentibus, & fratribus turpi perſonæ poſtpoſitis: niſi fraudis ſuſpicio adſit. 2. 23. 1. 409
Donationis ſub modo celebratæ, modo non impleto revocandæ jus habet, qui expreſſe, vel tacite hanc legem donando dixit. 2. 25. 5. 413
ſi Donator omnia bona ſua in alterum contulerit, ita tamen, ut de certa re, vel quantitate diſponeret, nec tamen diſpoſuerit, hæc ad donatarium pertinent. 2. 21. 16. 385
Donator gaudet beneficio competentiæ, nec uſuras rei donatæ, nondum tamen traditæ. 2. 21. 46. 400
Donator, cui poſt donationem liberi ſupervenerint, pro arbitrio poteſt donationem revocare, vel ratam habere. 2. 22. 8. 406
Donator, poſt donationem abſolutam nec modum, nec conditionem adjicere poteſt, quæ in diſpendium donatarii cedat, utique vero donationis ambigua verba explicare. 2. 25. 4. 413
Donatum ex metu vindicari poteſt etiam adverſus tertium poſſeſſorem, qui nec metum, nec vim intulit. 2. 21. 40. 397
Dos congrua in ſubſidium ſuper domibus dari debet filiabus a ſucceſſione domorum excluſis. 1. 2. 29. 30
Dos puellæ nupturæ congrua dari debet, nec non corredum, quæ dos congrua exiſtimetur? 2. 26. 10. 420
an Dos legitimæ æqualis, vel æqualis utrum eſſe debeat? 2. 26. 11. 420
Dos a patre promiſſa de ſuis, & maternis, vel filiæ bonis tota ſolvi debet ex bonis paternis, niſi conſtet, aliud voluiſſe patrem, cum dotem promiſit. 2. 26. 38. 435
Dos conſtituta in priore matrimonii repetita præſumitur ex ſententia pragmaticorum in poſteriore, quod cum alio viro contractum fuerit. 2. 26. 45. 439
Dos prioris matrimonii an cenſeatur repetita in poſteriore etiam quoad lucrum dimidiæ dotis marito datum, cum mulier ſine liberis decedit? 2. 26. 47. 426
Dos priorum nuptiarum non cenſetur in poſterioribus repetita, ſi maritus primam dotis conſtitutionem ignoraverit. 2. 26. 48. 440
Dos conſtituta in priore matrimonio non cenſetur repetita in ſecundo, ſi dos mulieri reſtituta fuerit, antequam ad ſecundas nuptias tranſiret. 2. 26. 49. 441
Dos, conſtante matrimonio, augeri poteſt: augmentum autem iiſdem legibus regitur, ac dos ipſa, cujus acceſſio, & pars reputatur. 2. 26. 50. 441
Dotata intelligitur mulier, ut a quarta in bonis mariti excludatur, quæ dotem habet conditioni ſuæ congruam licet reditus ad alimenta non ſufficiant. 2. 26. 11. 350
Dotem ſuam alienare poteſt, ut dotem filiæ nupturæ conſtituat. 2. 21. 6. 381
Dotem nepti in patris ſubſidium dare tenetur avus, quamvis ſui juris per emancipationem facta ſit. 2 26. 6. 418
Dotem ſe filiæ daturos quid ſi pater, & mater ſimul, & in ſolidum promiſerint? 2. 26. 37. 435
Dotem promiſiſſe non intelligitur, qui dixit, *volo dare*: maxime ſi ex eorum numero ſit, quibus dotandi onus non incumbit. 2. 26. 43. 438
Dotem dare debet filiæ emancipatæ pater, æque ac filiæ in poteſtate retentæ. 2. 26. 3. 416
Dotem nepti dare tenetur avus paternus primo loco præ matre: 2. 26. 9. 419
Dotis titulo legatum a patre relictum fuiſſe intelligitur, non conditionale, pendens a conditione nuptiarum. Quid ſi pater aliud inſuper filiæ reliquerit? 2. 26. 19. 429
Dotis legatum filiæ relictum a patre purum eſt in eo, quod excedit legitimam. 2. 26. 20. 425
Dotis legatum nomine ab extraneo relictum, nonniſi ſecutis nuptiis ſolvi debet; ſtatim vero, quod a patre: niſi conſtet, diem, vel conditionem ineſſe ex patris voluntate. 2. 26. 21. 427
Dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ cauſſa fideicommiſſi vinculo ſuppoſitorum bonorum quæ quantitas diſtrahi poſſit. 2. 26. 26. 430
Dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ cauſſa primogenio, vel majoratui ſuppoſita bona poſſunt alienari. 2. 26. 28. 430

E

Eccleſiæ, pia loca, & univerſitates gaudent jure minorum quoad reſtitutionem ex cauſſa læſionis. 1. 35. 7. 192
Eccleſiæ, vel pii loci bona quibus ſolemnitatibus adhibitis vendi poſſint? 2. 3. 26., & 27. 259
Educari, ſi nihil obſtat, debet pupillus apud eum, quem pater elegit. 1. 20. 1. 112

Digitized by Google

Educatio pupilli credenda eſt illi, quem extraneus pupillum heredem ſcribens nominavit, patre licet invito. 1. 12. 5. 82
Educatio pupilli permitti poteſt matri etiam binubæ. 1. 20. 4. 113
Educatio pupilli an credi poſſit matri malæ adminiſtrationis ſuſpectæ. 1. 20. 5. 114
Emancipatio quibus ſollemnitatibus fieri debeat? 1. 11. 1. 79
Emere non poteſt tutor a pupillo, nec cum eo contrahere 1. 22. 10. 119
Emphiteuſis rerum immobilium univerſitatis an venditionis, & dationis in ſolutum ſolemnitates requirat. 2. 3. 4. 248
Emta res ex pecunia pupilli, vel minoris pupillo, vel minori acquiritur. 1. 22. 6. 118
Emta in re nummis ſuis a tutore pupillus hipothecam habet cum prælatione adverſus creditores anteriores. 1. 32. 4. 182
Emta ſi res ſit ex pecunia pupilli ab extraneo, an pupillo hypotheca cum prælatione competat. 1. 32. 6. 183
Epiſtolæ principis reſcriptis contrariæ an recipi debeant? 1. 1. 20. 16
Exceptio de jure tertii, quæ jus agentis excludit, allegari poteſt a tertio, cujus intereſt. 1. 23. 42. 136
Excuſare ſe non poteſt, qui ſemel tutelam, vel curam ſuſcepit, niſi nova superveniat cauſſa. 1. 28. 16. 158
Excuſare an ſe poſſit, qui patri pupilli promiſit, ſe tutelam ſuſcepturum, vel tamquam teſtis ſubſcripſit teſtamento, in quo tutor teſtamento nominatus fuit. 1. 28. 7. 153
Excuſat a tutela adminiſtratio rei fiſcalis, Quid de generali gabellario ſalis. 1. 28. 3. 151
Excuſationem an præbeat a tutela lis cum pupillo, vel diviſio rerum communium? 1. 28. 11. 155
Excuſationem a tutela, vel cura præbet ætas ſeptuaginta annorum completa. 1. 28. 5. 152
Excuſationem an plures cauſſæ ſimul junctæ a tutela præbere poſſint, quæ ſeorſim non ſufficerent. 1. 28. 12. 156
Excuſationis cauſſæ ſigillatim judici aperiendæ ſunt, ut ſtatuere poſſit, an danda ſit immunitas, nec ne. 1. 28. 13. 157
Excuſationis a tutela, vel cura cauſſæ intra quod tempus allegari debeant? 1. 28. 14. 157
Excuſationis cauſſas perpendens judex a tutela, vel cura vocare debet conſanguineos minoris, vel curatorem dare. 1. 28. 15. 158
Executio ſententiæ non poteſt fieri contra univerſitatis conſiliarios, niſi negligentia ipſis imputari poſſit, cur creditoribus ſatisfactum non ſit. 2. 2. 33. 243
Executio ſententiæ an differri debeat propter meliorationes a poſſeſſore ad rem reſtituendam condemnato petitas. 2. 8. 28. 290
Extenſio ſtatutorum ex rationis identitate de caſu ad caſum fieri poteſt etiam contra jus commune. 1. 2. 19. 27
Expenſæ V. in V. impenſæ.

F

Factum venire non judicatur contra proprium, qui alio nomine agit. 1. 25. 13. 143
Feneſtras in muro communi plerumque non licet aperire. 1. 12. 9. 84
Feuda, aliæve quæcumque res, ad quæ ſucceſſores veniunt jure proprio, non defuncti, an ſubſint uſucapioni. 2. 20. 4. 366
An feuda donari poſſint? 2. 21. 18. 386
Feudalia bona etiam primogenio ſuppoſita ex cauſſa dotis alienari poſſunt. 2. 26. 30. 432
Feudalia bona apud nos alienari poſſunt ex cauſſa dotis conſtituendæ. An ſucceſſor in feudo dotem dare teneatur filiabus defuncti vaſſalli, qui bona allodialia non reliquerit? 2. 26. 31. 432
Fideicommiſſa, an præſcriptionibus ſubjaceant. 2. 20. 3. 365
Fideicommiſſaria bona alienari non poſſunt, ut dos conſtituatur, vel reſtituatur, niſi in ſubſidium. Quid ſi teſtator alienationem ex quacumque cauſſa prohibuerit? Quæ bonorum quantitas in hac cauſſa alienari poſſit? 2. 26. 25. 429
Fideicommiſſaria bona an ex cauſſa dotis conſtituendæ poſſint alienari, ſi alia non ſint bona libera: filia tamen aliunde dotem habeat. 2. 26. 29. 431
Fideicommiſſaria, vel feudalia bona uſusfructus omnium bonorum non præſumitur continere. 2. 16. 17. 332
Fideicommiſſariam ſubſtitutionem continet donatio inter vivos ſub ea conditione facta, ut donatarius rem donatam alteri aliquando reſtituere debeat. 2. 25. 1. 418
Fideicommiſſo vinculo ſuppoſitorum bonorum quæ quantitas diſtrahi poſſit ex cauſſa dotis conſtituendæ, vel reſtituendæ. 2. 26. 26. 430
Fid. jubens filius pro parte ex cauſſa neceſſitatis, vel ut eum carceribus eximat læſus non videtur. Quid de fratre?
Fidejuſſio minoris an valeat, ſi filius prohibitus, ne bona ante annum XXV. alienet, pro alio minore fidejubeat? 1. 37. 1. 198

Fidejuſſor tutoris ad ea omnia in ſubſidiom tenetur, quæ ipſe tutor actione tutelæ præſtare cogitur. 1. 34. 1. 189

Fidejuſſorum loco habentur, qui aliquem coram judice idoneum ad tutelam gerendam affirmaverint. Quid ſi tamquam teſtes? An idem jus in majoribus ſervetur? 1. 34. 2. 189

Fidem bonam habere poteſt, qui rem a non domino emit. An qui dubitat in bona fide ſit? 2. 8. 11. 282

Fides mala in altero contrahente non præſumitur, ſed probaoda eſt. 2. 8. 12. 283

Filia familias, patre licet conſentiente, donare cauſſa mortis non poteſt dotem profectitiam patri ipſi. 2. 24. 4. 411

Filiabus a ſucceſſione domorum excluſis dos congrua in ſubſidium ſuper domibus dari debet. 1. 2. 29. 30

Filiæ emancipatæ dotem dare debet pater æque ac filiæ in poteſtate retentæ. 2. 26. 3. 416

Filiatio teſtibus probatur. Quæ requirantur in teſtium depoſitione. 1. 5. 7. 45

Filiatio naturalis probanda eſt ab aſſerente, qui ſucceſſionem inteſtatam petit, ſecus ſi teſtamentariam. 1. 5. 12. 47

Filiatio oaturalis quibus modis probetur. 1. 5. 13. 47

in Filiatione probaoda leviores recipiuntur probationes. 1. 5. 1. 42

Filiationem ao probet fides parochi? 1. 5. 9. 45

Filiationem probat nominatio alicuius in filium a patre facta publice, & aſſertive. 1. 5. 4. 43

Filiationis probandæ modus fortior deſumitur ex cohabitatione viri, & mulieris. 1. 5. 2. 43

Filiationis indicium præbet inſtitutio alicujus tamqnam filii. 1. 5. 5. 44

Filiifamilias, mutuo excepto, a patribusfamilias non ſecernuntur. 1. 4. 1. 37

Filii nati ex matrimonio bona fide, in facie eccleſiæ, & ſolemniter contracto legitimi habentur. 1. 4. 2. 38

Filii naturales hodie eenſentur de ſanguine, & agnatione. 1. 4. 3. 38

Filii noudum nati, cum de ipſorum commodo agitur, pro natis habentur. 1. 4. 4. 39

Filius, qui pro patre fidejuſſit, reſtitui poteſt. Quid ſi jusjurandum donationi, vel fidejuſſioni adjectum fuerit? 1. 35. 9. 193

Filius fidejubens pro patre ex cauſſa neceſſitatis, vel ut eum carceribus eximat, læſus non videtur. Quid de fratre? 1. 35. 10. 194

Filiusfamilias donare poteſt bona peculii caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis. An & peculii adventitii irregularis? 2. 21. 11. 38

Filiusfamilias donare cauſſa mortis poteſt peculium caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, & adventitium irregulare, non regulare, nec profectitium, niſi ex conſenſu patris. 2. 24. 2. 410

Filius præſumitur, qui a viro, & uxore tamquam filius habitus, baptizatus, & educatus fuit. 1. 5. 3. 43

Filius legitimatus in primogeniis, & fideicommiſſis præfertur filio poſtea oato ex juſtis nuptiis. 1. 9. 7. 78

Fiſcus ex cauſſa læſionis in integrum reſtitui poteſt. 1. 35. 8. 193

Flumina, portus, viæ publicæ, regaliis adſcribuntur 2. 1. 2. 213

Flumen inter duo dominia decurrens commune cenſetur. 2. 1 2. 213

in Fluminibus publicis, vel ripis nihil fieri poteſt principe non permittente, quo aliter aqua fluat. Quid de molendinis? 2. 1. 3. 213

Forenſes ſicuti fruuntur juribus realibus loci, ita & oneribus rei impoſitis ſubjiciuntur. 1. 1. 21. 16

Forenſes an ligentur ſtatutis locorum, in quibus bona poſſident. 1. 2. 13. 23

Forenſes gaudent beneficio ſtatuti quoad bona in loco ſtatuti poſita. 1. 2 15. 24

Forenſes au ligentur conſuetudine? 1. 3. 4. 37

Forenſis non utitur ſtatuto proprii territorii, quod contrarium ſit ſtatuto loci bonorum. 1. 2. 16. 25

Fori privilegio an gaudeant pupilli, com rationes a tutoribus poſtulant. 1. 30. 19. 172

Frater, & patruus io ſubſidium alimeota debent. 1. 6. 3. 48

Fructibus in æſtimandis caſuum fortuitorum rationem habere debet judex. 2. 8. 23. 288

Fructus excedentis portionis a noverca, vel vitrico percepti ex die mortis ſecundi conjugis reſtitui debent. 1. 8. 26. 71

Fructus quomodo æſtimentur? 1. 23. 27. 130

Fructus a bonæ fidei poſſeſſore percepti compenſantur cum ſumtibus meliorationum 2. 3. 14. 284

Fructus melioramentorum non compenſantur cum impenſis, ſed ad poſſeſſorem, licet malæ fidei, pertinent. 2. 8. 16. 285

Fructus omnes reſtituit heres poſſeſſoris malæ fidei, quamvis ignoret rem alieoam eſſe. 2. 8. 18. 285

Fructus ante ſententiam non petiti, utrum in executione judicati peti poſſint? 2. 8. 20. 286

Fructus omnes, quos percepit, reſtituit poſſeſſor malæ fidei: malæ autem fidei fit, ex quo habet ſcientiam rei alienæ. 2. 8. 17. 285

Fructuum, qui ex tutoris negligentia minime percepti allegentur, quomodo fiat æſtimatio. 1. 31. 3. 179

Fructuum valor, & quantitas demonſtrari debet a fundi domino, qui eos petit fructuum quantitas eadem ſemper præſumitur. 2. 8. 21. 287

Fructuum quantitas, & valor potiſſimnm probatur teſtibus. Quid ſi teſtes diſſentiant? 2. 8. 22. 287

Furnus juxta parietem communem exſtrui poteſt, niſi grave vicinn damnum immineat. 2. 12. 8. 322

H

Hauſtum aquæ habenti competit quoque iter ad hauriendam aquam, & viceverſa. 2. 13. 22. 335

Heredes donantis rem a defuncto promiſſam dare coguntur. 2. 21. 43. 399

Hereditas damnoſa reputatur, quamvis ſolvendo ſit, ob negotiorum difficultatem, & magnum æris alieni cumulum. 1. 38. 3. 202

Hereditas univerſitati delata, nondnm tamen adita, an repudiari poſſit ſine ſolemnibus? 2. 3. 8. 250

Hereditas intra quod tempns adeunda ſit a ſuis heredibus, præſcriptione alioquin repellendis. 2. 20. 23. 375

Hereditatis adeundæ, vel repndiandæ reſtitutio. V. in verbo Reſtitutio.

Heres tutoris rationes reddere tenetur: atque heredibus pupilli reddendæ ſunt. 1. 30. 5. 166

Heres tutoris præſumtionem bonæ fidei pro ſe habet. 1. 30. 28. 177

Heres teſtatoris, qui binas ædes habebat, & unam legavit, poteſt alteram tollere, licet officiat luminibus legatarii, dummodo lumen relinquat in uſus hndierni moderationem. 2. 11. 3. 317

Homo an præſumendus ſit vivere centum annis? 1. 17. 13. 106

Hoſpitalia an inter pia loca connumerentur? 2. 2. 1. 227

Hypotheca an competat debitori, vel creditoribus in bonis curatoris? 1. 17. 2. 100

Hypntheca bonorum immobilium minoribus ſine judicis decreto prohibetur. 1. 23. 8. 122

Hypotheca competit pupillis, & minoribus in bonis tutorum, & curatorum, ſed ſine prælatione odio creditorum anteriorum. 1. 32. 1. 180

Hypotheca ex uſu fori datur omnibus, quorum bona ab alio adminiſtrata fuerint in bonis eornm, qui adminiſtraverunt: & rationes adminiſtrationis reddere tenentur 1. 32. 2. 181

Hypntheca pupillis, & minoribus in quorum bnnis competat? 1. 32. 3. 182

Hypntheca pupillorum, & minorum in bonis tutorum, & cnratorum incipit a die, quo hi gerere debuerunt. 1. 32. 7. 134

Hypotheca ex jure romano non competit univerſitati in bonis adminiſtratorum, utique ex uſu fori. 2. 5. 2. 267

Hypotheca tacita competit univerſitati pro tributis etiam cum prælatione. 2. 5. 3. 268

Hypotheca non competit tutoribus, & curatoribus in bonis pupillorum, & minorum. 1. 23. 1. 120

Hypothecæ jure, non niſi redditis rationibus, regulariter agi poteſt contra tertios poſſeſſores. 1. 32. 8. 185

I

Ianuam claudere poteſt nocturno tempore ille, qui ſervitutem tranſitus debet. Qua hora? 2. 13. 4. 328

Impenſæ melioris effecti prædii ex uſu fori actione petuntur. 1. 23. 41. 136

Impenſæ neceſſariæ, & utiles reſtitui debent poſſeſſori bonæ fidei. An & malæ? 2. 8. 24. 188

Impenſæ neceſſariæ factæ pnſt litem conteſtatam poſſeſſori reſtitui debent? An etiam utiles? 2. 8. 25. 188

Impenſæ voluptuariæ nec bonæ, nec malæ fidei poſſeſſori reſtituuntur. Sed utrique licet eas tollere ſine rei detrimento. 2. 8. 26. 289

Impenſæ meliorationum æſtimantur ex fructu, ſen ex quo fundus melior effectus eſt. 2. 8. 29. 291

Impenſæ in fundi utilitatem quocumque modo erogatæ poſſeſſori reſtitui debent a domino. 2. 8. 34. 293

Impenſas ad repetendas competit ex uſu fori actio, ſi res reſtituta fuerit; alioquin poſſeſſor habet retentionem: ſi liquidæ ſint: pro illiquidis injungitur cautio. 2. 8. 27. 289

Indotata mulier reputatur, quæ exiguam omnino dotem habet. 2. 16. 8. 349

Inſinuanda eſt donatio a parentibus in liberos, vel a liberis in parentibus collata. 2. 21. 35. 394

Inſinuanda eſt donatio apud acta judicis, nec remitti poteſt a dnnatore, aut prætermitti ex partium conſenſu. 2. 21. 30. 391

Inſinnari an debeat donatio jurejurando firmata? 2. 21. 38. 396

an Inſinuatio neceſſaria ſit, cum remittitur jus plene, vel minus plene quæſitum? Quid

Digitized by Google

ſi remittatur tranſactionis, vel novationis titulo? 2. 21. 41. 397
Inſinuatione non indiget donatio favore matrimonii, ſive filiæ fiat, ſive dotis, ſive paraphernorum nomine. 2. 21. 36. 394
Inſinuationi non ſubſunt donationes rerum mobilium, quæ brevi manu fiunt. 2. 21. 40. 397
Inſinuationi non ſubeſt donatio remuneratoria, reciproca, vel ob cauſſam. 2. 21. 37. 395
Iuſtitutionis titulus an, fraude legi facta, aliquando ceſſet odio ſecundi conjugis. 1. 8. 20. 68
Inſula in flumine nata cujus ſit? 2. 8. 6. 281
Interinatio omnino neceſſaria eſt, cum agitur de conceſſionibus principis bonorum demanialium. 1. 1. 2. 9
ad Interrumpendam præſcriptionem an, & quibus caſibus denunciationes privatæ extra judicium factæ valeant? 2. 20. 16. 372
Interrumpitur, ſeu ſuſpenditur præſcriptio etiam longiſſimi temporis, ſi nullus ſit legitimus contradictor. 2. 20. 21. 374
Interruptio civilis uſucapionis, nec prodeſt, nec nocet illis, qui judicio non adfuerunt. 2. 20. 15. 371
Inventario etiam nondum facto, judex poteſt alienationem permittere, ſi aliunde inſtructus ſit. 1. 19. 10. 111
Inventario nondum completo, an tutor recte gerat? 1. 19. 4. 109
Inventarium non vitiat omiſſio rerum levioris momenti. 1. 19. 1. 108
Inventarium an ex voluntate teſtatoris omitti poſſit? 1. 19. 6. 109
Inventarium omittens tutor qua pœna plectatur? 1. 19. 7. 110
Iter in dubio potius, quam via, vel actus conceſſum intelligitur. 2. 13. 5. 329
Itineris dominus fundi dominantis ſemel electum locum mutare non poteſt, utique vero dominus fundi ſervientis, ſi alteri non noceatur. 2. 13. 1. 327
Itineris, ſeu tranſitus in poſſeſſione retinetur, qui probat, nec vi, nec clam, nec precario ſe poſſidere 2. 13. 7. 329
Judex non niſi ex diligenti cauſſæ inquiſitione recedere debet a patris voluntate. Quid de matre? 1. 20. 2. 112
Judicis interventus neceſſarius eſt in conſiliis univerſitatum. An nulli alioquin ſint actus? 2. 2. 8. 230
Judicis ſententia, qua quis mitti jubeatur in poſſeſſionem, non acquiritur poſſeſſio, ſi poſſidens contradicat. 2. 9. 3. 295
Judicis decretum male interpoſitum pro irrito habetur. 1. 23. 25. 129
Jura, & actiones ad res immobiles veniunt immobilium nomine, cum agitur de alienandis rebus univerſitatis. 2. 3. 11. 252
Jurare poteſt in litem minor tum odio curatoris, tum etiam odio tutoris. 1. 30. 20. 172
Jurari poteſt in litem contra tutorem, qui rationes non reddat, vel male reddat; niſi juſta aliqua cauſſa eum excuſet. 1. 30. 26. 176
Jurari poteſt in litem etiam contra heredem tutoris, ſi doli mali reus ſit. 1. 30. 27. 176
Jurari poteſt in litem adverſus tutorem, qui non edat librum rationum, & inſtrumenta pupillaria. 1. 19. 11. 111
Juretur an in litem adverſus tutorem, qui ex levi culpa inventarium omiſerit? 1. 19. 8. 110
Juratur cum in litem judex, ſummam definire debet, ad quam uſque juretur? 1. 19. 9. 111
Juris periti an excuſentur a tutela, & cura? 1. 28. 6. 153
Jusjurandum litis deciſivum deferri poteſt actori univerſitatis. Quid ſi univerſitas per adminiſtratores inſtructos jurare nolit? 2. 4. 4. 266
Jusjurandum a tutore, vel curatore, præſtandum ad tutelæ ſubſtantiam non pertinet. 1. 18. 3. 107
Jus patronatus V. in V. patronatus.
Jus patronatus an vendi poſſit, vel alienari? 2. 1. 1. 212

L.

Læſio probanda eſt ab eo, qui beneficium reſtitutionis implorat. 1. 35. 3. 190
Læſio res eſt facti incerti, quæ a judicis prudentis arbitrio pendet: generatim tamen ſufficit ad reſtitutionem læſio in tertia pretii parte. 1. 35. 4. 191
Læſio probanda eſt de tempore contractus, niſi contractus habeat tractum, ut ajunt, ſucceſſivum. 1. 35. 6. 192
Læſionis probandæ modus potior eſt, qui fit per teſtes, qui deponant de rei valore, vel annuo reditu. 1. 35. 5. 191
Læſionis ſcientia non præſumitur nec in herede, qui fateatur hereditatem magno ære alieno gravatam eſſe, vel qui a creditoribus vexetur. 1. 41. 2. 208
Legati plene proprietatis jure a marito an proprietatem amittat mulier per ſecundas nuptias? 1. 8. 9. 62
Legatum proprietatis fundi non convertitur in legatum uſusfructus, quamvis teſtator adjecerit, ſe ita legare, ut legatarius inde percipiat alimenta, vel ut fundo utatur, fruatur. 2. 16. 3. 347

Digitized by Google

Legatum annuæ præſtationis loco pio ſolvendæ an, & quo temporis ſpatio præſcribatur? 2. 20. 27. 377
Legatum ab extraneo relictum mulieri dotis nomine conditionale eſt, nec debetur, niſi nuptiæ contrahantur. 2. 26. 17. 424
Legatum a patre relictum filiæ dotis titulo purum intelligitur, non conditionale, pendens a condizione nuptiatum, niſi pater aliud inſuper filiæ reliquerit. 2. 26. 19. 426
Legamm dotis filiæ relictum a patre purum eſt, etiam in eo, quod excedit legitimam. 2. 26. 20. 426
Legatum dotis nomine ab extraneo relictum, non niſi ſecutis nuptiis ſolvi debet: ſtatim vero, quod a patre, niſi conſtet diem, vel conditionem ineſſe ex patris voluntate. 2. 26. 21. 427
Leges quædam ſunt viribus ex tacito principis conſenſu deſtitutæ, quia uſu receptæ non fuerunt. 1. 1. 1. 9
Leges naturali æquitati conſentaneæ per interpretationem facile extenduntur. 1. 1. 8. 12
Leges pœnales extendi poſſunt ex rationis identitate. 1. 1. 10. 12
Leges municipales juri communi contrariæ ſtrictam plerumque recipiunt interpretationem. 1. 1. 11. 12
Legi præcipienti, vel prohibenti, quæ publicum bonum reſpiciat, renunciari non poteſt. 1. 1. 5. 10
Legi hac edictali 6. cod. de ſecundis nuptiis filii an renunciare poſſint? 1. 8. 19. 67
Legitima filiorum an prius deduci debeat, quam æſtimetur filialis ſecundi conjugis portio? Quid ſi pater uni ex liberis prioris matrimonii minus legitima reliquerit? 1. 8. 24. 69
Legitima ſtatuto minui poteſt. 1. 2. 10. 22
Legitima an denegetur filiabus ſtatuto excluſis a ſucceſſione? 1. 2. 41. 34
Legitimæ petendæ jus an habeat filia, quæ læſa in dote reſtitui poteſt? 2. 26. 13. 415
Legitimare poteſt princeps propter utilitatem. 1. 9. 1. 75
Legitimati omnia legitimorum jura conſequuntur. 1. 9. 2. 76
Legitimationis quæ ſit vis ſi filius ad preces patris legitimatus fuerit ea lege, ut ſuccedere poſſit in ea parte, quam pater conſtituit: pater autem ab inteſtato deceſſerit. 1. 9. 3. 76
Legitimatus filius plerumque excludit ſubſtitutum. 1. 9. 6. 77
Legitimatus filius in primogeniis, & fideicommiſſis præfertur filio poſtea nato ex juſtis nuptiis. 1. 9. 7. 78
Lex fundata in præſcriptione periculi, utrum in omni caſu vires ſuas exerat? 1. 1. 6. 11
Liber ſtatutorum, ſi in archivio communitatis reperiatur, licet nec inſcriptum, nec ſubſcriptum, probari poteſt. 1. 2. 9. 22
an Liber rationum probet pro ſcribente æque ac contra ſcribentem? 1. 30. 23. 174
Liberatio etiam data in tranſactione, non redditis rationibus, tutori, vel curatori non prodeſt. 1. 30. 31. 178
Liberatio conceſſa tutori, aut curatori non prius redditis rationibus, vel in qua dolus, aut error intervenerit, nulla eſt. 1. 33. 5. 188
In Liberationibus tutorum, & curatorum quæ ſint ſolemnitates adhibendæ? 1. 33. 4. 187
Libertinis dedititiis comparantur talliabiles. 1. 5. 5. 44
Locari poſſunt ſine ſolemnibus res immobiles minorum ad modicum tempus. 1. 37. 6. 200
Locari an poſſint bona univerſitatum ſine ſolemnibus? Quæ apud nos noviſſimo jure obtineant? 2. 3. 9. 251
Locata res cum clauſula conſtituti pendente locationis tempore alienari non poteſt in diſpendium conductoris. 2 9. 13. 298
Locatio rerum eccleſiæ ultra triennium ſine ſolemnitatibus fieri non poteſt. 2. 3. 10. 251
Ex Locatione probari poteſt poſſeſſio. 2. 9. 32. 306
Locationes privatæ an ſextæ augmentum admittant. 1. 37. 6. 200
Loci cujus ſtatuta in bonis attendantur. 1. 2. 14. 24
Lucrum dotis quatenus a ſtatuto diferatur? 1. 2. 17. 25
Luminis non apetiendi ſervitus non præſumitur conſtituta, quamvis per tempus immemoriale nullæ feneſtræ apertæ fuerint. 2. 11. 6. 318
Luminum ſervitute quid contineatur, & quam requirat ædificiorum diſtantiam? 2. 11. 4. 317
Luminum ſervitus, vel ne luminibus officiatur, ita conſtitui poteſt, ut vicinus debeat altius tollere ædificia ſua. An pactum hoc emtorem liget? 2. 11. 5. 318

M

Major heres minoris in petenda reſtitutione idem tempus habet, quod defunctus habuiſſet. 1. 41. 4. 209
Mandatum ſpeciale in rebus gravioris momenti requiritur, ut communitas ex facto rectorum obligetur. An mandatus præſumatur? 2. 2. 19. 236

Digitized by Google

Mandatum univerſitatis quibus indicijs præſumatur? 2. a 20. 237
Maritus dotis partem lucratur ex ſtatuto diſponente, ut lucrum hoc habeat, muliere ſine liberis decedente, quamvis mulier ex priore matrimonio libero, ſuperſtites habeat. 1. 2. 17. 25
Maritus an, & quibus caſibus uxorem alere teneatur? Quid ſi divertat? An mulier alimenta viro debeat? 1. 6. 6. 50
Maritus an, & quibus caſibus alimenta uxori debeat? 1. 6. 6. 50
Maſculorum nomine, quorum favore a ſucceſſione excluduntur feminæ, intelliguntur maſculi lineæ effectivæ, niſi ampliſſima ſint ſtatuti verba. 1. 2. 35. 32
an Mater, an avus paternus primo loco ad alimenta teneantur? 1. 6. 16. 54
Mater, & avia hodie tutelam liberorum gerere poſſunt, licet pupillo debeant, aut ipſis debeatur. 1. 12 7. 87
Mater an tutelam aſſumere poſſit, non exſpectato judicis decreto? Quid ſi minor, aut filiafamilias ſit? 1. 12. 8. 83
Mater ad ſecundas nuptias tranſiens tutelam gerere non poteſt, niſi ex reſcripto Principis, vel conjugis voluntate. 1 12. 9. 84
Mater non cogitur tutelam filiorum ſuſcipere. 1. 12. 10. 84
An Mater inſtituta una cum filio in uſufructu omnium bonorum, cui pater unum ex deſcendentibus ſubſtituerit, mortuo filio, integrum uſumfructum conſequatur? 2. 16. 23. 356
Mater ſuſceptam prius in judicio pupilli defenſionem proſequi poteſt, licet ad ſecunda vota tranſierit. 1. 8. 30. 63
Mater negligens, quæ ad ſecundas nuptias tranſit, utrum a prædefuncto relictis legati privetur? 1. 8. 32. 63
Mater nimis feſtinanter tranſiens ad ſecundas nuptias ſucceſſione non privatur, niſi probetur, tutelam ſuſcepiſſe. 1. 8. 33. 74
An Mater avo paterno in tutela præferatur? 1. 12. 18. 88
Mater, quæ tutelam filiorum dimiſit, an eam rurſus ſuſcipere poſſit? 1. 12. 19. 88
Mater, & conſanguinei proxime ad impuberis ſucceſſionem vocati petere tenentur tutorem. 1. 14. 1. 91
Mater vera omnium bonorum uſufructuaria cum filio partem conferre tenetur, ut alimenta præſtentur liberis. 2. 16. 28. 359
Mater dotem in ſubſidium patris dare debet filiæ: poteſt autem dotem filiæ dare ex bonis ſuis dotalibus. 2. 26. 7. 418
Mater tutrix tranſiens ad ſecunda vota non petito tutore, vel non redditis rationibus, vel reliquis minime perſolutis, ſucceſſione privatur. 1. 8. 31. 73
Matri non nocet ſtatutum excludens feminas favore fratrum, atque ab his deſcendentium. 1. 2. 32. 31
Matrimonium impuberum jure canonico in ſponſalia abit. 1. 7. 1. 57
Medicorum, & ſimilium actiones quo tempore præſcribantur? 2. 20. 22. 375
Melioramenta an & quibus caſibus reſtitui debeant? 1. 23. 40. 135
Melioramenta quomodo æſtimentur, ſi creverit valor rerum, & operarum eo tempore, quo res, in quam impenſum eſt, reſtitui debet. 2. 8. 32. 292
Melioramentorum fructus non compenſantur cum impenſis. 2. 8. 16. 285
Meliorationum valor æſtimatur eo tempore, quo fundus reſtituitur. 2 8. 31. 291
Meliorationum impenſæ æſtimantur ex fructu. 2. 8. 29. 291
Meliorationum in æſtimando valore judex poteſt recedere a ſententia peritorum. 2. 8. 33. 292
Metalli fodinarum jus odio vaſſalli quo temporis ſpatio præſcribatur? 2. 7. 14. 278
Metallorum fodinæ ad quem ſpectent. 2. 7. 12. 276
Milites ad tutelam, vel curam nec volentes admittuntur. 1. 28. 7. 153
Milliaris longitudo quæ apud nos ſit? 1. 28. 14. 157
Minor curatore deſtitutus valide contrahit, læſus tamen reſtituitur. 1. 27. 1 149
Minor an reſtituatur contra minorem, vel univerſitatem? 1. 35. 12. 195
Minor non poteſt renunciare ſine ſolemnibus juri ad immobilia, cujus probabilem ſpem habeat 1. 23. 8. 122
Modus præſcribi poteſt, quo quis ſervitute utatur. 2. 10. 15. 315
Molendina habens vaſſallus prohibere non poteſt aliorum conſtructionem in fluminibus privatis, licet ſubditi per immemoriale tempus ad vaſſalli molendina ſponte acceſſerint. 2. 1. 6. 215
Molendina an liceat habere ſine licentia Principis? 2. 1. 3. 213
Molendini jus privativum quid ſi vaſſallus ex contractu cum univerſitate ſibi quæſierit, vel publicum, aut principis ſit molendinum. 2. 1. 9. 216
Monacus an feminam excludat? 1. 2. 38. 33
Monacus donare non poteſt: utique prælatus ex juſta cauſſa. 2. 21. 13. 384
Monaſterium incapax retinendi bona immobilia alienare ea poteſt ſine ſolemnibus. 2. 3. 15. 254

Digitized by Google

Monialis an comprehendatur ſtatuto excludente feminam dotatam, & maritatam? 1. 2. 36. 32
Mors conjugis quibus modis probetur, ut aliud matrimonium contrahi poſſit? 1. 7. 2. 57
Mulier idem habet domicilium, ac forum cum marito, ſi cum eo habitet. 1. 7. 3. 58
Mulier ætate minor reſtitui poteſt adverſus dotem promiſſam, vel renunciationem. 1. 37. 3. 199

N

Neceſſitas excuſare poteſt a ſolemnibus. An & conſuetudo? Quid ſi alienatio univerſitati utilis fuerit? 2. 3. 30. 262
Neceſſitas excuſat a ſolemnibus. 1. 24. 2. 137
Negotiationem a patre pupilli exercitam, an tutor proſequi teneatur? 1. 26. 7. 149
Nepos conceptus ante emancipationem patris naſcitur in poteſtate avi. 1. 11. 2. 80
Nobilitas quibus modis probetur. 1. 4. 10. 41
Nobilitas quibus modis amittatur. An etiam ipſo jure aliquando reſtituatur? 1. 5. 11. 42
Nobilitas ab avo habita non amittitur ex culpa patris. 1. 4. 8. 43
Nomen mulier in dotem dare poteſt, vel ex prævia promiſſione, vel principaliter. Quid interſit inter utrumque caſum? 2. 26. 3. 416
Nomen pater verum, & debitorem ſolvendo præſtare tenetur, licet debitoris nomen primario in dotem dederit. 2. 26. 24. 428
Notarius uſu fori donationem probare, ſeu acceptare poteſt. 2. 21. 27. 290
Noverca tutrix dari non poteſt a marito liberis prioris matrimonii: vitricus poteſt. 1. 12. 12. 85

O

Obreptum, vel ſubreptum cenſetur reſcriptum, cum res ſub involucro verborum callide, confuſe, & ambigue principi expreſſa fuit. 1. 1. 15. 15
ex Obſervantia oritur præſumtio ſolemnitatum. 2. 3. 32. 263
Obſervantia ſtatuti quibus modis probetur? 1. 2. 8. 22
Oneris ferendi, qui ſervitutem debet, an parietem ſuis impenſis reficere teneatur? 2. 11. 7. 319
Ordinamenti nomine in ſtatuto taurinenſi quid veniat? 1. 2. 23. 27

P

Pactum redimendi non durat ultra triginta annos, licet perpetuum conventum fuerit. 2. 20. 25. 376
Paries poſitus in confinio duorum prædiorum præſumitur communis. 2. 12. 1. 320
Paries unius vicini proprius judicatur, ſi illius impenſis extructus fuerit ex tectis in aream inclinatis, tubis, latrinis interioribus, & camino ultra medium parietem. 2. 12. 2. 320
Paries quibus indiciis præſumatur deſtinatus, ut alius tollatur, vel aliud ædificium ferat. 2. 12. 16. 325
an Parietem ſuis impenſis reficere teneatur, qui ſervitutem debet oneris ferendi? 2. 11 7. 319
Parietis intermedii ſigna, quæ veriſimiliora ſint communionis. 2. 12. 4. 320
Paſcendi cauſſa duci nequeunt animalia in novelleta, vel ubi adſunt vites, ſegetes, & arbores fructiferæ, quibus noceatur. 2. 13. 39. 343
Paſcendi pecoris jus in paſcuis communibus non amittitur, licet univerſitas paſcua diſtrahat. An emtori competat actio quanti minoris? 2. 13. 40. 343
in Paſcua publica quem animalium numerum ducere liceat? 2. 13. 28. 342
An Paſcua exteris concedere poſſint vaſſalli, qui de illis legitime inveſtiti fuerint? 2. 13. 32. 339
Paſcua publica univerſitas poteſt ex juſta cauſſa interdicere; vel prohibere, ne quædam animalia in ea ducantur. 2. 13. 29. 338
Paſcuorum jus vaſſallis conceſſum non prodeſt, niſi quatenus princeps tempore inveſtituræ eo fruebatur. 2. 13. 23. 335
Paſcuorum communium diviſio quoad unum inter ſocios qua ratione fieri debeat? 2. 13. 37. 341
Paſcuorum communium diviſio etiam fieri poteſt pro rata perſonarum, poſſeſſionum, & pecorum. Quid ſi paſcua ſint communia inter vaſſallos? 2. 13. 38. 342
Paſcuorum communium diviſio an fieri poſſit, ſi convenerit, ne fiat, niſi ex conſenſu omnium ſociorum? 2. 13. 36. 341
Pater nomen verum, & debitorem ſolvendo præſtare tenetur, licet debitoris nomen primario in dotem dederit. 2. 26. 24. 428
Pater dotem filiæ ſe daturum generatim promittens intelligitur de ſuis tantum bonis promiſiſſe. 2. 26. 36. 435
Pater, qui teſtamento ſucceſſit una cum filio, hoc decedente ab inteſtato an retineat uſumfructum partis, quæ ad alium filium pervenerit? 2. 16. 5. 347

Digitized by Google

Pater uſumfructum habet in bonis adventitiis filii, quocumque titulo filius ea acquiſiverit. 2. 16. 4. 347
Pater filio in poteſtate retento donare poteſt contemplatione matrimonii, nec non dotem filiæ. 2. 21. 3. 380
an Pater dotem filiæ vere, & actu diviti dotem dare tenetur? 2. 16. 2. 415
Patronatus jus patri prodigo, & interdicto competens a quo exerceri poſſit? 1. 16. 3. 97
nec Patruus parentum, nec patruus magnus patrui nomine continetur in bonis. 1. 2. 33. 31
Pauperes in integrum reſtitui poſſunt, ſi læſi ſint in alienatione bonorum. 2. 6. 2. 269
Pecoris paſcendi jus in alienis agris præſcriptione, & conſuetudine acquiri poteſt. 2. 13. 26. 336
Pecoris paſcendi ſervitus jure communionis interdum competit in paſcuis publicis. An forenſibus proſit hæc communio? 2. 13. 27. 337
Peculii caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis bona filiusfamilias donare poteſt. An & peculii adventitii irregularis? 2. 21. 11. 383
Peculium caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, & adventitium irregulare filiusfamilias donare cauſſa mortis poteſt; non regulare, nec profectitium, niſi ex conſenſu patris. 2. 24. 2. 410
Pecunia mutuo data adminiſtratori ſimplicem adminiſtrationi habenti, non ſpeciale mandatum, verſionis probandæ onus creditori incumbit, 2. 2. 27. 241
Pecuniæ pupillaris otioſæ uſuras præſtat tutor. Quid ſi in ſuos uſus converterit? 1. 26. 2. 146
Penus ſubterranea fieri non poteſt ſub muro communi, niſi inde nullum immineat damnum 2. 12. 10. 323
Permutatio minori utilis ſine ſolemnitatibus ſuſtinetur. 1. 23. 3. 121
Permutatio rei eccleſiæ cum principe valet, licet utilis non ſit eccleſiæ, dummodo non ſit noxia. 2. 3. 5. 249
Pharmacopolæ officium, taxus, & bancus actuariæ inter immobilia recenſentur. 1. 23. 11. 124
Pignus, vel anticheresis bonorum immobilium univerſitatibus utrum permittatur? 2. 3 6. 249
Piſcatio, venatio, & banna campeſtria a privatis poſſideri non poſſunt ſine legitimo titulo: nec prodeſt immemorialis poſſeſſio. 2. 7. 7. 274
Piſcationis jus non amittitur per alvei fluminis mutationem, quæ paullatim fiat. 2 8. 10. 282
Pœna ſecundarum nuptiarum V. in verbo Binubus.
Portus habere non licet in publicis fluminibus, niſi ex Principis conceſſione. 2. 1. 3. 313
Portus inter regalia recenſentur. 2. 1. 2. 213
Poſſeſſio non transfertur per conſtitutum, niſi conſtituens eo tempore poſſederit, vel nominatim aliud actum ſit. 2: 9. 19. 301
Poſſeſſio rei omnino incertæ haberi non poteſt. 2. 9. 21. 302
Poſſeſſio ex actu æquivoco non præſumitur acquiſita. 2. 9. 29. 305
Poſſeſſio ex titulo recipit interpretationem, & vim. Quid ſi de titulo vitioſo appareat? 2. 9. 30. 305
Poſſeſſio ab allegante probanda eſt. 2. 9. 31. 305
Poſſeſſio quibus modis probetur? 2. 9. 32. 306
Poſſeſſio potiſſimum probatur ex fructuum perceptione. 2. 9. 34. 307
Poſſeſſio rerum incorporalium ex præcedenti unica ſolutione probari poteſt. 2. 9. 35. 307
Poſſeſſio ſemel acquiſita ſolo animo retineri poteſt, ſaltem intra decennium. 2. 9. 36. 308
Poſſeſſio vera non acquiritur ex jure percipiendi fructus domus locatæ, utique ex donatione, reſervato licet uſufructu. 2. 9. 2. 294
Poſſeſſio rerum incorporalium acquiritur per unicum actum, non tamen contra plures, niſi omnes conſentiant? Quid de univerſitate? 2. 9. 5. 295
Poſſeſſio non acquiritur judicis ſententia, qua quis mitti jubeatur in poſſeſſionem, ſi poſſidens contradicat. 2. 9. 3. 295
Poſſeſſio ex locatione probari poteſt. 2. 9. 33. 306
Poſſeſſio non amittitur ex facto coloni, qui alium Domini loco agnoſcat. 2. 9. 39. 309
de Poſſeſſione retinenda agere tantum poteſt is, qui poſſidet, non tamen requiritur ullus titulus. Quid ſi duo de poſſeſſione contendant? 2. 9. 37. 308
Poſſeſſione privandus eſt, qui temere negat ſe poſſidere. 2. 9. 39. 308
in Poſſeſſione tranſitus retinetur, qui probat, nec vi, nec clam, nec precario ſe poſſidere. 2. 13. 7. 329
Poſſeſſionem quis adipiſci poteſt per procuratorem, tutorem, vel curatorem. 2. 9. 6. 296
Poſſeſſionem ex conſtituto quæſitam amittit, qui petit, ſe in poſſeſſionem mitti. 2. 9. 25. 303
Poſſeſſionem ſervitutis ſibi aſſerens non tenetur probare illam legitime conſtitutam fuiſſe is, quem adverſarius in poſſeſſione ſervitutis eſſe fatetur. 2. 14. 4. 344
Poſſeſſionis ſuæ cauſſam ſolo animo nemo ſibi mutare poteſt, utique ſi interveniat extrinſeca quædam cauſſa. An mulier bona pro dote obligata, viro defuncto, jure proprio poſſidere poſſit? 2. 9. 38. 309
Poſſeſſor bonæ fidei, quamvis juſto titulo deſtitutus ſit, acquirit omnes fructus uſque ad

Digitized by Google

litis conteſtationem. An tunc extantes reſtituere teneatur, ſaltem quatenus factus eſt locupletior? Quid de poſſeſſore hereditatis? 2. 8. 13. 283
Poſſeſſor malæ fidei reſtituit fructus omnes, quos percepit: malæ autem fidei fit, ex quo habet ſcientiam rei alienæ. 2. 8. 17. 285
Poſſeſſor, malæ fidei reſtituere debet domino fructus percipiendos. Quid in his uſu fori obtineat? 2. 8. 19. 286.
Poſſeſſor regulariter tenetur edere titulum ſuæ poſſeſſionis. Quid ſi utraque pars titulum habeat? 2. 9. 28. 304
Poſſeſſori diuturno leges admodum favent tum quoad firmitatem contractus, tum quoad illius ſolemnitates. 2. 9. 26. 303
Poſſeſſoris in pari cauſſa melior conditio eſt etiam injuſti. 2. 9. 27. 304
Poſſidere intelliguntur creditores hypothecarii, uſufructuarii, & ſimiles naturaliter quidem. non tamen civiliter. 2. 9. 1. 294
Poſſideri non poteſt res incerta, nec aequiri. Qua ratione certitudo habeatur? 2. 8. 37. 394
Præoccupatio extenditur ad ea omnia, quæ naturali quodam nexu inter ſe conjuncta ſunt. 2. 1. 13 228
Præoccupatio, ſeu poſſeſſio recens aquæ jus variandi non tribuit. 2. 1. 14. 219
Præoccupatione acquiri poteſt jus extrahendæ aquæ e flumine, vel molendini conſtruendi. Quis præoccupaſſe intelligatur? 2. 1. 12. 218
Præoccupationis jus non amittitur, alveo deſtructo per impetum fluminis, ſi veſtigia operis ſuperſint. Quid ſi præoccupans ab opere cœpto deſtiterit? 2. 1. 15. 220
Præſcribantur quo tempore actiones in judicium deductæ, atque deinceps intermiſſæ? 2. 20. 28. 377
Præſcribatur quo tempore ſpolii actio ad redintegrandam poſſeſſionem! 2. 20. 26. 376
Præſcribuntur biennio actiones medicorum, & ſimilium ex cauſſa curationis, nec non ſalaria familiarium, & famulorum 2. 20. 22. 375
Præſcriptio XXX. annorum a reddendis rationibus excuſat. 1. 30. 10. 163
Præſcriptio ordinaria non currit contra pupillos, aut minores: contra hos vero currit præſcriptio longiſſimi temporis, ſed reſtitui poſſunt. 1. 40 1. 207
Præſcriptio in facultativis non currit, niſi unus prohibuerit, alter a cepto opere invitus deſierit. 2. 10. 12. 314
Præſcriptio longiſſimi temporis nec non centenaria, & immemorialis ex jure civili bonam fidem nullo tempore deſiderare videtur. 2. 20. 8. 368
Præſcriptio longi temporis non perficitur, niſi poſſeſſor bonam fidem initio poſſeſſionis habuerit. 2. 20. 2. 365
Præſcriptio longiſſimi temporis apud nos perficitur juxta præſcriptum legum civilium. 2. 20. 9. 368
Præſcriptio longi, vel longiſſimi temporis interrumpitur, ſi poſſeſſio fuerit interrupta: ſed præſcriptiones annales utiles ſunt, ideſt non currunt ignoranti, nec agere non valenti. 2. 20. 13. 371
Præſcriptio quo tempore currere incipiat? 2. 30. 30. 378
Præſcriptio an, & quæ noceat univerſitati? 2, 6. 3. 270
Præſcriptio etiam longiſſimi temporis, ſi nullus ſit legitimus contradictor, interrumpitur, ſeu ſuſpenditur. 2. 20. 21. 374
Præſcriptione acquirere poſſunt vaſſalli jus prohibendi venationem, & piſcationem. 2. 7. 4. 273
in Præſcriptione longi temporis titulus poſſeſſionis edi debet, niſi apud emtorem ſit. 2. 20. 11. 369
in Præſcriptione deducuntur belli, & peſtis tempora. 2. 20. 18. 372
Præſcriptioni an ſubjaceant fideicommiſſa? 2. 20. 3. 365
Præſentia alterius partis an neceſſaria ſit in ratihabitione? 1. 25. 15. 144
Præſumtio, qua creditur res in inventario deſcriptas pupilli eſſe, an contrarias probationes admittat? 1. 19. 2. 108
Pretium bonorum, quæ publice vendenda proponuntur, exprimi debet. Quid ſi falſo expreſſum ſit? 2. 3. 23. 258
Privilegia interpretatione utrum ampliari poſſint? 1. 1. 23. 17
Privilegia an pro arbitrio concedentis revocentur? 1. 1. 24. 17
Privilegia an per non uſum amittantur? 1. 1. 25. 18
Privilegium perſonale cedi non poteſt, utique reale. 1. 1. 22. 17
Probationes leviores ſufficiunt de alimentis præſtitis. 1. 6. 22. 56
Procuræ officium an poſſit ſine ſolemnibus alienari? 1. 23. 12. 124
Procurator, judex, tutor, curator, vel prælatus eccleſiæ an transferre poſſint poſſeſſionem per clauſulam conſtituti? 2. 9. 20. 301
Prodigi contractus ante interdictionem an ſemper valeat? 1. 16. 4., & 5. 97
Prodigo in diverſis locis bona habente an ſen-

tentia unius judicis ad omnia bona extendatur? 1. 16. 6. 99
Prodigus, licet ad ſanos mores redierit, ipſo jure non recuperat bonorum liberam adminiſtrationem. 1. 16. 9. 100
Profeſſores artium liberalium an excuſentur a tutela, & cura? 1. 28. 6. 153
Prohibitio ſola utendi ſervitute non excludit patientiam domini fundi ſervientis: ſed neceſſaria eſt contradictio judicialis, aut factis, non ſolis verbis, teſtata. 2. 10. 10. 313
Promiſſio alienandi facta a minore nullius roboris eſt. 1. 23. 6. 122
Promiſſio dotis facta præſente filia valet, licet filia expreſſe non conſenſerit, dummodo non contradixerit, ſi celebratum deinde fuerit matrimonium, cujus intuitu promiſſio facta fuit; licet per aliquod tempus in ſuſpenſo extiterit. 2. 26. 41. 437
Promiſſio dotis valet, licet filia, cum dos ſponſo promittitur, præſens non ſit: atque pater ſponſi, ſponſo abſente, poteſt dotem acceptare. 2. 26. 44. 438
Pupillus an dici poſſit deceſſiſſe ſine teſtamento? 1. 2. 26., & 40. 29., & 34

Q

Quadriennium petendæ reſtitutioni præfinitum utile eſt ab initio. 1. 41. 1. 207
Quarta debetur mulieri, quæ promiſſam dotem quacumque ex cauſſa exigere non poteſt. 2. 16. 10. 350
Quartæ beneficio in bonis mariti mulier poteſt renunciare; ſed ſuſpecta eſt renunciatio facta conſtante matrimonio 2. 16. 3. 346
à Quartæ beneficio heredes non poſſunt excludere mulierem dotem offerendo: nec maritus teſtamento ita cavere poteſt. 2. 16. 14. 351
Quartæ fructus mulieri inopi, & indotatæ a quo tempore debeantur? 2. 16. 15. 351
a Quartæ beneficio an legata, vel donationes mulieres excludant? 2. 16. 16. 352
Quaſi poſſeſſio in rebus incorporalibus locum habet. Quomodo hæc acquiratur, & quos effectus pariat? 2. 9. 4. 295

R

Ratihabitio tacita contractus firmiores ſcientiæ probationes requirit. 1. 25. 5. 140
Ratihabitio vix firmat contractum dolo celebratum. 1 25. 6. 140
Ratihabitio contractus perperam celebrati conſuetas deſiderat ſolemnitates, ſi in minori ætate fiat. 1. 25. 7. 141
Ratihabitio omnis retrotrahitur ad initium contractus. 1. 25. 8. 142
Ratihabitio contractus non inducitur ex actibus, qui neceſſitate impellente fiunt. 1. 25. 9. 142
Ratihabitio tacita contractus ex actu poſteriore non inducitur, niſi neceſſariam inter ſe connexionem habeant. 1. 25. 10. 142
Ratihabitio tacita venditionis ex petitione pretii non inducitur. 1. 25. 11. 142
Ratihabitio contractus perperam geſti reſtitutionis beneficium excludit. 1. 43. 3. 211
Ratihabitio contractus perperam celebrati ut minori ætate an inducatur ex novo contractu inito in priori conſequentiam. 1. 25. 12. 143
Ratihabitio univerſitatis, ut vim det contractui, qui ab initio nullus fuit, quæ deſiderentur conditiones? 2 2. 22. 238
Ratihabitio an inducatur, ſi unus contractus fiat in prioris conſequentiam. 1. 25. 12. 143
Ratihabitione non convaleſcit contractus ab initio nullus, niſi ratihabens plene ſciverit jus, & factum. 1. 25. 2. 139
in Ratihabitione an præſentia alterius partis neceſſaria ſit? 1. 25 15. 144
Ratihabitione convaleſcit contractus perperam ab adminiſtratore univerſitatis geſtus. 2. 2. 21. 238
Ratihabitione ut convaleſcat alienatio immobilium univerſitatis non rite facta, quæ deſiderentur? 2. 3. 31 263
Ratihabitionis tacitæ an iidem ſint effectus, ac expreſſæ, cum agitur de confirmanda donatione. 2. 21. 10. 383
Rationem reddunt eorum, quæ adminiſtraverunt, qui ad tutelam vocati non ſunt; niſi doli argui poſſint. 1. 30. 2. 164
Rationem reddere debet tutor omnium, quæ fecit, atque male omiſit: atque etiam fructuum. Quid de conſuetudine vallis auguſtæ? 1. 30. 15. 170
Rationes reddere non tenetur tutor, ſi minor dolo ſubſtraxerit libros adminiſtrationis. 1. 30. 11. 169
Rationes reddendæ ſunt in loco, quo tutela, vel cura adminiſtrata fuit, ſeu in quo ſita ſunt bona 1. 30. 16. 171
Rationes reddi debent coram judice loci, ubi bona adminiſtrata ſunt. Quid de tutoribus dativis? 1. 30. 18. 171
Rationes reddendæ ſunt ſingulis annis, ideſt calculi ponendi pro ſingulis annis. 1. 30. 20. 172

Digitized by Google

Rationes legitimo modo ſemel redditæ iterari non debent, niſi error, dolus, vel læſio demonſtretur. 1. 30. 25. 175
Rationes reddere debent adminiſtratores omnes rerum alienarum. 1. 30. 1. 163
Rationes a quo reddendæ ſint, ſi plures ſint tutores, vel curatores, & omnes adminiſtraverint? 1. 30. 3. 164
Rationes ob nondum redditas ſolutio debiti liquidi an differri poſſit? 1. 30. 13. 169
Rationes petere poteſt pupillus, ſi malit, a tutore in loco domicilii, dummodo inſtrumenta ibi transferat. 1. 30. 17. 171
Rationes petere an poſſit pupilli creditor? 1. 30. 8. 167
Rationes reddere tenetur heres tutoris, atque heredibus pupilli reddendæ ſunt. 1. 30. 5. 166
Rationes reddunt adminiſtratores univerſitatum. An nec dum finito officio? 2. 5. 1 267
Rationibus in reddendis regulariter exhiberi debet inventarium, & liber acceptorum, atque expenſarum; nec ſufficit in ſolle rationes reddere. 1. 30. 21. 173
Rationum redditio teſtamento remitti non poteſt: facta, tamen remiſſio prodeſt, ne tam ſubtilis inquiſitio fiat. 1. 30. 9. 168
Rationum redditio tam ſubtilis non exigitur inter conjunctos. 1. 30. 24. 175
Rationum redditio XXX annis præſcribitur. 1. 30. 10. 168
Regiſtratio quid ſit, & quis ejus effectus? 1. 1. 3. 10
Renunciare ſine ſolemnibus non poteſt minor juri ad immobilia, cujus probabilem ſpem habeat. 1. 23. 8. 122
Renunciatio, quæ damnoſa non ſit, ſuſtinetur, licet conſuetæ ſolemnitates prætermiſſæ fuerint. 1. 36. 4. 197
Renunciatio maternæ, vel fraternæ ſucceſſioni jam delatæ, cum pater dotem congruam ex ſuis bonis conſtituit, nullius eſt roboris. 2. 26. 39. 436
Res ſacræ vendi nequeunt. Quid de jure patronatus, ſepulcrorum, & ſimilibus? 2. 1. 1. 212
Res obligata cum clauſula conſtituti non poteſt dari in ſolutum, ne creditori quidem anteriori. 2. 9. 12. 298
Res litigioſa donari non poteſt, 2. 21. 20. 387
Res litigioſa dotis, & donationis propter nuptias cauſſa alienari poteſt ab eo, qui alia bona non habet, & dotem, vel donationem propter nuptias dare tenetur. 2. 26. 35. 434
Reſcripta plura ſi quis obtineat ad conficiendum inventarium, non facta priorum mentione, ſubrepiſſe cenſetur. 1. 1. 13. 14
Reſcripta, licet generalibus verbis concepta ſint, non intelliguntur indulta, quæ princeps veroſimiliter non fuiſſet in ſpecie conceſſurus. 1. 1. 16. 15
Reſcripta principis ita ſunt explicanda, ne juris regulas, vel publicam utilitatem lædant, aut jus alteri quæſitum. 1. 1. 17. 15
Reſcriptum circumſcribens ſententias non irritat eas, quæ in rem judicatam tranſierunt. 1. 1. 19. 16
Reſcriptum obreptum, vel ſubreptum nullius eſt roboris. 1. 1. 12. 13
Reſcriptum principis an valeat, ut cauſſa reconventionalis ſimul cum conventionali definiatur, ſi impetrans expreſſerit, hanc ad jus poſſe aſſignari, cum jam eſſet aſſignata? 1. 1 14. 14
Reſtituantur an heredes minoris ſive ſui, ſive extranei, adverſus aditam hereditatem ex perſona minoris. 1. 38. 2. 201
an Reſtituantur minores adverſus ſententias conformes? 1. 39. 3. 205
an Reſtituatur minor contra minorem, vel univerſitatem? 1. 35. 12, 195
Reſtitui ex cauſſa poteſt minor ad adeundam cum beneficio inventarii hereditatem. 1. 38. 4. 202
Reſtitui major poteſt ad adeundam cum beneficio inventarii hereditatem. 1. 38. 5. 203
Reſtitui poſſunt minores adverſus ſententias prolatas a judicibus præfecti prætorii auctoritate præditis. 1. 39. 2, 205
Reſtitui volens in integrum contractum in minori ætate celebratum fuiſſe probare debet. 1. 35. 1. 190
Reſtitui poteſt filius, qui pro patre fidejuſſit. Quid ſi jusjurandum donationi, vel fidejuſſioni adjectum fuerit? 1. 35. 10. 194
Reſtitui poſſunt pauperes in integrum, ſi læſi ſint in alienatione bonorum. 2. 5. 2. 267
Reſtituitur ex cauſſa læſionis minor adverſus venditionem etiam publice factam. Qui de locatione, & illis, qui minorum jure utuntur? 1. 36. 1. 196
Reſtituitur minor adverſus emtionem ſub haſta factam, ſi læſum ſe probet ætatis imbecillitate. 1. 36. 2. 196
Reſtituitur minor læſus adverſus dotem promiſſam. 1. 37. 2. 198
Reſtituitur adverſus jusjurandum ſive delatum, ſive præſtitum minor ex læſione immodica. 1. 37. 5. 200
Reſtituiur minor ex cauſſa læſionis adverſus aditionem hereditatis, & pronunciationem

Digitized by Google

heredis. 1. 38. 1. 201
Reſtituitur minor adverſus lapſum temporis conficiendo inventario præſtituti. 1. 38. 6. 203
Reſtituitur minor adverſus propriam confeſſionem in judicio factam. An contra pronunciationem poſitionum. 1. 39. 1. 204
Reſtitutio adverſus ſententiam excludit neceſſitatem reviſionis, ſeu civilis ſupplicationis. 1. 39. 6. 206
Reſtitutio ex capite ignorantiæ an concedatur minoribus poſt triginta, vel quadraginta annos. 1. 41. 3. 209
Reſtitutio minori conceſſa in re communi individua prodeſt majori. Quid de venditione? 1. 42. 1. 210
Reſtitutio an denegetur, ſi jusjurandum contractui adjectum fuerit? 1. 43. 1. 210
Reſtitutio denegatur minori, qui dolo ſe majorem affirmaverit, niſi alter contrahens minoris ætatis conſcius ſit. 1. 43. 2. 211
Reſtitutio ab univerſitatibus intra conſuetum tempus quadriennii peti debet. 2. 6. 4. 270
Reſtitutio omnia in priſtinum ſtatum reducit. 2. 6. 5. 270
Reſtitutio ex cauſſa ignorantiæ non datur adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis; niſi ſimul concurrat juſta alia cauſſa. 2. 20. 20. 373
Reſtitutio in integrum quo differat a reſciſſione contractus perperam geſti? 1. 35. 1. 190
Reſtitutio ad repudiandam hereditatem intra quod tempus peti debeat a majore, qui minori ſucceſſit? 1. 41. 4. 209
Reſtitutionis in integrum beneficium univerſitatibus cujuſcumque ſpeciei competit, ſi læſæ ſint. 2. 6. 1. 269
Reſtituuntur in integrum ſucceſſores univerſales ex perſona minoris, niſi defuncti memoria inde lædatur. 1. 35. 11. 195
Retractus a ſtatuto inductus quomodo accipiatur 1. 2. 20., & 21. 26
Riparum uſus communis eſt; proprietas eorum, qui prope ripas prædia poſſident. 2. 1. 17. 220.
Riparum poſſeſſoribus licet eas munire, atque paullatim divertere flumen aggeribus extructis, ſi grave immineat damnum. 2. 1. 18. 221
Ripas munire aliquando tenentur, qui aquam e flumine derivare volunt. 2. 1. 19. 221
Rivi purgatio, & refectio eorum oneri eſt, qui aqua utuntur. 2. 13. 24. 336

S

Salarium an debeatur tutoribus, vel curatoribus? 1. 17. 1. 100, & 1. 33. 2. 180
Satisdatio an ſit de ſubſtantia uſusfructus improprii, ſeu earum rerum, quæ uſu conſumuntur? 2. 19. 1. 364
Satiſdationem heres poteſt uſufructuario remittere, non tamen teſtator. 2. 16. 8. 349
Scientia vitii an præſumatur in minore ratum habente contractum? 1. 25. 4. 140
Scientia domini fundi ſervientis an neceſſaria ſit, ut ſervitus præſcriptione acquiratur? 2. 10. 7. 312
Secretarium novum, licet minori ſalario, univerſitas invita ſuſcipere non cogitur. 2. 2. 13. 232
Senatui objici non poteſt error juris, ſed tantum facti. 1. 1. 26. 18
Senatus per œconomum aquam diſtribuit, ſi neuter poſſeſſionem probet, vel utriuſque pares ſint probationes. 2. 13. 18. 334
Sententia pro furioſo indefenſo lata non valet. 1. 16. 8. 99
Sententia per reſtitutionem in integrum irrita facta, tum minor, tum adverſarius minoris jura ſua recipit. 1. 39. 4. 206
Sententia judicis an, & quatenus filiationem probet? 1. 5. 8. 45
Sententiæ executio an impediatur, reſtitutione in integrum implorata? 1. 39. 5. 206
Sepulcri jus an poſſit alienari? 2. 1. 1. 212
Servitus fundi pretium imminuit, & actio quanti minoris competit emtori ignoranti, niſi forte deinceps emat vicina prædia, quibus ſervitus debetur. 2. 10. 1. 310
Servitus dici non poteſt conſuetudo inter vicinos inducta, ut alter per alterius prædia tranſeat. 2. 10. 3. 310
Servitus quo tempore acquiratur? 2. 10. 5. 311
Servitus luminum, vel ne luminibus officiatur, ita conſtitui poteſt, ut vicinus altius debeat tollere ædificia ſua. An pactum hoc emtorem liget? 2. 11. 5. 318
Servitus luminis non aperiendi non præſumitur conſtituta, quamvis per tempus immemoriale nullæ feneſtræ apertæ fuerint. 2. 11. 6. 318
Servitute uti non licet in utilitatem alterius prædii, pro quo conſtituta non fuit. 2. 10. 13. 314
Servitute conceſſa, fundi ſervientis dominus tollere debet omnia impedimenta, quibus incommodus fiat illius uſus. 2. 13. 3. 328

Digitized by Google

Servitute conceſſa id tantum intelligitur datum, quod expreſſum verbis eſt; niſi ſervitus alioquin inutilis futura ſit. 2. 14. 2. 344
Servitute utendi ſola prohibitio non excludit patientiam domini fundi ſervientis: ſed neceſſaria eſt contradictio judicialis, aut factis, non ſolis verbis teſtata. 2. 10. 10. 313
ad Servitutem præſcriptione ſine titulo acquirendam requiritur uſus jure ſervitutis ex una parte, & patientia ex altera. 2. 10. 9. 313
ad Servitutem præſcriptione longiſſimi temporis acquirendam titulus neceſſarius non eſt. 2. 10. 8. 312
Servitutem fundo communi imponere nequit ſocius ſine conſenſu ſocii. 2. 10. 14. 315
Servitutes ſtrictam habent interpretationem. Iter in dubio potius, quam via, vel actus conceſſum intelligitur. 2. 13. 5. 328
Servitutes non præſumuntur, ſed probari debent ab allegante. 2. 14. 1. 343
Servitutes conjecturis etiam aliquando probari poſſunt. 2. 14. 3. 344
Servitutes extinguuntur confuſione, ſeu conſolidatione. 2. 15. 1. 345
ob Servitutes a fundo debitas contractus non reſcinditur, licet venditor per dolum eas celaverit. 2. 9. 4. 295
Servitutis potius, quam communionis jus in dubio inductum præſumitur. 2. 13. 6. 328
Servitutis modus præſcribi poteſt, ſeu quo quis ſervitute utatur. 2. 10. 15. 315
Servitutis poſſeſſionem ſibi aſſerens non tenetur probare illam legitime conſtitutam fuiſſe, ſi adverſarius in poſſeſſione ſervitutis eſſe fateatur. 2. 14 4. 344
Sindici reſponſio in judicio an noceat univerſitati? 2. 4. 5. 266
Sindici confeſſio an noceat communitati? 2. 2. 18. 236
Sindicus, ſeu actor univerſitatis an reſpondere poſſit poſitionibus? 2. 4. 3. 265
Socius derelictam intelligitur habere rem communem, qui partem expenſarum ferre detrectat, ut reſtituatur. 2. 7. 11. 276
Socius ſine conſenſu ſocii ſervitutem fundo communi imponere nequit. 2. 10. 14. 315
Socius in re communi nihil facere poteſt invito ſocio: parietem tamen reficere poteſt, ſi refectio neceſſaria ſit, retenta priſtina forma. Quid de impenſis refectionis? 2. 12. 5. 320
Socius poteſt, parietem communem ea ſui parte dilatare, forma tamen non immutare. 2. 12. 6. 321
Socius in pariete communi, vel ſecus illum ea omnia facere poteſt, quæ parietem deteriorem non efficiunt. An liceat puteum ædificare? 2. 12. 7. 322
Socius re communi uti non poteſt ad uſum, ad quem non fuit deſtinata, niſi alter conſentiat. 2. 12. 14. 324
Solemnitates alienationis aliæ ſunt extrinſecæ, aliæ intrinſecæ. 1. 23. 6. 121
Solemnitates, quæ in alienatione bonorum immobilium minoris præſcribuntur, contraria conſuetudine tolli poſſunt. 1. 23. 28. 130
Solemnitates in alienandis rebus immobilibus pupillorum, vel minorum regio jure ſervari debent, licet teſtator eas remiſerit. 1. 24. 1. 137
Solemnitates alienationum plerumque non præſumuntur adhibitæ. 1. 25. 16. 145
Solemnitates in liberationibus tutorum, & curatorum quæ ſint adhibendæ? 1. 33. 4. 187
Solemnitates quæ ſint adhibendæ in alienatione bonorum immobilium ad univerſitates pertinentium? 2. 3. 17. 355
Solemnitates ſpeciales quæ deſiderentur in alienatione bonorum immobilium eccleſiæ, vel pii loci. 2. 3. 27. 160
Solemnitates nullas deſiderat neceſſaria rerum pupilli alienatio. 1. 24. 2. 137
Solemnitatum præſumtionem inducit temporis diuturnitas, maxime ſi junctam habeat obſervantiam. 1. 25. 17. 145
Solemnitatum præſumtio ex obſervantia oritur. 2. 3. 32. 263
Solum an publicum, an privatum ſit, ex indiciis æſtimatur. Quæ ſint hæc indicia? 2. 12. 19. 326
Solutio facta vero tutori liberat ipſo jure debitorem. Quid ſi protutori ſolutum fuerit? 1. 30. 7. 137
Spolii actio ad redintegrandam poſſeſſionem quo tempore præſcribatur? 2. 20. 26. 376
Statuta, quibus civium actibus jus dicitur, univerſitas condere non poteſt, niſi obtenta a Principe facultate, quæ a ſupremis Magiſtratibus interinata ſit. 1. 2. 2. 20
Statuta alterius loci utrum allegare ſufficiat? 1. 2. 6. 21
Statuta loci, in quo bona ſita ſunt, attendi debent, cum de bonis agitur. 1. 2. 11. 23
Statuta ita ſemper interpretanda ſunt, ut quanto minus fieri poteſt, a jure communi recedant. Quæ hinc eruantur conſectaria? 1. 2. 18. 25
Statuta ex rationis identitate de caſu ad caſum extendi poſſunt etiam contra jus commune. 1. 2. 19. 26
Statuta, quæ liberos a ſucceſſione excludunt ſtricte interpretamur. 1. 2. 22. 27
Statuta de ſucceſſione inteſtata locum habent,

Digitized by Google

tametſi teſtamentum conditum fuerit, niſi teſtator ab ejus diſpoſitione receſſerit. s. 2. 30. 30
Statuta, quæ agnationi conſulunt, quo ſenſu inter favorabilia recenſeantur? 1. 2. 39. 33
Statuta contraria conſuetudine, nec non deſuetudine abrogantur. 1. 2. 43. 35
Statuta an, & de quibus rebus condere poſſint univerſitates? s. 2. 1. 19
Statuti obſervantia quibus caſibus probanda ſit? 1. 2. 7. 21
Statuti obſervantia quibus modis probetur? 1. 2. 8. 22
Statutis an ligentur foreníes. 1. 2. 13. 23
Statuto ex juſta cauſſa poteſt minui legitima. 1. 2. 50. 22
Statutorum liber. V. Liber.
Statutum legitime conditum tamdiu durat, donec abrogetur. 1. 2. 4. 20
Statutum permittens retractum in venditione an extendatur ad permutationem. s. 2. 20. 26
Statutum excludens feminas favore fratrum, atque ab his deſcendentium, non nocet matri. s. 2. 32. 31
Statutum excludens feminas propter maſculos locum habet in ſucceſſione feminæ. An filiæ ex maſculis admittantur. s. 2. 37. 33
Statutum de morte alicujus ab inteſtato vires exuit per mortem impuberis. 1. 2. 40. 34
Statutum feminas excludens a ſucceſſione an repellat etiam a legitima? s. 2. 45. 34
Statutum excludens filias, & ſorores favore fratrum, & nepotum patruo non prodeſt. 1. 2. 31. 31
Sterilitas prædii, belli calamitates an juſtam alienandi cauſſam præbeant? 1. 23. 19. 126
Sterquilinium in loco communi habere non licet: utique fimum reponere contra parietem communem ad modicum tempus. 2. 11. 8. 319
Subhaſtatio bonorum, & prævia eorum æſtimatio fieri debet, cum res immobiles univerſitatum vendendæ ſunt, niſi Princeps eas remiſerit. Quid ſi agatur de rebus modici valoris? 2. 3. 19. 236
Subhaſtationes hodie præſcribuntur in alienationibus bonorum immobilium pupilli, vel minoris. 1. 23 32. 132
Subhaſtationes publice, & interdiu fieri debent Quid de die, loco, rerum quantitate, & qualitate? 2. 3. 22. 257
Subſtitutio pupillaris an pupillum teſtatum faciat? 1. 2. 27. 29
Succeſſio duplici jure deferri poteſt pro diverſitate locorum, in quibus bona ſita ſunt. 1. 2. 12. 23
Succeſſores univerſales ex perſona minoris in integrum reſtituuntur, niſi defuncti memoria inde lædatur. 1. 35. 11. 595
Suſpectus an habeatur in tutela, vel cura, qui inops eſt. 1. 29. 4. 161

T

Taliabiles comparantur libertinis dedititiis. 1. 5. 5. 44
Taxa alimentorum perpetua, & immutabilis non eſt, ſed augeri, vel minui poteſt. 1. 6. 19. 55
Taxus inter immobilia recenſetur. 1. 23. 11. 124
Territorii, ſeu juriſdictionis jus an pendeat ab alluvione? 2. 8. 2. 279
Teſtator cavere poteſt, ne pater habeat uſumfructum bonorum, quæ filiis libere relinquit. 2. 56. 6. 348
Titulus juſtus, & aptus ad transferendum dominium requiritur præter traditionem. 2. 8. 36. 293
Titulus neceſſarius non eſt ad ſervitutem præſcriptione longiſſimi temporis acquirendam. 2. 10. 8. 312
Titulus juſtus in præſcriptione requiritur, nec vitioſus, de quo conſtet, prodeſt etiam in uſucapione centenaria. 2. 20. 10. 369
Titulus an edi debeat in præſcriptione longiſſimi temporis, vel immemoriali. 2. 20. 52. 370
Titulus poſſeſſionis edi debet præſcriptione longi temporis, niſi apud auctorem ſit. 2. 20. 11. 369
Traditio ad dominium transferendum neceſſaria eſt, nec per ſententiam ſenatus ſine traditione dominium transfertur. 2. 8. 35. 293
Tranſactio ex cauſſa læſionis per reſtitutionem in integrum reſcindi poteſt, ſed ſi utilis ſit, ſuſtinetur, licet ſolemnitates omiſſæ fuerint. 1. 36. 3 197
Tranſactio plura continens capita an ex cauſſa læſionis reſcindatur? 1. 36. 4. 197
Tranſigere licet adminiſtratoribus univerſitatum, ſervatis tamen ſolemnibus, ſi de re immobili agatur. 2. 2. 38. 246
Tutor dare nequit filio in poteſtate patris conſtitutio. 1. 12. 1. 81
Tutor a matre datus gerere non poteſt, niſi fuerit a judice confirmatus prævia inquiſitione. 1. 12. 2. 81
Tutorem dare non poteſt extraneus pupillo, niſi cum heredem ſcripſerit. s. 12. 3. 85
Tutor ab extraneo datus confirmari debet pro

Digitized by Google

bonis, quæ extraneus reliquit, licet pupillus alium tutorem habeat. 1. 12. 4. 82
Tutor a judice dari poteſt, cum teſtamento datus indiget confirmatione, nec eam petit. 1. 12. 6. 82
Tutor, qui præferri debeat ex pluribus tutoribus datis a diverſis juribus, originis, & domicilii? 1. 12. 21. 89
Tutor legitime datus a patre non indiget confirmatione. 1. 13. 1. 90
Tutor pupillo intra quod tempus peti debeat? 1. 14. 2. 90
Tutor ante confectum inventarium audiri in judicio poteſt pro pupillo acturos, vel excepturus. 1. 19. 5. 109
Tutor unus ex pluribus tutoribus pro indiviſo gerentibus ſolus tutelam gerere poteſt. 1. 22. 1. 116
Tutor, qui, ſatiſdatione accepta, adminiſtrationem contutori ceſſit, poſt excuſſum contutorem adhuc pupillo tenetur. 1. 22. 2. 116
Tutor ſibi ipſi ſolvere poteſt, & debet, ſi certum, & liquidum ſit creditum. 1. 22. 3. 116
Tutor novare poteſt, tranſigere, compromittere, jusjurandum deferre. An & hereditatem adire? 1. 22. 4. 117
Tutor regulariter donare non poteſt. 1. 22. 7. 118
Tutor a pupillo emere non poteſt, nec cum eo contrahere. 1. 22. 10. 119
Tutor, vel curator an legatum, & rem immobilem præſtare poſſit ſine judicis decreto? 1. 23. 1. 120
Tutor ex cauſſa tranſactionis rem immobilem ſine judicis decreto dare non poteſt. 1. 23. 2. 121
Tutor pecuniæ pupillaris otioſæ uſuras præſtat. Quid ſi in ſuos uſus converterit? 1. 26. 2. 146
Tutor uſuras præſtat uſurarum, quas a pupilli creditoribus exegit, & in ſuos uſus convertit: in ceteris pupilli communi jure utuntur. 1. 26. 4. 148
Tutor dari non poteſt a judice is, quem pater probibuit, ne tutela fungeretur. 1. 28. 9. 154
Tutor tamquam ſuſpectus a tutela ſuſcepta removeri non debet, niſi certæ ſint ſuſpicionis cauſſæ. 1. 29. 2. 161
Tutor reliqua pupillo ſolvere perperam differens an, & quas uſuras pupillo ſolvat? 1. 31. 1. 178
Tutor de lata dumtaxat culpa tenetur in negotiis odioſis, & arduis. 1. 31. 5. 180
Tutor pupillo intra quod tempus peti debeat? 1. 14. 2. 91
Tutor unus ex pluribus, ſi ſatiſdationem offerat, ut ſolus gerat, huic creditur adminiſtratio, niſi alter ſatiſdare malit. 1. 18. 1. 106
Tutor pecuniam otioſam habere non debet, ſed honeſte implicare. An modicam retinere poſſit? 1. 20. 1. 112
pro Tutore facilius judicatur ſe geſſiſſe ille, ad quem legitima, vel teſtamentaria hereditas pertinere poteſt. 1. 30. 6. 166
Tutorem a patre datum judex ex legitima cauſſa repellere poteſt. 1. 12. 15. 86
Tutores legitimi ex juſta cauſſa poſſunt ſe a tutela conſanguineorum excuſare, quin ſucceſſione priventur. 1. 28. 18. 159
Tutores, & curatores diligentiam mediam præſtant, & de levi culpa regulariter tenentur. 1. 31. 4. 180
Tutoris non conficientis inventarium quæ ſit pœna? 1. 19. 7. 110
a Tutela ſuſcipienda (non ſuſcepta) excuſat numerus liberorum. 1. 28. 2. 150
Tutela cui defertur, ſi proximior conſanguineus excuſetur, vel removeatur. 1. 12. 17. 87
a Tutela, & cura excuſat infirmitas gravis. 1. 28. 4. 152
Tutelam delatam regulariter nemo recuſare poteſt, niſi juſtam habeat excuſationis cauſſam. 1. 28. 1. 150
Tutelam ſuſceptam deponere non poteſt, qui poſt eam miles factus eſt. 1. 28. 8. 154

V

Variandi jus non competit ei, qui nititur ſimplici præoccupatione, ſeu poſſeſſione recenti. Quid ſi allegetur poſſeſſio immemorialis? 2. 1. 14. 219
Vaſſalli animalia ſua immittere poſſunt, moderate tamen, tametſi de paſcuis ampliſſime, & ad libitum ſint inveſtiti. 2. 13. 31. 339
Vaſſalli a ſubditis ſuis penſitationes, quæ ſupremæ majeſtati adhærent, exigere non poſſunt, niſi jura hæc legitime acquiſita demonſtrent. 2. 26. 33. 433
Vaſſallis non licet propria, vel aliena animalia paſcere in agris privatorum, licet de paſcuis inveſtiti ſint, niſi præſcriptione, vel conſuetudine hoc jus acquiſierint. 2. 13. 33. 340
Vaſſallis competens jus penſitationem exigendi pro filiis nupturis ad normam æquitatis exerceri debet, atque in feudi ſucceſſores tranſit. 2. 26. 34. 433

Digitized by Google

Vaſſallus de fluminibus inveſtitus an poſſit inferiori jus hauriendæ aquæ concedere in præjudicium ſuperioris? 2. 1. 5. 215

Vaſſallus, quamvis ſit in poſſeſſione immittendi alienas pecudes in paſcua privatorum, ſi hæc ad culturam, ipſo conſentiente, redacta fuerint, non amplius poteſt eas in agros immittere. 2. 13. 34. 340

Venationem, & piſcationem Princeps prohibere poteſt. 2. 7. 1. 271

Venationem, & piſcationem prohibendi jus præſcriptione acquirere poſſunt vaſſalli. 2. 7. 4. 273

Venationis, & piſcationis jus quibus caſibus a Principe in vaſſallos per inveſtituras translatum cenſeatur? 2. 7. 2. 271

Venationis jure conceſſo vaſſallis, an poſſint hi venationem prohibere. 2. 7. 3. 272

Venationis jus an intelligatnr vaſſallo acquiſitum, ſi ſubditi venaudi, vel piſcandi facultatem a vaſſallo petierint. 2. 7. 6. 274

Venationis jus in toto territorio quid ſi princeps prius conceſſerit nniverſitati; deinde partem in feudum alteri indulgeat cum jure prohibendi? 2. 7. 7. 274

Venditor an de pretio rei pnblice vendendæ ſub haſta prius convenire poſſit cum emtore. 2. 3. 24. 258

Venditor, domus parte vendita cum omnibus juribus eidem annexis, retentam partem pro arbitrio in diſpendium emtoris tollere nou poteſt. Quid de emtore? 2. 11. 2. 316

Verſa in utilitatem pupilli cenſetur pecunia, quæ ultra reditus conſumta eſt, ſi reditus honeſtis alimentis non ſufficiant. 1. 23. 39. 135

Verſa præſumitur in utilitatem communitatis pecunia ſoluta adminiſtratori habenti mandatum generale cum libera, vel ſpeciale ad pecuniam mutuo accipiendam. 2. 2. 26. 240

Verſam pecuniam in rem ipſius minor, alienatione reſciſſa, reſtituere debet cum nſuris. 1. 23. 38. 134

Verſio in rem univerſitatis neceſſaria eſt, ut communitas ex facto adminiſtratoris obligetur. 2. 2. 23. 239

Verſio præſumitur in contractibus, quos univerſitas ipſa, ſeu univerſitatis conſilium geſſit. 2. 2. 25. 240

Verſio quibus modis probetur? An & indicia admittantur? 2. 2. 28. 241

Verſio ſola in rem univerſitatis ſufficit, ut ipſa obligetur. 2. 2. 29. 241

Verſionis, vel diverſionis probatio cni incumbat? 2. 2. 24 239

Via, quæ inſervit intra fines territorii ad uſum, & neceſſarium acceſſum ad colonias, publica reputatur, niſi ex collatione privatorum facta ſit. 2. 1. 23. 223

Via pnblica præſumitur, de cujus publico uſu conſtat: niſi prædia, per quæ iter petitur, certo ſint privati juris. 2. 1. 26. 224

Via publica teſtium dicto probari poteſt. Quid de viæ latitudine? 2. 1. 28. 225

Via privata reputatur, ad cujus capita cancelli appoſiti ſunt, licet iter, his non obſtantibus, habitum ſuerit. 2. 1. 29. 225

Via publica intra prædia non præſumitur ignorata. 2. 10. 2. 310

Via publica, per quam iter fiebat ad prædia, in privatos uſus auctoritate Principis translata, adhuc iter per eam patet illis, qui prius ea utebantur; maxime ſi alius deſit aditus. 2. 13. 2. 327

Viæ, quæ ad communicationem univerſalem deſtinatæ non ſunt, nec non quæ commoditati prædiorum inſerviunt, privatis accenſentur. 2. 1. 24. 323

Viæ publicæ quæ ſint conditinnes? An latitudo inter has connumeretur? 2. 1 25. 223

Viæ uſus in alieno ſundo juri familiaritatis, vel precario in dubio adſcribitur. Quid de delatione cadaverum? 2. 1. 27. 224

Viæ publicæ inter regalia connumerantur. 1. 1. 2. 213

Viam privatam probat ejus deſtinatio, terminus diviſorius viam complectens, venditio juris tranſitus. 2. 1. 31. 226

Viam publicam, vel vicinalem deteriorem facere non licet: utique januas ſuper illis aperire, dumne noceatur vicinis, vel itineri. 2. 1. 32. 226

Viam area interſecans, nec non arbores in via poſitæ privati juris eam demonſtrant. 2. 1. 30. 225

Viarum, & pontium refectio ad quos ſpectet? 2. 1. 21. 222

Vidua non comprehenditur ſtatuto excludente ſeminam dotatam, & maritatam. Quid de moniali? 1. 2. 36. 32

Vidua utrum fruatur privilegiis mariti? 1. 5. 9. 45

Vitrici bona pro tutelæ rationibus ſunt obligata, ſi uxorem duxerit tutricem, priuſquam alius tutor datus ſit, rationes redditæ, & reliqua perſoluta. 1. 8. 28. 71

Vitricus an debeat alere privignum? 1. 6. 8. 51

Digitized by Google

U

Univerſitas ſtatuta legitime condita an abrogare poſſit. 1. 2. 42. 35
Univerſitas delicti capax eſt. 2. 2. 5. 21
Univerſitas obligari non poteſt, niſi legitime congregata fuerit. 2. 3. 14. 254
Univerſitas quando ex contractu obligetur. 2. 2. 15. 233
Univerſitas an obligetur ex facto rectorum? 2. 2. 17. 235
Univerſitas an ſolemnitatibus ſubhaſtationum renunciare poſſit? An judex ex officio nullam dicere poſſit venditionem omiſſis ſubhaſtationibus celebratam? 2. 3. 21. 257
Univerſitas reſciſſa, alienatione, rem cum fructibus reſtituit, & melioramenta. 2. 3. 29. 261
Univerſitas poteſt ex cauſſa interdicere paſcua publica, vel prohibere, ne quædam animalia in ea ducantur. 2. 13. 29. 338
Univerſitas dominii per uſucapionem acquirendi capax eſt, non ſecus ac ſingulares perſonæ. 2. 19. 1. 365
Univerſitatem defendere quis poteſt, non tamen pro ea agere ſine mandato. 2. 4. 1. 264
Univerſitates poſſunt ſtatuta condere, quibus bonorum ſuorum adminiſtrationi, & publicæ utilitati conſulant. 1. 2. 1. 19
Univerſitates civiles ſunt, vel eccleſiaſticæ: harum diverſæ ſunt ſpecies. Quid de confraternitatibus, & hoſpitalibus? 2. 2. 1. 227
Univerſitates veniunt nomine perſonarum. 2. 2. 2. 227
Univerſitates capaces ſunt omnium contractuum. An legata, & hereditates acquirere poſſint? 2. 2. 3. 228
Univerſitates in judicio per ſindicum agunt, & conveniuntur. Hoſpitale agere poteſt ad obtinenda, quæ pauperibus relicta ſunt. 2. 2. 4. 228
Univerſitates reſtituuntur adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis. An adverſus centenariam eccleſia reſtituatur? 2. 6. 3. 270
Univerſitati non competit ex jure Romano hypotheca in bonis adminiſtratorum, utique ex uſu fori. 2. 5. 2. 26
Univerſitati competit hypotheca tacita pro tributis etiam cum prælatione. 2. 5. 3. 268
Univerſitatis nomine ſpondere cenſetur adminiſtrator pecuniam univerſitatis nomine mutuam accipiens. 2. 2. 30. 237
Univerſitatis pro debitis municipes ſinguli conveniri non poſſunt: niſi ſpeciatim ſe obligaverint. 2. 2. 36. 240
Univerſitatis actor quomodo eligatur ab adminiſtratoribus? 2. 4. 2., & ſeqq. 265
Univerſitatum conſiliarii in locum publicum, & conſuetum, excepto neceſſitatis caſu, convenire debent. 2. 2. 11. 231
Univerſitatum conſiliarii qui eligi poſſint? 2. 2. 12. 232
Univerſitatum adminiſtratores pecuniam a debitoribus exigere tenentur. An modicam dilationem aliquando indulgere poſſint? 2. 2. 37. 245
Univerſitatum bona alienari non poſſunt, niſi ſervatis legum ſolemnitatibus. 2. 3. 1. 247
Univerſitatum adminiſtratores negotia gerere non poſſunt, niſi legitime electi fuerint. 2. 3. 6. 249
Uſucapi nequeunt bona pupillorum. An & minorum? 2. 20. 5. 366
Uſucapione acquiri non poſſunt res humano commercio exemtæ, nec quæ meræ facultatis ſunt. 2. 20. 2. 365
Uſucapionis interruptio duplex eſt naturalis, & civilis. 2. 20. 14. 371
Uſufructu ſpeciatim legato ſelicti, arundineti, ſeminarii, & ſylvæ, quæ liceant uſufructuario. 2. 17. 4. 360
Uſufructu an privari poſſit pater dilapidans, vel abutens bonis, quorum proprietatem filiis reſervare tenetur? 1. 8. 7. 61
Uſufructuarius omnium bonorum non reputatur heres fideicommiſſo erga proprietatis heredem oneratus, ſed legatarii loco eſt. 2. 16. 2. 346
Uſufructuarius fructus ſuos non facit, licet maturos, niſi eos perceperit. 2. 17. 1. 345
Uſufructuarius propria auctoritate non poteſt ingredi poſſeſſionem fundi, niſi in quibuſdam caſibus. 2. 17. 2. 360
Uſufructuarius poteſt in alium transferre facultatem percipiendi fructus, non tamen jus. 2. 17. 3. 360
Uſufructuarius regulariter cavere debet datis fidejuſſoribus. 2. 17. 5. 361
Uſufructuarius, qui ſit in rei poſſeſſione, cautionem ſponte offerre non debet. 2. 17. 7. 361
Uſufructuarius uſu fori tenetur conficere inventarium. 2. 17. 9. 362
Uſumfructum verum, & formalem minime ad alimenta reſtrictum fuiſſe uxori legatum verba integri, pleni uſusfructus, & ſimilia innuunt. 2. 16. 26. 358
Uſumfructum bonorum teſtator cavere poteſt, ne pater habeat, quæ filiis libere reliquit. 2. 16. 6. 348
Uſumfructum uxori integrum, & competentem legans teſtator una cum liberis non ſemper de vero, & formali uſufructu ſenſiſſe intelligitur. 2. 16. 20. 354

Digitized by Google

Uſuræ an fructuum loco dari poſſint? 1. 23. 27. 130
Uſuræ uſurarum an aliquando debeantur? 1. 26. 3. 147
Uſuræ ultra modum perceptæ a creditoribus pupilli ;iis reſtituendæ ſunt a pupillo. 1. 26. 6. 148
Uſurarum ex reliquis petitarum quid ſi judex in ſententia mentionem non ſecerit? 1. 31. 2. 179
Uſuras pecuniæ otioſæ a quo tempore tutor, vel curator ſolvat? 1. 26. 5. 148
Uſuras uſurarum quando præſtet tutor, 1. 26. 4. 148
Uſusfructui omnium bonorum non præſumitur continere fideicommiſſaria, nec feudalia. 2. 16. 17. 352
Uſusfructus bonorum omnium, vel certæ partis ex ære alieno, quod ex alienatione proprietatis ſolvendum eſt, imminuitur. 2. 16. 18. 353
Uſusfructui ad alimenta reſtricti legatum morte poſthumi non extinguitur. 2. 16. 21. 351
Uſusfructus verus uxori relictus præſumitur. cum uxor heres particularis in uſufructu omnium bonorum inſtituta eſt una cum filio herede univerſali ſcripto. 2. 16. 27. 358
Uſusfructus ex fori æquitate amittitur abuſu, niſi titulo oneroſo quæſitus fuerit. 2. 17. 1. 359
Uſusfructus, an proprietas relicta intelligatur, ſi teſtator heredem in uſufructu omnium bonorum inſtituerit Titium: Sempronium vero in proprietate, ſed nonniſi poſt mortem Titii. 2. 16. 11 345
Utilitas alienationem rerum minoris ſine ſolemnibus factam firmat. 1. 23. 34. 133
Uxor relicta uſufructuaria omnium bonorum una cum filiis dimidiam habet uſusfructus partem, ſi ad alimenta non reſtringatur, alia cedit filiis, ſive unus, ſive plures ſint filii. 2. 16. 22. 355
Uxori inopi, & indotatæ debetur quarta in bonis mariti divitis. Quæ inops mulier dicatur? 2. 16. 7. 348

U

Univerſitas ſtatuta legitime condita an abrogare poſſit. 1. 2. 42. 35
Univerſitas delicti capax eſt. 2. 2. 5. 21
Univerſitas obligari non poteſt, niſi legitime congregata fuerit. 2. 3. 14. 254
Univerſitas quando ex contractu obligetur. 2. 2. 15. 233
Univerſitas an obligetur ex facto rectorum? 2. 2. 17. 235
Univerſitas an ſolemnitatibus ſubbaſtationum renunciare poſſit? An judex ex officio nullam dicere poſſit venditionem omiſſis ſubhaſtationibus celebratam? 2. 3. 21. 257
Univerſitas reſciſſa, alienatione, rem cum fructibus reſtituit, & melioramenta. 2. 3. 29. 261
Univerſitas poteſt ex cauſſa interdicere paſcua publica, vel prohibere, ne quædam animalia in ea ducantur. 2. 13. 29. 338
Univerſitas dominii per uſucapionem acquirendi capax eſt, non ſecus ac ſingulares perſonæ. 2. 19. 1. 365
Univerſitatem defendere quis poteſt, non tamen pro ea agere ſine mandato. 2. 4. 1. 264
Univerſitates poſſunt ſtatuta condere, quibus bonorum ſuorum adminiſtrationi, & publicæ utilitati conſulant. 1. 2. 1. 19
Univerſitates civiles ſunt, vel eccleſiaſticæ: harum diverſæ ſunt ſpecies. Quid de confraternitatibus, & hoſpitalibus? 2. 2. 1. 227
Univerſitates veniunt nomine perſonarum. 2. 2. 2. 227
Univerſitates capaces ſunt omnium contractuum. An legata, & hereditates acquirere poſſint? 2. 2. 3. 228
Univerſitates in judicio per ſindicum agunt, & conveniuntur. Hoſpitale agere poteſt ad obtinenda, quæ pauperibus relicta ſunt. 2. 2. 4. 228
Univerſitates reſtituuntur adverſus præſcriptionem longiſſimi temporis. An adverſus centenariam eccleſia reſtituatur? 2. 6. 3. 270
Univerſitati non competit ex jure Romano hypotheca in bonis adminiſtratorum, utique ex uſu fori. 2. 5. 2. 26
Univerſitati competit hypotheca tacita pro tributis etiam cum prælatione. 2. 5. 3. 268
Univerſitatis nomine ſpondere cenſetur adminiſtrator pecuniam univerſitatis nomine mutuam accipiens. 2. 2. 30. 237
Univerſitatis pro debitis municipes ſinguli conveniri non poſſunt: niſi ſpeciatim ſe obligaverint. 2. 2. 36. 240
Univerſitatis actor quomodo eligatur ab adminiſtratoribus? 2. 4. 2., & ſeqq. 265
Univerſitatum conſiliarii in locum publicum, & conſuetum, excepto neceſſitatis caſu, convenire debent. 2. 2. 11. 231
Univerſitatum conſiliarii qui eligi poſſint? 2. 2. 12. 232
Univerſitatum adminiſtratores pecuniam a debitoribus exigere tenentur. An modicam dilationem aliquando indulgere poſſint? 2. 2. 37. 245
Univerſitatum bona alienari non poſſunt, niſi ſervatis legum ſolemnitatibus. 2. 3. 1. 247
Univerſitatum adminiſtratores negotia gerere non poſſunt, niſi legitime electi fuerint. 2. 3. 6. 249
Uſucapi nequeunt bona pupillorum. An & minorum? 2. 20. 5. 366
Uſucapione acquiri non poſſunt res humano commercio exemtæ, nec quæ meræ facultatis ſunt. 2. 20. 2. 365
Uſucapionis interruptio duplex eſt naturalis, & civilis. 2. 20. 14. 371
Uſufructu ſpeciatim legato ſelicti, arundineti, ſeminarii, & ſylvæ, quæ liceant uſufructuario. 2. 17. 4. 360
Uſufructu an privari poſſit pater dilapidans, vel abutens bonis, quorum proprietatem filiis reſervare tenetur? 1. 8. 7. 61
Uſufructuarius omnium bonorum non reputatur heres fideicommiſſo erga proprietatis heredem oneratus, ſed legatarii loco eſt. 2. 16. 2. 346
Uſufructuarius fructus ſuos non facit, licet maturos, niſi eos perceperit. 2. 17. 1. 345
Uſufructuarius propria auctoritate non poteſt ingredi poſſeſſionem fundi, niſi in quibuſdam caſibus. 2. 17. 2. 360
Uſufructuarius poteſt in alium transferre facultatem percipiendi fructus, non tamen jus. 2. 17. 3. 360
Uſufructuarius regulariter cavere debet datis fidejuſſoribus. 2. 17. 5. 361
Uſufructuarius, qui ſit in rei poſſeſſione, cautionem ſponte offerre non debet. 2. 17. 7. 361
Uſufructuarius uſu fori tenetur conficere inventarium. 2. 17. 9. 362
Uſumfructum verum, & formalem minime ad alimenta reſtrictum fuiſſe uxori legatum verba integri, pleni uſusfructus, & ſimilia innuunt. 2. 16. 26. 358
Uſumfructum bonorum teſtator cavere poteſt, ne pater habeat, quæ filiis libere reliquit. 2. 16. 6. 348
Uſumfructum uxori integrum, & competentem legans teſtator una cum liberis non ſemper de vero, & formali uſufructu ſenſiſſe intelligitur. 2. 16. 20. 354

Digitized by Google

Uſuræ an fructuum loco dari poſſint? 1. 23. 27. 130
Uſuræ uſurarum an aliquando debeantur? 1. 16. 3. 147
Uſuræ ultra modum perceptæ a creditoribus pupilli, iis reſtituendæ ſunt a pupillo. 1. 26. 6. 148
Uſurarum ex reliquis petitarum quid ſi judex in ſententia mentionem non fecerit? 1. 31. 2. 179
Uſuras pecuniæ otioſæ a quo tempore tutor, vel curator ſolvat? 1. 26. 5. 148
Uſuras uſurarum quando præſtet tutor, 1. 26. 4. 148
Uſusfructus omnium bonorum non præſumitur continere fideicommiſſaria, nec feudalia. 2. 16. 17. 352
Uſusfructus bonorum omnium, vel certæ partis ex ære alieno, quod ex alienatione proprietatis ſolvendum eſt, imminuitur. 2. 16. 18. 353
Uſusfructus ad alimenta reſtricti legatum morte poſthumi non extinguitur. 2. 16. 21. 351
Uſusfructus verus uxori relictus præſumitur. cum uxor heres particularis in uſufructu omnium bonorum inſtituta eſt una cum filio herede univerſali ſcripto. 2. 16. 27. 358
Uſusfructus ex ſori æquitate amittitur abuſu, niſi titulo oneroſo quæſitus fuerit. 2. 17. 1. 359
Uſusfructus, an proprietas relicta intelligatur, ſi teſtator heredem in uſufructu omnium bonorum inſtituerit Titium: Sempronium vero in proprietate, ſed nonniſi poſt mortem Titii. 2. 16. 11 345
Utilitas alienationem rerum minoris ſine ſolemnibus factam firmat. 1. 23. 34. 133
Uxor relicta uſufructuaria omnium bonorum una cum filiis dimidiam habet uſusfructus partem, ſi ad alimenta non reſtringatur, alia cedit filiis, ſive unus, ſive plures ſint filii. 2. 16. 22. 355
Uxori inopi, & indotatæ debetur quarta in bonis mariti divitis. Quæ inops mulier dicatur? 2. 16. 7. 348

512229

Digitized by Google

Digitized by Google

B.17.3.14
BNCF
DITTA
G. Vangel[illegible]
18. [illegible] 1972
Digitized by Google